BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
71
3 C
27

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

M1-3-C-22 I

71 3·C 27

Leonis obnoxa pupilla gallinacei obtutu. Scalig. de subtil. ad Cardan. exercit. 113.

Refert idem in eadem exercit. historiam ex Indijs quam proxime fidei propiorem vocat, Adamantes in Monte Abingar progenerari ultra urbem ~~Georg~~ Diringer, Facundari undique paludibus venenatis horrens. Obsideri plerisque, ac inde ipsis serpentibus difficilem. Accola ex altiori loco in eos montes ~~amnes~~ sagittis iaculari carnes, quibus adamantes haerent, quas postea Aquilae sublatas in nidos deuorant, sub quibus adamantes delapsi inueniuntur.

[illegible] [illegible].

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

71 3 C 27

DE RERVM VNIVERSITATE
DIVINAE INSTITVTIONES

Auctore

HORTENSIO BAPTISTA
EPISCOPO VERVLANO.

Permiſſu Superiorum.

Cat. Inscrip. B. S. BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Coll. Rom. Soc. Iesu



ROMAE, Typis Gulielmi Facciotti. CIↃ IↃ XCIV.

B. S.
43 A 21

ILL.^{MO} AC REV.^{MO}

EDVARDO FARNESIO

S. R. E. DIAC. CARD. AMPLISS.

Hortenſius Baptiſta, Epiſcopus Verulanus,
S. P. D.

MVLTI olim, Cardinalis ampliſsime, atque illi quidem egregij floruere viri, qui de rerum vniuerſitate docte, ſubtiliter, & copioſe diſputarunt: inter quos, mea ſententia, primas ſibi vindicauit Ariſtoteles. Nemo enim vberius rerum principia, partes, & paſsiones explicauit; nemo diligentius hi-

ſtoriam contexuit; nemo accuratius prima cum medijs, & media cum extremis coniunxit. Nam, etſi Plato, quem diuinum appellauit antiquitas, (reliquos minutiores philoſophos omitto(pleriſque in locis, & præſertim in Timæo, de rerum natura multa dixit: non tamen perpetuo ordinem illum vniuerſalem, qui Methodus dicitur, ſeruauit; ſed, veluti dialogorum ſcriptor, pro rei opportunitate, varijs in locis, nunc de diuinis, nunc de inferioribus rebus diſſeruit. At Ariſtoteles, à cauſis ordiens, naturalem omnem tractationem abſoluit, paucis tamen prætermiſsis, quæ deinceps eius diſcipulus Theophraſtus non minus ornate, quam grauiter digeſsit. Poſtea, ad ſuperiores cauſas aſcendens, numquam quieuit; donec ad primi motoris, qui Deus eſt, cognitionem lectores adduxit; adeo, vt rerum omnium naturalium ſcrinium rectè nuncupari poſsit. Verum tantus vir, fidei lumine priuatus, quoniam ſolam naturam ducem habuit, in varios, ac magnos errores lapſus eſt. Id iam diu ſancti Patres, & Theologi ſcholaſtici animaduertentes, quoties occaſio ſe obtulit, Ariſtotelis errata recenſuerunt, & confutarunt, Chriſtianiſque viam, qua ſine offenſione incederent, demonſtrauerunt. Sed, cum ſparſim ab eis hoc factum fuerit, putaui ſtudioſorum vtilitati conſultum iri, ſi aliquod cogeretur volumen,

in

in quo rerum vniuerſitatis ſeries ordinatim diſponeretur, quodque ſtudioſi legentes, veritatem abſque errore aliquo, vt Chriſtianum decet, aſſequi poſſent. Itaque hanc prouinciam, etſi arduam, & difficilem, ſuſcepi, & de rerum vniuerſitate diuinas Inſtitutiones conſcripſi. Cum verò opus perfeciſſem, addubitare cœpi, an illud edendum eſſet. Nam, vt verum fatear, præterquam quòd ego ipſi mihi non ſatisfaciebam, velut ex alta ſpecula proſpiciebam, me multorum ſubiturum calumnias, & præcipue Peripateticorum, qui in Ariſtotelis verba ſe iuraſſe profitentur. Si quis enim vel latum vnguem ab Ariſtotelis decretis diſceſſerit, ab ijs non ſecus ac ſacrilegus diſcerpitur, & dilaceratur. Sed tamen communis vtilitas, cui ſtudebam, vicit; & volumen hoc edendum curaui, cum maximè aliquot præclari viri, inter quos princeps extitit Frater Conſtantinus Cardinalis Sarnanus, me hortarentur, ne meos labores caſſos eſſe finerem. Librum verò, qualiſcumque ille eſt, Amplitudini Tuæ dicare decreui, cui veluti hæreditario iure debetur, illo iam olim deſtinato Patruo tuo digniſsimæ memoriæ Alexandro Farneſio Ampliſsimo S. R. E. Cardinali, cui cunctos noſtræ gloriæ titulos acceptos ferimus. Vigeat igitur in locupletiſsimo illo maiorum tuorum Ærario, in Farneſiana ipſa Bibliotheca, monumentum

tum

tum iſtud perpetuæ, & erga Eum obſeruantiæ, & in Te pariter perſeuerantis obſequij. Deus Te Eccleſiæ Sanctæ virtutum omnium fulgore nitentem incolumem ſeruet.

Romæ. Kal. Apr. CIↃIↃXCIV.

ILL.^MO AC REV.^MO

EDVARDO FARNESIO

S. R. E. DIACONO CARDINALI AMPLISSIMO

IOANNES BAPTISTA PELVSIVS *ſeruus obſequentiſſimus* S. P.

QVOD dignæ memoriæ Hortenſio Epiſcopo Verulano, patruo meo, offerre Amplitudini Tuæ debitum munus, morte intercedente, non licuit: nullum ob id exiſtimet Tua Amplitudo paſſurum ſe fore diſpendium, ſed potius multiplicato fænore accepturum; nimirum & commentarium ab eo elaboratum, à me verò iam ex præli gemitu vindicatum, meque ipſum in famulum perpetuo obſequio mancipatum. Accipe à me igitur, quæ Tuo erant Patruo oppignerata, ita patrui mei debita diſſoluente, vt ex his arctiori me velim ſeruitutis vinculis obligari: vt in hunc modum Farneſianæ familiæ claritudini, ex qua omnes noſtræ gloriæ radij effulſere, ijdem reciproca reflexione, maiori incaleſcente animi ardore, reddantur. Vale.

Romæ. Kal. Sept. C I Ɔ I Ɔ X C I V.

Summa Librorum.

I.	De	Diuina Eſſentia.
II.		Prouidentia.
III.		Trinitate.
IV.		Angelis.
V.		Mundo.
VI.		Cælo.
VII.		Aere, & Volatilibus.
VIII.		Aqua, & Aquatilibus.
IX.		Terra, & Terreſtribus.
X.		Corpore humano.
XI.		Anima vegetatiua.
XII.		Anima ſenſitiua.
XIII.		Anima rationali.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER PRIMVS

DE DIVINA ESSENTIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Rerum Vniuerſitatis diuiſio. *Cap. I.*

PHILOSOPHI, qui de rerum vniuerſitate volumina conſcripſerunt, omnia naturali ratione inueſtigare auſi ſunt; ſibique perſuaſerunt, non aliter, quam natura duce, poſſe ad veritatis cognitionem perueniri. Quare diuinorum librorũ lectionem aſpernati ſunt: &, ſi qui forte eos peruolutarunt, non ſecus, ac aniles fabulas, deriſere. Piget me, vt reliquos omittam errores, memorare, quam male de Deo, de Mundi ortu, atque Animarum natura opinati fuerint. Diagoras negauit Deum eſſe; addubitauit Protagoras; Epicurus Deum ſtatuit corporenm, ac otioſum; Mundum ex indiuiduorum corpuſculorum fortuito concurſu factum fuiſſe aſſeruit: Dei prouidentiam, Animorumque immortalitatem ſuſtulit. Ariſtoteles primi orbis motum Deo aſcribit, inferiorumque cognitionem, ac prouidẽtiam ab eo auferre videtur; eiuſdem potentiam coarctat; Mundum æternum cenſet: de Animorum natura adeo obſcure differit, vt, quid ſeuſerit, adhuc ignoretur. Plato, etſi minus, errauit tamen. Quamuis enim neque prouidentiam, neque rerum cognitionem à Deo ſeparet; diuinæ tamen potentiæ limites præſcribit, dum non ex nihilo, ſed ex æterna materia Mundum effectum eſſe affirmat. Idem conſtanter defendit Animorum immortalitatem: ſed, quãtas veritati admiſceat falſitates, liquet ijs, qui illius Phædonem, ac Timæum legerunt. Nobis propoſitum eſt, errores omnes, qui noſtrarum Animarum ſaluti

 obſiſtunt,

obſiſtunt, euitare, & radicitus euellere. nec deſperamus, Deum noſtri inſtituti adiutorem fore. Quare alia incedemus via. Deum in primis auctorem ſequemur. diuinis libris primum locum tribuemus: rationes, quæ illis non aduerſantur, dummodo firmæ ſint, libenter admittemus; eas vero, quæ ſacris repugnant oraculis, vt peſtem effugiemus: &, ſi quando vſu venerit, vt vel diuina reſponſa à naturali ratione non abhorrere oſtendere poſſimus, vel aduerſariorum rationes, quibus ipſi noſtra euerti poſſe putant, confutare eadem ratione queamus, id facere non intermittemus. Ceterum, quæcunque in rerum vniuerſitate continentur, aut cauſæ ſunt, aut effectus. Omnium rerum cauſam Deum agnoſcimus: cetera autem omnia ab ipſo prodire: vt ſacræ literæ teſtantur. Quapropter, etſi multæ in rerum natura ſunt ſingulares cauſæ, non tamen principales cenſendæ ſunt, ſed ſecundæ, aut adiuuantes. Philoſophi ab effectibus ad cauſas progredi ſolent; nos autem è contrario primum cauſam, deinde effectus exponemus. Nam, etſi, cum cauſæ ſunt ignotæ, præſtat ab effectibus initium facere, cum tamen cauſa nota eſt, conſentaneum eſt à cauſarum explicatione ordiri. Cum igitur ſacra Scriptura proclamet, Deum omnium rerum cauſam eſſe, primo, quę de Deo dicenda occurrunt, explicabimus; deinde cetera abſoluere enitemur. Verum, quia nos agimus Theologum, qui ſacræ doctrinæ, quæ Theologia vocatur, innititur, non ab re erit, prius Theologiæ neceſſitatem, vim, & vſum reſerare.

Gen. 1.

Gen. 1.

De Theologiæ neceſſitate. Cap. II.

NIHIL nobis tam neceſſariũ eſt, quam finis, cuius gratia facti ſumus, certa, quantum homini adhuc mortali datur, abſolutaque cognitio. Vt enim, fine ignorato, fieri non poteſt, vt illum aliquando conſequamur; ita, eodem cognito, perueniendi ad ipſum facultas nobis non denegatur. Noſter autem finis Deus eſt: vniuerſa enim, ne dum hominẽ, propter ſeipſum operatus eſt Deus: Deũ igitur perfectè pro viribus noſſe debemus. Quod quando ſcientię, mortalium labore acquiſitæ, præſtare nequeunt, alia nobis ſcientia opus fuit, qua naturæ imbecillitati occurreretur. Quare huma-

Prou. 16.

1. Tim. 3

nam condicionem Deus opt. Max. commiſeratus, ſcientiam nobis diuinitus detulit, vtilem (vt inquit Paulus) ad docendum, ad arguẽdum, ad corripiendum, ad erudiendum ad iuſtitiam, qua finem nobis præparatum cognoſcere poſſemus. Verum parum proderat finem agnoſcere, niſi etiam ratio, qua illum aſſequamur, nobis commonſtrata fuiſſet. Qua propter hæc ſcientia non ſolum finem cognoſcendum ante noſtræ mentis oculos conſtituit, ſed etiam viam, qua ad illum peruenitur, aperit, omniaque proponit ad ſalutem conſequendam neceſſaria: quorum quædam neque ab oculo viſa, neque ab aure audita ſunt, neque in cor hominis aſcenderunt; quædam, etſi naturali ratione inueſtigari poſſunt, tamen aut præciſe, aut difficulter, aut cum multa errorum admixtione ſciuntur. Diuinarum perſonarum Trinitas, incarnationis myſterium, mundi creatio in tempore, ceteraque huiuſmodi, quæ ſunt ſupra ſenſum hominum, quo vnquam pacto cognouiſſemus, niſi ea diuino munere nobis innotuiſſent? Quis vnquam Philoſophorum talia meditatus eſt? non eſt, qui poſſit ſcire vias ſapientiæ, neque qui exquirat ſemitas eius: ſed, qui ſcit vniuerſa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia ſua, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. diuinæ vero eſſentiæ vnitatem, potentiam, prouidentiam, & id genus reliqua, quanquam intellectus lumine attingere poſſumus; obſcurè tamen, & cum labore, & plerunque veris falſa commiſcendo intelligimus. Quod Philoſophorum variæ inter ſe opiniones oſtendunt. Neceſſaria igitur fuit diuina illuminatio, ne nobis aditus ad veritatem, ſupernaturalemque illum finem, qui ſolus rationalem creaturam perficit, intelligendum, capeſſendumque præcluderetur.

1. Cor. 2.

Eccleſ. 3.

Baruch. 3

De Theologiæ nobilitate. Cap. III.

HÆC vero doctrina, quæ homini adeo neceſſaria eſt, ceteras omnes ſcientias, tam contemplatiuas, quàm actiuas, dignitate antecellit. quod quidem breuiſſime demonſtrari poteſt. ſcientiarum enim, quæ contemplationi incumbunt, hæc illa nobilior eſt, quia aut certior eſt, aut excellentius ſubiectum contemplatur. ſi certitudinem inſpiciamus, nullam hac certiorem

inueniemus. Ceteræ enim, naturali lumine inuentæ, humanæ rationi, quam poſſe errare perſpicuum eſt, inhærent. hæc vero doctrina, diuinæ ſcientiæ lumen, quod decipi nequit, tanquam ducem, & auctorem ſequitur. Sin autem eiuſdem ſubiectum intueamur, Deum illud eſſe reperiemus. Quæcunque enim ſacra doctrina pertractat, aut ſunt ipſemet Deus, aut ad ipſum aliqua ratione referuntur. Actiuis quoq; ſcientijs quantum ſacra doctrina præſtet, facilè intelligere poſſumus. Actiuarum enim illa nobilior eſt, quam reliquæ ſpectant, tanquam eam, cuius gratia ſunt inſtitutæ: quemadmodum dicimus, ciuilem militari, militarem equeſtri digniorem eſſe, quoniam equeſtris propter militarem, militaris propter ciuilem eſt inſtituta. Hanc verò doctrinam ceteræ omnes ſcientiæ veluti ſcopum quendam ſpectāt, tanquam eam, cuius gratia ſunt inſtitutæ: eius enim finis, quatenus actioni deſeruit, eſt beatitudo æterna, ad quam fines reliquarum omnium ſcientiarum actiuarum dirigi debent. quid enim moralis, quid ciuilis edocet, niſi vt noſtras actiones ita moderemur, vt beatitudinē tandem conſequi poſſimus? quam etſi aliqui in hac vita conſtituerunt; nos tamen, qui non fluctuantem, & incertam, ſed permanentem, & perpetuam ipſam eſſe ſentimus, illos toto cœlo aberraſſe non dubitamus. Si itaque ſacra doctrina certior eſt omnibus ſcientijs, ſi nobiliſſimum ſubiectum contemplatur, ſi ad eam omnium ſcientiarum actiuarum fines referri debent; quis dubitet, ipſam omnes tum contemplatiuas, tum actiuas nobilitate præcellere? Ex alio quoque capite huius doctrinæ dignitatem oſtendere poſſumus. Illa enim doctrina nobiliſſima eſt, cui datum eſt, vt de ceteris omnibus iudicet, cū tamen ipſa nullius iudicium ſubeat. Id vero huic vni doctrinæ conceſſum eſſe dignoſcimus. ipſa enim, veritatis fidiſſima interpres, iudicat, quæ nam ſcientiæ veritati, quæ ve falſitati innitantur, quidque in ipſis aut veri, aut falſi reperiatur. Aliud quiddam in hac doctrina præſtantiſſimum animaduertere licet, ipſam non ſolum omnibus humanis ſcientijs nobiliorem eſſe, verum etiā (quod admirari operæ pretium eſt) contemplationem, atque actionem eminenti quodammodo complecti: id quod in reliquis ſcientijs contingere non poſſe manifeſtum eſt. harum enim finis aut eſt actio, aut contemplatio: neque fieri poteſt, vt aut eius, quæ in actione ſibi finem præſtituerit, finis ſit cōtemplatio; aut eius, quæ contemplationem ſibi finem propoſuerit, finis ſit actio: adeo ſunt humanæ inuentiones imperfectæ. Sacra autem doctrina tum actionem, tum contemplationem, tanquam finem agnoſcit. nam modo humanos actus componit, modo diuinarum rerū contemplationi inhæret. Nec verò cuiquā mirum videri debet, hanc

doctrinam vtrunque finem comprehendere, cum tamen id reliquæ ſcientiæ nequaquam poſſint. Quinimmo, ſi rem intrinſecus perſcrutemur, id rationi optimè congruere non infitiabimur. Scientiæ ab hominibus inuentæ, aut contemplatiuæ ſunt, aut actiuæ tantum: quia earum finis aut contemplatiuus, aut actiuus tantum eſt. quòd autẽ earum vnus finis tãtum ſit, illud in cauſa eſt, quoniam ipſarum principia ſolũmodo ſunt aut contẽplatiua, aut actiua, cum finem principijs reſpondere ſit maxime neceſſarium. quarum igitur principia contemplatiua ſunt, earum finis contemplatiuus eſt. quarum autem principia actiua ſunt, earum finis eſt actiuus. Quoniam verò nulla ceterarum ſcientiarum vtroque principio gaudet, nulla quoq; ipſarum vtrũque finem aſſequi potuit. At, quia ſacra doctrina tam contemplationis, quam actionis principia habet, rationi conſentaneum eſt, ipſam tum contemplatiuam, tum actiuam cenſeri. quòd vero alia eius principia contemplatiua ſint, alia actiua, probatione non indiget. principia enim contemplationis, ſunt Articuli fidei; principia verò actionis, ſunt Decalogi præcepta.

Quomodo Theologia argumentetur. Cap. IV.

HActenus de ſacræ doctrinæ neceſſitate, ac dignitate à nobis ſit diſputatum. Iam perſcrutemur, quonam argumentandi genere ipſa vtatur; qua ratione metaphoris, ſeu translationibus rem aptè indicet; quotque ſub litera ſpirituales ſenſus contineat. Hanc doctrinam nõnunquàm argumentari debere Paulus nos edocuit, cum, Tito ſcribẽs, *Tit. 1.* dixit, Epiſcopum oportere amplecti eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Idemque Apoſtolus alibi ex Chriſti reſurrectione omnium hominum reſurrectionem probauit. *1. Cor. 15.* Argumentandi modus ex auctoritate huic doctrinæ peculiaris, eiuſdemque maxime proprius eſt. Licet enim locus ab humana auctoritate ſumptus ſit infirmiſſimus; locus tamen à diuina auctoritate eſt validiſſimus; cum hæc ſit omni humana excogitatione potior. quòd ſi aliquando hæc ſcientia humanis auctoritatibus vtitur, vbi huius ſæculi ſapientes naturali ratione veritatem aſſequi potuerunt, non id efficit, vt ex eis tanquam ex proprijs argumentetur, ſed vt ab iniuſtis poſſeſſoribus,

1.de doc. veluti Auguſtinus ait, ea ſibi vindicet, quæ indebitè vſurpauerant. Id-
Chriſ.ca. circo Paulus Arati dictum aſſumpſit: Genus Dei ſumus. Et alibi Me-
40. nandri carmine vſus eſt: Corrumpunt bonos mores colloquia praua.
Acto.17. Huic igitur doctrinæ ex diuina auctoritate argumentari maxime pe-
1.Cor.15 culiare eſt. Ratione vero non argumẽtatur, niſi ſumptioni alicui ſacræ
innitatur: veluti, ſiquis probare voluerit, Petrum eſſe diligendum, enũ-
1.Cor.15 ciatum illud aſſumet; Diliges proximum tuum; ex quo concludet, Pe
Col.1. trum eſſe diligendum. Itaque Paulus, volens probare mortuorum
reſurrectionem, illam ex Chriſti, qui primogenitus eſt mortuorum,
reſurrectione in ſacra pagina manifeſtata demonſtrauit. Hanc argu-
mentandi rationem Cyprianus ſecutus eſt, qui contra gentes diſſerẽs
Diui.inſt. non humanis rationibus, ſed Scripturæ auctoritate vti voluit. Quare
lib.5.c.2. nõ poſſum non admirari Lactantium, qui tantum virum carpit, quòd
& 4. is contra gentes diſſerens, Scripturæ auctoritate eorũ ſtultas ſenten-
tias confutarit. Nam, vt ipſe cenſuit, rationibus humanis potius erat
cũ iis diſputandum, qui Scripturæ abnegant auctoritatem. Neq. ani-
maduertit, hoc argumentandi genus inter ea, quibus Theologus vti-
tur, eſſe infimum. Propterea q. ipſum, Tertullianum, Arnobium, cete-
roſq. qui libros humanis ſuaſionibus refertos aduerſus gentes conſcri
pſerunt, non reprehendo: multum enim vtilitatis afferunt: ſi quidẽ fie-
ri poteſt, vt gentes illis aſſuetæ noſtram fidem aut amplectantur, aut
ſaltem non deſpiciant, dum nos neque rationi repugnantia, neque ri-
ſu digna in medium afferre animaduertunt.

Quomodo Scriptura metaphoris vtatur. Cap. V.

SAcra doctrina interdum metaphoris, corporeiſq. ſimilitu-
dinibus ad ſpiritualium naturam explicandam vtitur. Id
autem non efficit, vt id, de quo loquitur, eiuſdẽ naturæ cũ
illo, cui comparatur, eſſe demonſtret, ſed vt ex natura, cui
confertur, quale nam ipſum ſit, declaret. Veluti, cũ dicit, Deus noſter
Deu.4. ignis conſumens eſt, nobis non inſinuat, Deum ignem eſſe, ſed ignis in-
ſtar ſe habere. quemadmodum enim ignis purgãda abſumit, ita Deus
Apoc.5. noſtras iniquitates delet. Alibi Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ Leo
Gen.49. nem, & Catulum Leonis appellauit: Ecce, inquit, vicit Leo de tribu Iu-
da. Et rurſum: Catulus Leonis Iuda. Leonem nominauit, vt eius forti-
tudinem, qui mortem ſuperaturus venerat, intelligeremus: Catulum
vero Leonis, vt ipſius mortem, ac reſurrectionem cognoſceremus.
ſicut

ſicut enim Catulus Leonis natus, tribus diebus, totidemq. noctibus, dormit, deinde ad patris rugitum expergiſcitur: ita Dominus noſter, cum triduo in ſepulchro iacuiſſet, vi ſuæ diuinitatis eſt excitatus. Id vero congruens fuit. homo enim, cuius naturæ proprium eſt, vt ex ſenſibilibus, intelligibilia ſcrutetur, per ea, quæ videntur, in inuiſibilium cognitionem facile, & quaſi manu ducitur. Rudes quoque, qui ad diuina capienda minus idonei ſunt, hac ſaltem ratione ea intelligunt, quorum cognitionem aliter conſequi nequeunt. Nonne ſacra Scriptura omnibus proponitur? Sapientibus, inquit Paulus, & inſipientibus debitor ſum. *Rom.* 1. Proponenda igitur in ea erant illa, quæ omnes capere poſſent. Recte itaq. Dionyſius dicit, diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum contectum, lucere non poſſe. *1. Eccleſ. hie.* Quemadmodum enim, ſi quis ex denſiſſimis tenebris eductus in clariſſimam lucem ſubito proferatur, illam intueri minime poterit, ſed, ſi prius lucem aliquam rarioribus tenebris obluctam conſpiciat, commode in eam deinde aciem intendet: ita, ſi quis extemplo excellentiſſimam illam diuinam lucem mentis oculis conſpicere tentabit, id nunquam aſſequetur: verum, ſi prius creaturas, earumq. proprietates contemplabitur, ex illarum cognitione facile ipſam, quantum mortalem decet, hoc eſt per ſpeculum in ænigmate, contuebitur. Quapropter Dominus per Oſeam teſtatus eſt, Ego viſionem multiplicaui, & in manu Prophetarum aſſimilatus ſum. *Oſe.* 12.

De ſenſibus ſacræ Scripturæ. Cap. VI.

ILlud quoq. in hac doctrina animaduertere neceſſe eſt, eam ſub vna litera plures ſpirituales ſenſus continere; adeo, vt, quocunque te vertas, eius fœcunditatem facile intelligas. Hi autem ſpirituales ſenſus in tria genera partiũtur. alius enim allegoricus, alius moralis, alius anagogicus appellatur. Allegoricus eſt, qui nobis ſub litera veteris legis, ea, quæ ad nouam legem ſpectant, contineri demonſtrat; veluti Agni Paſchalis immolatio, Chriſti paſſionem ſignificat: *Exo.* 12. Serpentis ænei exaltatio, Chriſti in crucem actionem. *Num.* 21. Omnis ferè lex vetus in hunc modum ſe habet. Omnia, dicebat Paulus, in figura contingebant illis. *1. Cor.* 10. Et alibi: Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. *Gal.* 4. quæ ſunt per allegoriam dicta. Allegoria vero figura eſt, qua aliud ſenſu, quam verbis, intelligitur.

gitur. Moralis ſenſus eſt, qui ex Chriſti, ſanctorumque factis, quid nobis agendum ſit, oſtendit. omnis enim Chriſti actio, (vt ait Gregorius) noſtra eſt inſtructio. Anagogicus ſenſus eſt, qui ex litera ad ea, quæ in æterna gloria ſunt, aſcendens, noſtrum intellectum in cœleſtium contemplationem eleuat, & miro quodam modo introducit. exempli gratia, cum Cœlum Angelos interpretamur; cum per Terram Promiſsionis, & Terrenam Hieruſalem, ſtabilem, & ſupercœleſtem patriam intelligimus. Huiuſmodi ſenſibus tota ſacra Scriptura plena eſt. Hanc ſacrarum literarum fœcunditatem Gregorius admirans; Sacra, inquit, Scriptura omnes ſcientias ipſo locutionis ſuæ more tranſcendit, quia vno, eodemque ſermone, dum tradit factum, prodit myſterium. Plerunque etiã contigit, vt plures ſub vna litera ſenſus contineãtur. Nec mirum eſt, eandẽ literam plures ſenſus continere: quoniam litera ſuum auctorem imitatur, qui ſuo intellectu omnia comprehendit. Quare id ipſum non imperfectum aliquid ſapit, ſed fœcunditatem; quæ non amphibologiã parit, ſed ædificationem. Quinimmo, quanto plures ſenſus ſub eadem litera reperientur, tanto maiorem ædificationem experiemur. Eodem enim tempore intelligemus, quid factum ſit; quid operari debeamus; quo pacto veritate eluceſcente vmbra præterierit; qua ratione ex terrenis in cœleſtia rapiamur. Illud vero pio lectori maximopere laborãdum eſt, vt ſemper eum ſequatur ſenſum, quem vnanimis Sanctorum Patrum conſenſus, & S.R. Eccleſia admittit, ne, dum proprio ſenſu innititur, in diaboli laqueum incidat.

Homi.17. ſuper Euang.

Mor. 10. cap. 1.

De Diuinis Nominibus. Cap. VII.

EX ijs, quæ dicta ſunt, neceſſitatem, vim, & vſum ſacræ doctrinæ pro noſtri intellectus captu explicauimus. Iam de his, de quibus ipſa agit, diſſerere incipiamus. Ac primum quidẽ, Deum eſſe ponentes, dicente ipſomet Deo: Ego ſum, qui ſum, de ipſo ſermonem aggrediamur; eiuſque ſimplicitatem, perfectionem, infinitatem, immutabilitatem, vnitatem, & beatitudinem contemplemur. Verum, antequam hæc explicemus, non inutile erit, pauca de diuinis nominibus dicere. ita enim omnium exactiorem cognitionem conſequemur. Quamuis multa nomina de Deo dicãtur, nullum tamẽ reperire poſſimus, quod perfecte diuinam eſſentiam commõſtret. Nam, cum Nomina animi cõceptus

Exo. 3.

ceptus conſequantur, fieri non poteſt, vt aliquid perfectius nominetur, quàm intelligatur. At Deus imperfecte à nobis intelligitur: quare imperfecte etiã nominabitur; ex quo fit, vt, quamuis, quæ de Deo dicuntur, aliquid ipſius indicent, non tamen, quid ſit, perfecte ſignificent. Diuinorum nominum quædam, vt inquit Ambroſius, euidẽter proprietatem diuinitatis oſtendunt: quædam perſpicuam diuinæ maieſtatis exprimunt veritatem: quædam tranſlatiue de Deo dicũtur. Idem dictũ eſt: quædam nomina dicuntur ſecundum relationem, quædam ſecundum ſubſtantiam, quædam tranſlatiue. Secundum relationẽ dicuntur, vt Pater, Filius, cæteraque eiuſmodi, de quibus ſuo loco agemus. Tranſlatiue dicuntur, quæ ex creaturis accepta, & Deo accommodata nos in Dei cognitionem veluti manu ducunt: de quibus ſupra diſſeruimus. Secundum ſubſtantiam dicuntur, quæ diuinam eſſentiam indicant, vt ſcientia, bonitas, potentia, & reliqua, quæ abſolute dicuntur: de quibus nunc loqui inſtituimus. Hæc nomina, quæ abſolute dicuntur, licet, quoniam multa ſunt, plura ſignificare videantur, (nam in creaturis plura ſignificant) in Deo tamen non multa, ſed vnum ſignificant. Cum enim ſapientia, bonitas, & reliqua, nihil aliud ſint, quàm diuina eſſentia; & in Deo non ſeparatim, neque multipliciter, ſed vt vnum exiſtant; nomina quoque ipſa, quamuis nobis multa ſignificare videantur, nil aliud, quàm diuinam eſſentiam, atque vnum ſignificare oportet. Inter quæ nullum exactius diuinam eſſentiam ſignificat, quàm id ipſum, qui eſt. Nam, cum, quod eſt Dei, ſit eſſentia Dei, quo nomine rectius eſſentia Dei, quam ipſo, qui eſt, ſignificabitur? Accedit, quòd id, quod nullo termino clauditur, eiuſmodi eſt diuina eſſentia, illa voce rectiſſime exprimitur, quæ ſignificat id, quod omnibus rebus commune eſt, cuiuſque vnumquodque eſt particeps. At, qui ipſum, quod eſt, vt ait Damaſcenus, tanquam vniuerſaliſſimum, & nullo pacto coarctatum exiſtens, totum in ſe ipſo comprehendit, velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum, & inde terminatum. Rectiſſime igitur ipſum, qui eſt, diuinam eſſentiam ſignificat. quapropter, cum à Deo Moyſes ſciſcitaretur, quidnam reſponſurus eſſet eis, qui ipſius nomen percunctarentur, reſponſum accepit, ſic dicens eis: Qui eſt, miſit me ad vos. Hoc quoque nomen, Deus, diuinam eſſentiam rite indicat. Nam, vt ait Ambroſius, Deus eſt nomen naturæ: Attamen nomen, Qui eſt, magis proprie ipſam ſignificat. Hoc enim nomen Deus, etſi naturæ nomen eſt, proprie tamen Dei operationem ab eius prouidentia progredientem indicat. Deus

2. Lib. de fide.

Or. fid. li. 1. c. 12.

Exo. 3.

De fide lib. 1.

Grego. ad Abla-bium. enim à Dando apud nos dicitur. Apud Græcos quoque operationem ſignificat: quemadmodum Gregorius Nyſſenus, & Damaſcenus fuſe oſtendunt. Nomen vero, Qui eſt, ipſam Dei eſſentiam demonſtrat: &, licet idem ſit eſſentia Dei, & operatio Dei, prius tamen à nobis aliquid, quatenus eſt, quàm quatenus operatur, intelligitur. Iccirco, etſi hæc nomina eſſentiam demonſtrant, alterum tamen altero potius à noſtro intellectu iudicatur. Illud quoque oſtendit nomen, Qui eſt, proprie diuinam eſſentiam ſignificare: quoniam hoc nomine nullam creaturam in ſacris literis appellari legimus. At Dei nomen ad homines quoque aptatur. Ego dixi, inquit Pſalmiſta, Dij eſtis. Et alibi ſcriptum eſt: Dijs non detrahes. Hæc, quæ dicta ſunt, nomina diuinam eſſentiam ſignificantia ab omni æternitate Deo conueniunt. Sunt vero etiam quædam, quæ non ex æternitate, ſed ex tempore de Deo dicuntur, vt Dominus, Creator, & ſimilia. ex tempore Deus Dominus eſt, ex tempore Creator. Non enim Dominus abſque ſeruo, neque Creator abſque creatura intelligi poteſt. Atqui ſeruus, & creatura ex tempore extiterunt, cum eſſe cœperunt. Quare Deo etiam nomen Domini ex tempore conuenire incepit. Nulla tamen propterea mutatio in Deo facta eſt, ſed tantum in creatura. Deus enim immobilis exiſtens creaturam formauit: neque Deo noui aliquid contigit, ſed creaturæ. Veluti enim, ſi quis circa columnam, nunc ad dexteram, nunc ad ſiniſtram partem tendat, ipſe tantum mouetur, columna immobili permanente; ita, cum formata eſt creatura, in ipſa mutatio facta eſt: in Deo verò nihil noui contingit: licet, quia creaturam, & ſeruum fecit, & Creator, & Dominus appellari cœperit.

Damaſ. orth. fid. lib. 1. cap. 12.

Pſal. 46.

Exo. 22.

De Simplicitate Dei. Cap. VIII.

HIs ita explicatis, de ijs, quæ exponenda propoſuimus, ſermonem aggrediamur. Deus ſummè ſimplex eſt: nullam enim compoſitionem admittit. Corpus nequaquam eſt: omne enim corpus ab alio mouetur. Deus autem omni motu caret: alioquin in infinitum proceſſus daretur. Quare apud Ioannem ſcriptum eſt: Spiritus eſt Deus. Neque te moueat, quòd Scriptura Deo nunc oculos, nunc brachium, nunc dexteram, cæteraque huiuſmodi tribuat. hæc enim non eo ſpectant, vt Deus corporeus eſſe oſtendatur; ſed vt ex illis facilius

Ioan. 4.

cilius

cilius homines in Dei cognitionem adducantur. Cum igitur audis, Deum oculos habere, omnia ei nuda, & aperta eſſe intellige. Per brachium, & dexteram, eius potentiam interpretare. Cum legis, Deũ ſedere, eius immobilitatem conſidera. Denique, quidquid corporeum Deo tributum audis, totum id arcanè dictum eſſe memineris. Quod ſi Deus corpus non eſt, fieri non poteſt, vt ex materia, & forma compoſitus ſit, aut loco definiatur, aut corporeis dimenſionibus ſubiaceat: quas ſi quando ipſi aſcribi in Sacris literis legeris, (nam ſcriptum eſt: Excelſior cœlo, & quid facies? profundior inferno: & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & longior mari) eadem ratione, qua oculos, manum, & id genus cætera aſcriptas eſſe reminiſcare. Profunditas enim Dei, immenſitatem indicat diuinæ eſſentiæ; Longitudo, progreſſum diuinæ virtutis omnia penetrantis; Latitudo, eius ſuper omnia dominationem, ac veluti extenſionem. Nullis præterea Deus ſubditus eſt accidentibus: nullo eſt in genere: idem eſt ipſe, quod ſua eſſentia: neque aliquid eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus. Hanc (vt ita dicam) ſummè ſimplicem ſimplicitatem Hilarius demonſtrans, dixit: eſſe in Deo non eſſe accidens, ſed ſubſiſtentem veritatem. Aduerſus Dei ſimplicitatem temporibus Siricij Papæ, ac Theodoſij ſenioris inſurrexere monachi plerique Aegyptij, qui, diuinarum ſcripturarum ſenſum peruertentes, aſſerere auſi ſunt, Deum more hominum corpus habere: atque iccirco Anthropomorphitæ appellati fuere. Hanc hæreſim primo Tertullianus excitaſſe videtur: etſi D. Auguſt. 12. libro de hæreſibus, cap. 86. ipſum excuſare conatur. cuius excuſatio quanti facienda ſit, alijs iudicandum relinquo.

Iob. 11.

1. de Tri. cap. 1.

De perfectione Dei. Cap. IX.

DEVS, vt ſummè ſimplex, ita ſummè perfectus eſt. Nam, cum perfectum illud ſit, cui nihil deeſt, Deo autem nihil deſit, ipſum perfectiſſimum eſſe neceſſe eſt. Non ſolum autem Deus omni ex parte perfectus eſt, verum etiam omnium rerum perfectiones eminenti quadam, & incomprehenſibili ratione continet, adeo, vt non modo rerum inter ſe cognatarum, & ſimiliũ, ſed etiam differentium, & diſſimilium perfectiones, non vt multa quædam, ſed vt vnum abſque ſimplicitatis detrimento in eo perma-

De diui. no. c. 5. neant. Deus, enim vt inquit Dionyſius, vnus exiſtens, vniformiter lucē-
do, ſenſibilium ſubſtantias, & qualitates differentes in ſe ipſo præac-
cipit. Tanta denique Dei perfectio eſt, vt ipſe non modo rerum per-
fectiones contineat, ſed etiam rebus perfectionem largiatur: quid-
quid enim aliud ab ipſo perfectum eſt, ſuæ perfectionis participatio-
ne perfectum eſt. Ipſe enim per eſſentiam perfectus exiſtens, omni-
bus rebus, tanquam earum cauſa, & exemplar, perfectionem alijs
maiorem, alijs minorem, pro ſuæ diſpoſitionis miro ordine, im-
partitur.

De Bonitate Dei. Cap. X.

Perfectiſſimo principio ſumma bonitas competit,
Niſi enim eſſet maximè bonum, ei aliquid deeſſet.
Id vero ab eius, quod perfectiſſimum eſt, ratione
abhorret. Deus igitur ipſum bonum, hoc eſt ſum-
mum bonum, bonum per eſſentiam eſſe oportet.
Matt. 19. quod Saluator oſtendit, cum dixit: Nemo bonus,
1. de Trin. niſi ſolus Deus. Atque id ipſum clarius Aug. ape-
cap. 2. rit, inquiens: Trinitas diuinarum perſonarum eſt ſummum bonum,
quod purgatiſſimis mentibus cernitur. Id quod ſacra eloquia nobis
credendum nude proponunt, humana quoque ratione facile perſua-
deri poterit, ſi bonum, bonique naturam altius contemplabimur.
Bonum illud etiam Philoſophi definiunt, quod omnia appetunt: boni-
que id proprium aiunt eſſe, vt ſui ipſius ſit diffuſiuum. Vtrumque ve-
rò excellenter Deo conuenire manifeſtum eſt. omnia enim Dei ſimi-
litudinem in ipſis exiſtentem appetunt, tanquam Dei participatio-
nem: proprias enim perfectiones appetunt, quæ nihil aliud ſunt, quā
Dei ſimilitudines. quod autem ſimilitudinem alicuius appetit, multo
magis exemplar appetet, cum hoc illa magis ſit appetendum. Cum
igitur omnia Dei ſimilitudinem appetant, multo magis Deum, tan-
quā exemplar appetent; etſi non omnia eodem modo appetunt. quæ-
dam enim Deum appetendo, ipſum ſecundum ſe ipſum cognoſcunt,
quod rationalis naturæ proprium eſt: quædam aliquas diuinæ bonita-
tis participationes norunt, quod ſenſibilibus etiam congruit: quædam
verò abſque cognitione in ſuos fines natura lata, velut a ſuperiore co-
gnoſcente directa, dum ſuam perfectionem appetunt, Deum quodam-
modo appetunt. quapropter in ſacris eloquiis non ſolum rationales,

ſed

ſed etiam ratione carentes creaturæ Deum laudare præcipiuntur. Verum, ſi Deum omnia appetunt, ipſum non ſolum bonum, ſed etiam ſummum bonum eſſe neceſſe eſt. Quod enim quædam appetunt, quædam minime, ſummum bonum non eſt: a boni enim ratione deficit. Quod autem omnia appetunt, ſummum bonum eſt: in ipſum enim tanquam omnium finem feruntur. Atqui, ſi boni proprietatem contemplemur, Deum ſummum bonum eſſe infitiari non licebit. Nam, cum boni proprium ſit, vt ſe ipſum diffundat, illud profecto, quod ſe ipſum longe, lateque diffundit, ſummum bonum eſſe neceſſe eſt. Deus autem adeo affluenter ſe ipſum diffundit, vt, quocunque te vertas, bonitatis eius diuitias intelligere poſſis. ipſe enim per multiformes, atque illas quidem inenarrabiles rationes ſuam perfectionem omnibus rebus impartiuit, voluitque, vt illæ varijs, nec explicatu facilibus modis ipſum imitarentur.

De Infinitate Dei. Cap. XI.

QVoniam perfectiſſimo principio conuenit, vt ſit infinitum, ratio poſtulat, vt Dei infinitatem contemplemur. Deus infinitus eſt, nullis terminis clauditur, nullo loco circumſcribitur; neque motu, neque tempore definitur; eius virtus neque comprehendi, neque omnino intelligi poteſt; denique non potentia, neque ex accidenti, ſed actu, & ſecundum ſubſtantiam eſt infinitus. Infinitum, quod cæteris in rebus inuenitur, accidens eſt, & potentia eſt infinitum, non actu. Infinitum, quod eſt in quantitate, ſeu continua, ſeu diſcreta (quantitatem continuam voco magnitudinem, quæ eſt diuiſibilis in infinitum, vt lineam, ſuperficiem, corpus; diſcretam, vt numerum, cui in infinitum fit additio) accidens eſt; vt tertio Phyſicorum libro oſtendit Ariſtoteles: accidit enim rebus. præterea infinitum potentia eſt: nam neque magnitudo actu infinita eſt, ſed poteſt in infinitum diuidi; neque numerus actu infinitus eſt, ſed cuilibet numero alius addi poteſt. At Deus neq. more magnitudinis, aut multitudinis, ſed ſecundum ſubſtantiam, & actu eſt infinitus. Hanc eius infinitatem Iob oſtendit, cum dixit: Excelſior cœlo, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terra menſura eius, & latior mari. Cum itaque Deus ſit infinitus, neceſſe eſt, vt in omnibus rebus, & vbiq. exiſtat; in quibus non eſt, quòd veluti

Cap. 7.

Iob. 1.

corpus

corpus loco circumſcribatur: ſed quoniam ſua eſſentia omnia com-
Hier.23. plet, præſentia omnia intuetur, potentia omnibus dominatur. Cœ-
Eſa.20 lum, & Terram, inquit ipſe per Prophetam, ego impleo. Et rurſum:
Pſal.138. Cœlum mihi ſedes eſt, & Terra ſcabellum pedum meorum. Si aſcẽ-
dero, inquit Pſalmiſta, in Cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infer-
Hebr.4 num, ades. Omnia, inquit Paulus, nuda, & aperta ſunt oculis eius:
Pſal.138. Si ſumpſero, ait Dauid, pennas meas diluculo, & habitauero in ex-
tremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me
dextera tua. Atque hoc quidem modo Deus omnibus in rebus exi-
ſtit. In ſanctis verò peculiari quodammodo per gratiam inhabitat.

De Immutabilitate Dei. Cap. XII.

QVamuis autem Deus omnia compleat, atque intuea-
tur, & omnibus proſpiciat; motum tamen, muta-
tionem ve aliquam in eo intelligere, profanum eſt,
Mala.3 & à veritate prorſus alienum. Scriptum eſt enim:
Ego Deus, & non mutor. Quidquid enim moue-
tur, aut à potentia aliena, aut à potentia in ipſo-
met exiſtente mouetur. Primo modo, omnia creata mouentur: om
nia enim, quæ à Dei potentia ex nihilo facta ſunt, per eandemmet in
nihilum redigi poſſunt. At Deus, cum nulli potentiæ ſubſit, ab aliena
potentia immutari nequit. Secundo modo creaturas omnes alicui
mutationi ſubiacere conſtat: Nullam tamen mutationem Deo apta-
ri poſſe deprehendemus. Aliqua ita mouentur, vt etiam generentur,
& corrumpantur, veluti corpora inferiora. Aliqua, licet neque
generentur, neque corrumpantur, loco tamen mouentur, vt corpus
cœleſte: Aliqua, vt Angeli, ex electione mouentur, & ex loco in lo-
cum migrant, nunc hic, nunc illic operantes. Deus neque generari,
neque corrumpi poteſt, cum ſit ſummè ſimplex; loco non mouetur,
cum omnia ſua eſſentia compleat; neque ex bono in malum mutatur,
cum ſit ſumme bonus; neque nunc hic, nunc illic operatur, cum om-
nibus in locis ſimul operetur. Cum igitur modum, quo Deus mo-
ueatur, reperire nequeamus, fateamur oportet, ipſum motus, mu-
tationiſque omnis expertem eſſe. Si quando autem motum Deo tri-
bui in ſacris literis legerimus, vt aſcenſum, deſcenſum, iram, & id
genus reliqua, id totum per translationem dictum eſſe intelligamus.
Quapropter audiendi non ſunt Theophronius, & Seuerus: quorum

vterque,

vterque, ille, Liberij Papæ, & Valentiniani Cæſaris; hic, Leonis Romani Pont. & Mauritij Imperatoris temporibus, aſſerere auſi ſunt, Deum non ſemper eodem modo ſe habere, vt pote, qui cognitionem ad præterita, præſentia, & futura transferat. eos enim, qui hoc dicunt, aut imperitos, aut dementes eſſe, neceſſe eſt.

De Æternitate Dei. Cap. XIII.

QVod immutabile eſt, æternum ex neceſsitate eſt. ſi enim æternum non eſſet, aliqua ratione motui ſubiaceret. Cum itaque Deus ſit immutabilis, æternus quoque ex neceſſitate erit. Ipſe igitur eſt æternus, eſt ſua æternitas, nec principium habens, nec finem. Id enim, cuius neque principium, neque finem intelligere poſſumus, Æternum appellamus; quodque non per temporis partes, ſed totum ſimul intelligit. Æternitas ſiquidem, (auctore Boetio) eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Nec quempiam moueat, ſi quando in diuinis libris deprehendet, Aeterni nomen creaturis etiā aptari. tunc enim Æternum non proprie, & per eſſentiam, ſed per participationem accipitur, quatenus ſcilicet, aut terminum non habet, aut diuturnum exiſtit. Hac ratione beatitudo dicitur vita æterna, & ignis inferni, & colles Aeterni appellantur; quandoquidem beatitudo, & ignis inferni nunquam deficient, & colles diuturni exiſtunt.

3. de Con ſol. *Ioan. 17.* *Matt. 16.* *Deut. 23.*

De Vnitate Dei. Cap. XIV.

NON autem ſunt plures Dij, ſed vnus eſt Deus, vt ſcriptum eſt: Audi Iſrael, Deus noſter, Deus vnus eſt. Et rurſum: Nobis vnus Deus. Nam, ſi plures Dij eſſent, Deus perfectus non eſſet. Quod enim alius habet, alij deeſſet. Nanque aut ipſorum quilibet omnes perfectiones contineret, aut eas ipſi inter ſe partiti fuiſſent. quorum vtrunque abſurdum eſt. nam neque ſumme perfectum pluribus conuenire poteſt; (eſſent enim plura actu infinita, quod fieri nequit) neque Deus is eſſet, qui aliqua ex parte eſt imperfectus.

Deut. 6. *1. Cor 8.*

fectus. Præterea, ſi plures Dij eſſent, quo modo vniuerſum conſiſtere poſſet? Vnuſquiſque enim dominandi cupiditate duceretur, atque ita crebras interſe diſſenſiones, inimicitias, odia, bella exercerent. quod quàm à Dei maieſtate alienum ſit, nemo eſt ſanæ mentis, qui non intelligat. Ridendi igitur ſunt, qui, plures Deos aſſerentes, eos orbem Terræ inter ſe ſe diuiſiſſe, bella geſſiſſe, totq. pudendis, ac nefandis
12. Metaph. c. vlt. operibus irretitos fuiſſe fabulantur. quod cum Ariſtoteles animaduertiſſet; Non bona eſt, inquit, pluralitas principatuum. Vnus ergo Princeps. Vnum itaque Deum eſſe fateamur, Deorumq. pluralitatem de medio tollamus: neque Albanenſes, Albigenſes, Apellitas, & id genus hæreticos audiamus, qui duos Deos introduxerunt.

De diuina Beatitudine. *Cap. XV.*

ILLVD, quod tale, ac tantum eſt, quale, & quantum deſcripſimus, hoc eſt ſimpliciſsimum, perfectiſſimum, infinitum, immutabile, æternum, beatiſsimũ etiam eſſe fateri cogemur. Vt igitur Deus eſt ſumme ſimplex, perfectus, bonus, infinitus, immutabilis, æternus; ita ſumme eſt beatus, adeo, vt non ſolum ipſe beatus ſit, verum etiam ſit omnium beatitudo Itaque ipſe ſolus eſt ſumme beatus, quem, qui facie ad faciem intuẽtur, quoq. fruuntur, ſoli beati ſunt. Vis videre, quantum Deus ſit beatus? Contemplare res omnes in Mundo exiſtentes: certe reperies, quidquid beatitudinis in illis inuenitur, in ipſo excellenter præexiſtere. Si beatitudinem quæras contemplatiuam; quæ maior eſt illa, quæ in Deo reperitur, qui & ſui, & cæterarum omnium rerum aſsiduam,
Sap. 8. & certiſsimam contemplationem habet? Sin quæras actiuam, com-
Matth. 6. peries, Deum rerum vniuerſitatem ſuauiter diſponere, regere, & gu-
1. Tim. 1. bernare. Quæris diuitias? ibi ſunt Theſauri, quos neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt, & furantur. Quæris honores? ipſi honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Denique, quidquid aliquam vel minimam beatitudinem præſeferre videtur, in Deo præcipua quadam ratione elucet. Diſceptent hic ſapientiores, an Deus ſecundum intellectum, vel ſecundum voluntatem dicatur beatus. Nos id ſcholaſticis diſputationibus relinquimus diſcutiendum. Illud quidem non ambigimus, Deum, dum ſe intelligit, ſe amare, ſe frui; dumq. ſe amat, & ſe fruitur, ſe intelligere, & omni ex parte beatum eſſe.

Quo

Quo modo Deus à nobis cognoſcatur. *Cap. XVI.*

CVM Deus talis, tantuſq. ſit, imperfectè à nobis adhuc peregrinis cognoſci poteſt. Nos enim, dum mortali hoc corpore induti ſumus, Deum per ſpeculum, & in ænigmate cognoſcimus. Ac naturali quidem ratione pauca admodum de Deo nouimus. quemadmodum enim noctua Solis radios intueri nequit, ita nos, natura filij iræ, peccati, in quo naſcimur, tenebris offuſi, incomprehenſibilem illam Diuinam lucem mētis oculis aſpicere non poſſumus: etſi eam omniū rerum principium intelligimus. quam autē de Deo veritatem ad ſalutem neceſſariam nacti fuimus, Dei donū eſſe animaduertimus. Cum verò ex corporis vinculis, tamquam ex carcere, in cælum euolauerimus, nobis dabitur, eum, quem videre nequiuimus, (nam Deum nemo vidit vmquam) tandem aliquando contueri. Videbimus enim eum, ſicuti eſt, quamuis hoc ipſum naturæ non modo humanæ, ſed etiam Angelicæ facultatem excedat. Sed, quod natura non tribuit, Dei benignitas elargietur, qui, vt, hominis non indigens, hominem propter ſe ipſum creauit, ita tandem ad ſe ipſum adducet, ſi tamen eius præceptis obtemperarit. Cum autem anima Dei eſſentiam videbit, clare, non per aliquam ſimilitudinem, ſed per eandemmet eſſentiam intuebitur. An verò ad videndum Dei eſſentiam, aliquod creatum lumen, quod Lumen gloriæ appellatur, neceſſarium ſit, Thomiſtæ, & Scotiſtæ viderint. Nobis ſit ſatis, ſcire, Dei benignitate hominem Deum viſurum, veluti ſcriptum eſt: In lumine tuo videbimus lumen. Hæc viſio, qua Deus animos donat, eiſdem, cum rurſus corpora ſumpſerint, non denegabitur. In carne mea, inquit Iob, videbo Deum Saluatorem meum. Verum non corporeis oculis, ſed intellectu Deum videbunt. Non enim corporeum id, quod corpore caret, videre poteſt: ſed intellectus ſua acie glorioſum corpus peruadens, Deū intuebitur. Non enim corpus, vt nunc, intellectui officiet. Nam, quidquid nunc obeſt, adeo tenue tunc erit, vt nihil craſſum, quod eius aciem obtundat, relinquatur. At vero Diuinam eſſentiam cernentes, non æquè, ſed hic clarius, ille obſcurius videbit, vt ſcriptum eſt: Stella à ſtella differt in claritate. qui enim maiori præditus erit charitate, ille clarius perſpiciet; qui

Io. 1. *Io. 3.* *Pſ. 35.* *Iob 9.* *1.Cor. 15.*

verò minorem habuerit charitatem, videbit obſcurius. &, quemadmodum in beatis Angelis, ita in beatis hominibus gradus ſunt inæquales. Nam inquit Dominus: In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Quamuis autem beati diuinam eſſentiam videant, ipſam tamen comprehendere nequeunt. Nam, cum illud ex Aug. ſententia comprehendatur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, cuiuſque fines circumſpici, vel circumſcribi poſſint, Deus verò infinitus exiſtens, nullo fine circumſcribatur; fieri non poteſt, vt comprehendatur; etſi poteſt apprehendi, ac teneri. Ex quo etiam fit, vt Deum videntes, omnia, quæ in ipſo ſunt, videre nequeant: non enim vident omnia, quæ Deus facere poteſt. Nam, ſi id eſſet, eius virtutem infinitam (quod eſt abſurdum) prorſus comprehenderent. quare Dionyſius aſſerit, Angelos, quamuis à ſuperioribus, & à Deo purgentur, illuminentur, & perficiantur, futura tamen contingentia, & cordium cogitationes neſcire. Cæterum beati, ea, quæ ſunt in ipſamet Dei eſſentia, intuentes, non per aliquam ſimilitudinem, ſed per ipſammet Dei eſſentiam, intellectui beato vnitam conſpiciunt. Nam, cum nihil ſit in Deo, quod non ſit Deus, per eundemmet Deum, ut ea quæ ſunt in Deo, videri neceſſe eſt. Deus verò non per aliquam ſimilitudinem, ſed per ſuam eſſentiam videtur. Ergo; quæ in Deo ſunt, per eandemmet eſſentiam videntur. Nec exiſtimare debemus, hanc viſionem, qua res in Deo videntur, fragilitatis noſtræ cognitioni, ac viſioni ſimilem eſſe. Namq. hæc per ſimilitudines perficitur. lapis enim, aut quoduis aliud per ſimilitudinem eius viſiuæ potentiæ oblatam videtur, & per eandem intellectui obiectam, & ab intellectu expurgatam, & materialibus condicionibus exutã cognoſcitur. At res, quæ videntur in Deo, quia ibidẽ realiter ſunt ipſæ, ſine aliqua ſimilitudine per ſolam diuinam eſſentiam videntur. Conſidera, quæ in Deo videntur, videri velut in ſpeculo, non quidẽ corporeo, ſed intelligibili. Deinde animaduerte, in ſpeculo corporeo per idem videri ſpeculum, & ea, quæ ſunt in ſpeculo. Nam per ſpeciem ſpeculi tum ſpeculum, tum ea, quæ ſunt in ſpeculo, cernuntur. Hinc intelliges, in ſpeculo illo intelligibili per eandemmet eſſentiã Deum, & ea, quæ ſunt in Deo, videri. Immò facile cognoſces, fieri non poſſe, vt aliter res ſe habeat. Nam, ſi in ſpeculo corporeo, vbi vnio ſimilitudinis in ſpeculo momentanea eſt, (re enim, quæ erat præſens, recedente, euaneſcit) per idemmet videtur ſpeculum, & ea, quæ ſunt in ſpeculo, ſi quis negare auſit, in Deo, vbi rerum, quæ in ipſo ſunt, ſimilitudinum vnio eſt æterna, non per idem videri Deum, & ea, quæ ſunt in Deo, profectò inſaniret. Quæ autem in Deo beati vident.

Io. 14.

In lib. de videndo Deum.

Cæl. hier. c. 2.

dent, omnia ſimul vident. Nam, cum Deus, & quæ ſunt in Deo, per eſſentiam diuinam videantur, quæ vna eſt, non temporis interuallo, non ſeparatim nunc Deum, nunc ea, quæ ſunt in Deo, modo hoc, modo illud vident, ſed omnia ſimul intuentur. Quod enim nos adhuc mortales plura ſimul non intelligamus, neque videamus, illud in cauſa eſt, quoniam non per vnam ſpeciem, ſed per plures plura intelligimus, ac videmus. Quod ſi plurium vna ſpecies adeſſet, tamquam vnum omnia, atque ita ſimul intelligeremus. Cum itaque eſſentia Dei, qua Deus, & ea, quæ ſunt in Deo, videntur, vna exiſtat, neceſſe eſt, vt Beati, & Deum, & quæ in ipſo ſunt, ſimul videant. Quod iis verbis Auguſtinus declarauit: Non erunt volubiles noſtræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes: ſed ſcientiam noſtram vno ſimul conſpectu videbimus. *Vlt. de ciuit. Dei. c. vlto.*

De Potentia Dei. Cap. XVII.

ORdinis ratio poſtulare videtur, vt de Diuinis operationibus diſſeramus. Verum non ab re erit, Diuinæ potentiæ, quæ, quidquid ab ijs iudicatum, imperatumq. fuerit, exequitur, magnitudinem prius contemplari. Qua in re non à Philoſophis rationes petendæ ſunt, ſed ſacrorum librorum auctoritates afferendæ. Philoſophi enim omnes Dei potentiam intra certos limites concluſerunt, neque putarunt Deum omnia poſſe, cum ſibi perſuadere nequirent, ex nihilo aliquid fieri. Quare Ariſtoteles cenſuit, *Phy. 8.* mundum eſſe æternum: Democritus exiſtimauit, ex atomorum concurſu factum: Plato denique, qui Mundi generationem Deo tribuit, *Pla. in Timaeo.* maſſam illam confuſam, ex qua Mundus factus eſt, nô ſecus, ac Deum, æternam fuiſſe affirmauit. At Diuinis litteris edocemur, ex nihilo etiam aliquid fieri, & Mundum ex nihilo à Deo factum eſſe. Diuinis igitur Scripturis inhærentes, potentiæ Diuinæ magnitudinem declaremus. Perſuaſum igitur habeamus, nihil, quod in Deo eſt, humano modo eſſe metiendum, ſed intelligendum, quodlibet ibi eſſe præcipuum, excellens, interminatum, infinitum, veluti quoque Deus interminatus, & infinitus eſt; cum, quidquid eſt in Deo, nihil aliud ſit, quàm Deus: quare potentia Dei interminata eſt, & infinita, veluti Deus: Nam non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. *Luc. 1.* Vide quàm Deus ſit potens; ex nihilo creat omnia, nutu delet omnia, ictu *Pſal. 88.*

oculi inſtaurat omnia. Potens eſt Dominus, & omnes viæ eius in circuitu eius. Nihil eſt, quod facere non poſſit Deus, niſi, quæ fieri non poſſunt; non quòd Deus non poſſit omnia, ſed quoniam rei eſſentiæ repugnat, vt fiant impoſſibilia. Poteſt Deus facere, vt Petrus ſedeat; poteſt item facere, ne ſedeat; ſed non poteſt facere, vt eodem tempore ſedeat, & non ſedeat. Id euenit, non quod Deus non poſſit omnia, ſed quoniam rei eſſentia non patitur, vt Petrus ſimul ſedeat, & non ſedeat, & vt ſint ſimul repugnantia. Non eſt igitur Dei, ſed rerum impotentia, ne poſſint eſſe ſimul. Quapropter acute admodum dicebat D. Thomas, Deum poſſe facere omnia, ſed quæ implicant contradictionem fieri non poſſe. Quod cum Beza Caluiniſta non animaduertiſſet, impudenter Dei omnipotentiam negare auſus eſt. Neque mihi quis obiiciat, Deum non poſſe peccare, non poſſe pati, & id genus reliqua; ex quibus deducat, Deum non eſſe omnipotentem: hæc enim non ſunt potentiæ, ſed imbecillitatis, quæ à Deo excludenda eſt. Quoniam igitur fieri non poteſt, vt repugnantia ſint ſimul, neque fieri poterit, vt, quod eſt præteritum, non ſit præteritum. Nam & hoc eſt repugnans, ſicut dicebat Agatho, teſte Ariſtotele Ethic. lib. ſexto; Deus hoc vno, ſoloq. carere videtur, infectum vt faciat, quod factum eſt, atque peractum. Cui ſententiæ adhæret Hieronymus, ſcribens ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis, dum ait, Cum Deus omnia poſſit, non poteſt de corrupta facere incorruptam. Friuola igitur eſt eorum ſententia, qui arbitrantur, Diuinæ potentiæ detractum iri, cum dicitur, Deum non poſſe repugnantia. Aſpice, quàm argutè Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum c. 5. contra hos inuehatur: Quiſquis, inquit, ita dicit, Si Deus omnipotens eſt, faciat, vt, quæ facta ſunt, facta non fuerint; non videt hoc ſe dicere: Si Deus omnipotens eſt, faciat, vt ea, quæ vera ſunt, falſa ſint. Sed quæret hic aliquis, an Deus poſſit facere, quod non facit? & an poſſit meliora facere, quæ facit? Dicimus, Deum poſſe facere, quæ non facit, cũ eius potentia nullis finibus claudatur; & poſſe meliora facere, quæ facit. Melior quippe eſſet creatura rationalis, ſi eiuſmodi facta eſſet, vt non peccaret; ſed meliori modo ex parte facientis effici non potuit, quàm facta eſt. Diuina enim ſapientia facta eſt. nec vlterius inquiras, cum Deus non fecit illam meliorem. Noli ſcrutari arcana Dei, quæ hominis peruia non ſunt. noli altum ſapere, ſed time: nimis enim periculoſa eſt iſta curioſitas. Neque ſciſcitari multum cures, an humanitate Chriſti, & Beata Virgine aliquid poſſit fieri melius: neque penetralia Dei ingrediaris, ne corruas. Satis eſt, vt ſcias, Chriſtum eſſe plenum gratia, & veritate: de qua plenitu-

Marginal notes: 1. p. q. 25. art. 3. — Eth. 6. c. 2. — Rom. 11. — Io. 1.

plenitudine omnes accepimus:eiq. non fuiſſe datum ſpiritum ad men- ſuram: & Beatam Virginem eſſe gratia plenam, & ſuper choros Angelorum exaltatam. Io. 3. Luc. 1.

De Scientia Dei. Cap. XVIII.

HÆC ſatis ſint de Diuina potentia attigiſſe. Supereſt, vt Diuinas operationes exponamus. Cumq. Diuinarum operationum, aliæ in Deo maneant, vt intellectio, & voluntas; aliæ extra prodeant, vt creatio; atque illæ his ſint priores; par eſt, vt de illis prius agamus. Primo autem loco, quæ ad Dei ſcientiam pertinent, conſideremus. Scientiam in Deo eſſe, nemo eſt, qui infitiari poſſit: dicente Pſalmiſta: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Et Apoſtolo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Hæc autem Dei ſcientia non humano modo, aut ratione ponderanda eſt, cum omnem non ſolum humanam, ſed Angelicam cognitionem excedat. Nam Deus non nunc principia, nunc media, nunc concluſiones cognoſcit; ſed vno, eodemq. momento omnia intelligit. Vaga enim intellectio arguit imperfectionem, quæ omnino à Deo ſecludenda eſt. Deus ſe ipſum, quem alius perfectè intelligere nequit, intelligit; & intelligendo comprehendit. Nam, cum id, quod infinitum non eſt, Deum comprehendere nequeat, Deus ſibi ipſi, qui ſolus infinitus eſt, hoc totum reſeruauit. Deus autem, ſe ipſum intelligendo, cætera etiam omnia intelligit. Illud enim, quod ſe ipſum perfecte intelligit, ſuam quoque virtutem, quantiq. illa ſit, & quidquid poſſit, intelligit. At vero eius virtus ad cætera omnia protenditur: cum omnium cauſa effectrix exiſtat. Ergo neceſſe eſt, ipſum eam intelligere: alias ex neceſsitate conſequeretur, eum, qui omnia efficit, non intelligere quid efficiat. quod quàm abſurdum ſit, Propheta oſtendit, his verbis: Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non conſiderat? Si quis autem interroget, quonam pacto Deus cætera intelligat; facilis eſt reſponſio: Deum in ſe ipſo omnia, quæ extra ipſum ſunt, intueri: quoniam ipſius eſſentia continet ſimilitudines aliorum, quorum perfectiones in ipſo præexiſtunt. Quæ autem Deus intelligit, non confuſe, ſed diſtinctè, neque ſolum vniuerſe, ſed etiam ſigillatim intelligit.

Ps. 130. Ro 11. Ps. 95.

Niſi

Niſi enim hoc pacto intelligeret, imperfecta eſſet eius intellectio.
Neque ſolum nouit ea, quæ ſunt, ſed etiam ea, quæ non ſunt; non
ſolum nouit bona, ſed etiam mala; non ſolum nouit finita, ſed etiam
infinita; non ſolum nouit præſentia, ſed etiam futura; non ſolum no-
uit actus creaturarum externos, ſed etiam internos, & cordium co-
Heb.4. gitationes. Omnia, inquit Paulus, nuda, & aperta ſunt oculis eius.
Rom.4. &: Vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt. Et alibi ſcriptum
Pro. 15. eſt: Infernus, & perditio coram Deo. & rurſus: Dominus ſcit cogi-
Pſ. 93. tationes hominum, quoniam vanæ ſunt. &: Ipſe nouit abſcondita
Pſ. 43. cordis; quod Paulus oſtendit clarius, dicens: Viuus eſt ſermo Dei, &
Heb. 4. efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad
diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medulla-
rum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Et non eſt
vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: Nouit ea, quæ non ſunt, qua-
tenus ipſius potentia eſſe poſſunt. Nouit malum, tamquam boni pri-
uationem. Nouit infinita, licet mundus finem ſit accepturus: quia, &
ſi deficiet rerum generatio, cogitationes tamen rationalis creaturæ
numquam finientur. Præterea nouit ſe ipſum, qui eſt infinitus. No-
uit futura, quoniam cuncta ſunt ei præſentia. At verò duplicem in
Deo ſcientiam conſideramus, alteram ſpeculatiuam, alteram acti-
uam. Speculatiuam appellamus, cuius finis eſt contemplatio; Actiuam
verò, cuius finis eſt actio. Speculatiuam ſcientiam Deus habet de ſe
ipſo, cæteriſq. rebus ab ipſo creatis, quatenus earum rationes in ipſo
exiſtunt. Actiuam verò habet, non de ſe ipſo, neque de rerum ratio-
nibus, nihil enim, quod eſt in Deo, vt ſic, ſub actionem cadit, ſed tan-
tum de rebus, quatenus illæ in propria natura exiſtunt, dum ſe eas
feciſſe, & facere, & facturum eſſe, & facere poſſe cognoſcit.

De Idæis. & primo, Quid ſint. Cap. XIX.

HÆC Dei ſcientia, eorum, quæ ab ipſo fiunt, cauſa eſt. Verum non ſolum quatenus ea intelligit, ſed etiam quatenus approbat, vt efficiat; quam ſcientiam approbationis appellant. Quoniam verò neceſſe eſt, artificem, cum aliquid effecturus eſt, ſi recte operari voluerit, efficiendæ rei ſpeciem prænoſcere, & mente concipere, & Deus omnium rerum auctor ſit, neceſſe eſt, vt in Deo ſpecies, ſeu idæas eſſe ſtatuamus,

mus,

mus, quæ etiam Exemplaria, & rerum Rationes, & Notiones nominantur. Sed age, rem exemplo declaremus. Cum quippiam ab aliquo fit artifice, priuſquam id formetur, eius ſpecies in mente artificis ex neceſſitate reperitur. rei enim, quam ille effecturus eſt, formam mente concipit, cui deinde ſimilem rem efficit. Architectus, priuſquam domum ædificare incipiat, qualis domus forma futura ſit, mente complectitur, cui ſimilem deinceps domum ædificat: quæ forma principium eſt & cognoſcendæ domus, & ædificandæ: ea enim qualis domus futura ſit, cognoſcit, & domum conſtruit. Hæc forma in mente artificis exiſtens, Idæa appellatur: quæ etiam, vt principium cognitionis, vocatur Ratio, & Notio; vt verò principium operationis, Exemplar. Hac eadem ratione in mente diuina Idæas intelligabimus: Deus Opt. Max. eſt vniuerſæ naturæ Molitor. Priuſquam igitur ipſam fabricaret, immo ex omni æternitate eius ſpeciem mente concepit, cui ipſam ſimilem efficeret. Hanc ſpeciem in mente diuina exiſtentem, nunc Idæam, nunc Exemplar, modo Notionem, modo Rationem appellamus. Idæam vocamus, quoniam ſpecies ſeu forma intelligibilis eſt, Exemplar, quoniã principium eſt effectionis; Notionem, ſeu Rationem, quoniam principium eſt cognitionis. Ex Philoſophis primus Pythagoras Idæas introduxit: quē ſecutus Plato, Idæas à materia quidem ſeparatas eſſe, verum in Dei mente exiſtere conſtanter aſſeruit. atque idipſum tum multis in locis, tum præſertim in Timæo, & in lib. de Rep. comprobauit. Hic nolim lectorem Ariſtotelis auctoritate moueri, qui Ethicorum primo, Platonem immerita veritate reprehendit, quod Idæas à Diuino intellectu ſeiunctas eſſe exiſtimauerit. nam, vt verum fatear, numquam id ex Platonis libris quis eliciet, niſi eius verba peruerſe extorqueat. Conſule Plotinum, Alcinoum, Iamblicum, Proclum, alioſq. Platonis Interpretes. quorum ſententiæ D. Aug. lib. 83. quæſt. adhærens, Idæas in mente Diuina ſtatuit, & ſine illis nihil intelligi poſſe confirmat. *Ethic. 1. c. 6*

An vna tantum, vel plures ſint Idææ. Cap. XX.

SED Idæa in mente Diuina exiſtens, num vna ſola eſt, an ſunt plures Idææ? Non defuerunt, qui dicerent, vnam tantum Idæam eſſe. Nam, cum intelligerent, Dei eſſentiam vnam eſſe, ne quid illi detraherent, ne ve confuſum aliquid ibi eſſe fateri cogerentur, vnam tantum Idæam poſuere. Mundum

dum prætereà à Deo factum vnum eſſe animaduertebant. Quare vnam etiam Idæam eſſe putauerunt. Idq. Platonem decimo de Rep. libro ſenſiſſe credebant. At Plotinus in libro de Intellectu, Idæis, & Ente, plures in mente Diuina Idæas exiſtere arbitratur. Quod & verisſimum eſt. Nam neceſſe eſt, Artificem, qui pulchrum aliquid, vt puta domum, conſtructurus eſt, non ſolum ædificandæ domus, ſed etiam partium formam prænoſcere. Niſi enim lapidis, cæmenti, calcis, ligni, atque aliarum rerum, quæ ad domus conſtructionem pertiuent, formas intelligeret, quomodo domus, quæ ex eiſdem conſtat, ſpeciem prænoſcere poſſet? qua quæſo ratione totum ſcietur, ſi partes, ex quibus componitur, ignorentur? Deus Mundi opifex eſt. non ſolum itaque Mundum, ſed etiam eius partes prænouit. quod ſi factum eſt; Idææ quoque plures in mente Diuina, vt ſunt, fuerunt. Non igitur tantum vna, ſed plures Idææ exiſtunt. Neque id Diuinæ ſimplicitati repugnat. nam, licet Idææ plures ſint, tamen non re, ſed ratione differunt; neque aliud ſunt, quàm ipſamet eſſentia Diuina: licet res, quarum ſunt Idææ, re inter ſe diſtinguantur. Neque iccirco ibi eſt aliquid confuſum. Nam, (vt ait Plotinus) ſicut anima, multas ſcientias habens, nihil tamen habet in ſe confuſum, ſed vnaquæque ſcientia ſuum munus exequitur, & vnaquæque notio agit, pura, ab omnibus aliis notionibus expedita; ita, multoque magis, intellectus Diuinus, licet in eo plures ſint notiones, nihil in ſe confuſum, nihil impeditum habet; ſed, quidquid ibi eſt, totum diſtinctum eſt, totum expeditum ſine aliquo ſimplicitatis detrimento; immo, quidquid ibi eſt, ſimplex, & vnum eſt, & ibi omnia vnum fiunt.

Hoc eſt, quod Plato decimo de Rep. dixit, Idæam vnam eſſe, id eſt omnes Idæas ad vnam Idæam reduci. Nam, cum antea Idæas plures eſſe ſtatuiſſet; ne quis crederet, Idæas inter ſe re diſtingui, deinde vnam tantum Idæam eſſe dixit, hoc eſt, omes Idæas ad vnam Idæam, eſſentiam ſcilicet Diuinam referri, vbi Idææ omnes vnum fiunt.

Quo-

Quorum ſint Ideæ. Cap. XXI.

CVM vero conſtet, plures Idæas in mente Diuina exiſtere, adhuc dubitari contingit, num ibi ſpecierum tantum, an verò ſingularum etiã rerum ſint Idæ; &, vtrum animalium imperfectorum, & eorum, quæ ex putredine naſcuntur, & putridarum rerum, & materiæ primæ, & accidentium, & artium, & ſcientiarum, & mali Idæ exiſtant: denique, num Idæ ſint tantum eorum, quæ à Deo facta ſunt, & fient, & fient, an verò etiam illorum, quæ à Deo neque facta ſunt, neque fiunt, ſed tamen ab omnipotenti eius virtute fieri poſſunt. Plotinus, etſi in libro, Vtrum ſingularium ſint Idæ, obſcure admodum loquitur, & modo in hanc, modo in illam partem trahi videtur, in libro tamen de Intellectu, Idæis, & Ente, apertè dicit, ſpecierum tantum Idæas in Deo eſſe, ſingularum verò rerum nequaquam: quod & Plato in decimo de Rep. ſenſit. quapropter Platonici non dicunt, in Deo exiſtere huius, vel illius hominis, ſed ipſius hominis formam: quam etiam ipſum hominem vocant. Animalium quoque imperfectorum, & ex putredine naſcentium, & putridarum rerum Idæas eſſe negat, cenſens id perfectioni diuinæ repugnare: Materiæ etiam primæ Idæam excludit, tum quod illam æternam eſſe cũ Platone arbitratur, (æterni enim non eſt Idæa) tum quod materia imperfectionis omnis principium extat. Accidentium Idæas aliquorum eſſe putat, aliquorum non putat. Artium, & ſcientiarum, quæ imperfectionem arguunt, Idæas non admittit; earum verò, quæ perfectionem indicant, Idæas eſſe non infitiatur. Mali Idæam omnino negat. Idea enim boni tantum eſt. Vtrum autem eorum, quæ Diuina vi fieri poſſunt, non tamen fient, Idæ exiſtant, nihil prorſus decernit. Horum, quæ à Plotino dicuntur, quædam rectè, quædam non rectè dici mihi videntur. Quod enim ait, ſpecierum tantum, non autem ſingularium Idæas eſſe, mihi non probatur. quid etiam impediat, vt imperfectorum animalium, & ex putredine oriundorum, & putridarum rerum Idæ eſſe nequeant, non video. quod verò de artibus, & ſcientijs arbitratur, non parua indiget diſquiſitione. Sed, ne quis forſan hæſitet, ſigillatim de quolibet diſputemus, & rem apertè declaremus. Si ſpecierum tantum, & non etiam ſingularium Idæ in Deo eſſent, im-

perfecta nimirum eſſet Dei ſcientia. Nam, ſi Deus omnia ſcit per Idæam in mente ſua exiſtentem, vt ipſe etiam Plotinus concedit, ſequitur neceſſario, Deum ea non cognoſcere, quorum Idææ in ipſo non ſunt. Si itaque in Deo ſingularium Idææ, quo modo Deus ſingularia cognoſcet? At, inquit, per ſpeciei Idæam. Si, ò bone vir, Deus ſingularia nouit per ſpeciei Idæam, quæro, annon illa Idæa ſint peculiaria cuiuſque ſigna, quibus hoc ſingulare ab illo diſtinguitur; vt pote, hæc, & illa materia, hæc, & illa ſimitas, hæc, & illa curuitas, cæteraque, quibus hoc ab illo oculis diſcernitur? Atqui hoc fieri non poſſe patet. quare Deus per ſpeciei Idæam ea ſolum, quæ rei naturam neceſſario conſequuntur, veluti, quòd homo ſit rationalis, quòd ſit riſibilis, cognoſcet: cætera autem, vt puta, quod hic ſit albus, ille niger, hic curuus, ille rectus, ignorabit: ſed Deus, vt tu quoque fateris, hæc omnia nouit. Ergo per aliam, quàm per ſpeciei Idæam cognoſcit. Neceſſe itaque eſt, ſingularium Idæas ponere, quibus ſingularia cognoſcat. Non igitur ſolarum ſpecierum, ſed etiam ſingularium ſunt Idææ. Nihil etiam impedit, animalium imperfectorum Idæas eſſe. Nam, licet hæc ſint imperfecta, ſi cætera quædam animalia reſpicias, in ſuo tamen genere perfecta ſunt: vt lumbricus animal imperfectum eſt, ſi bouem reſpicias, in lumbricorum tamen genere perfectus eſt. eorum verò, quæ ex putredine naſcuntur, Idæas cur negemus? an, quoniam caſu eueniunt? At non ita eſt: à natura enim, & Solis calore proueniunt, quæ non temerè, ſed ordine ipſis innato agunt. Putridarum quoque rerum Idææ ſunt. Nam, cum & boni, & cuiuſque boni Idæa ſit, putridæ verò res, vt ſunt aliquid, bonæ ſint, ipſarum etiam erunt Idææ: quod ſi in re putrida eſt aliquid mali, illius quidem Idæa non eſt. Boni igitur, cui ſubeſt malum, eſt Idæa, mali verò non eſt. De materia autem prima Plotinus rectè opinatur, ſi ſumatur materia prima ſecundum ſe. Nam, præterquam quod materia prima imperfectionis eſt radix, me mouet illud, quod rerum Idææ eo ſunt ponendæ modo, quo res à Deo ſunt creatæ: ſed materia prima cum forma creata eſt: (nam ſine forma exiſtere nequit) quare materiæ primę vna cum forma Idęa eſt. non autem ipſius materiæ per ſe erit Idæa. De accidentibus ſanctus Thomas ritè cenſet, illorum accidentium, quæ cum ſubiecto naſcuntur, aliam à ſubiecto Idæam non eſſe; (hic enim ſatis eſt, ſi ſubiecti Idæam ponamus) eorũ verò, quæ deinde ſubiecto accedunt, Idæas à ſubiecto ſeparatas exiſtere. Nam, cum neceſſe ſit, hæc à Deo cognoſci, neque cognoſcantur, vt in ſubiecto ſunt, fateri cogemur, vt à ſubiecto ſeiuncta cognoſci: quod ſi ſeparatim cognoſcuntur, ſeparatæ quoque ſunt illorum Idææ. Hinc pendet illius dubitationis ſolutio,

1.p.q.15. art.3. ad 4.

an

an ſcilicet artium, & ſcientiarum ſint Idææ. Arbitramur enim eo pacto de ijs ſentiendum eſſe, quemadmodum de accidentibus, quæ ſubiecto ſuperueniunt. Et, licet ſint quædam artes, quæ imperfectionem ſapiunt; illarum tamen Ideæ ſine vlla imperfectione in Deo exiſtunt. Mali non eſt Idea: quo modo enim eius, quod nihil eſt, erit Idea? At, quo pacto, inquies, Deus cognoſcit mala, ſi eorum non ſunt Ideæ? Deus malum cognoſcit per Ideam boni: eadem enim Idea priuatio, & habitus cognoſcuntur: cæcitatem enim per viſum cognoſcimus. Atqui malum eſt priuatio boni. Quare malum per boni Ideam cognoſcitur. De iis autem, quæ numquam fient Ideæ, eatenus ſunt, quatenus Deus cognoſcit, illa ſuæ virtuti ſubiecta eſſe. Quapropter reminiſcere eorum, quæ ſuperius diximus, Ideas eſſe principium tum operationis, tum cognitionis; &, vt principium operationis exemplaria; vt principium cognitionis, notiones appellari. Tunc facile dubitationem ita ſolues: eorum ſcilicet, quæ numquam fient, Ideas, vt principium operandi, non eſſe; vt verò principium cognoſcendi, in mente diuina reperiri. De Ideis malè ſenſit Almericus quidam, qui aſſerebat, Ideas creare, & creari. Verùm is Innocentio Tertio Pontifice damnatus, & demum Pariſiis exulſus fuit.

De Diuina voluntate. Cap. XXII.

POST hæc de Dei voluntate agamus. Voluntatem in Deo eſſe oſtendit Apoſtolus, cum dixit, Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei. Et: Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. Deus autem ſua voluntate non ſuam ſolum vult bonitatem, ſed quoniam bonus eſt, (boni enim proprium eſt, vt ſe ipſum diffundat) alios etiam ſuæ bonitatis participes efficit: quapropter Mundum creauit, hominemq. propter ſe ipſum formauit, vt ſcilicet eum ſibi tandem coniungeret. Hinc eſt, quod homines, ſuæ infuſione gratiæ indies expurgat. Id verò totum non ex neceſſitate, ſed liberè efficit, non quoniam cogitur, ſed quoniam vult. Nam, licet ſuam bonitatem eſſe ex neceſſitate velit, (non enim poteſt non velle, ſe bonum eſſe) libere tamen illam aliis impartit. Hæc Dei voluntas adeo efficax eſt, vt ſemper, quocumque te vertas, impleatur: &, ſi aliquando euenit, vt nobis videatur non impleri, res tamen ſe aliter habet. Diuina enim voluntas ſemper impletur: ſemper

Rom. 12.
Theſſ. 4.

enim Dei ordo permanet. Nam, ſi quis aliqua in re ex vna parte Diuinæ voluntatis ordinem tranſgreditur, ex altera ſtatim in illum incurrit. Incidat quiſpiam in delictum. quis dubitet, eum Diuinæ voluntati repugnare, qua vult, omnes homines ſaluos fieri? verum, dum Diuinæ voluntati aduerſatur, in pœnam, Deo volente, peccatoribus præparatam incurrit. Vides ne igitur, Diuinæ voluntatis ordinem permanere? At mirum non eſt. voluntati enim Dei quis reſiſtit? Nonne Deus omnia quæcumque voluit fecit? Ex ijs perſpicuum eſſe poteſt, Dei voluntatem ſemper impleri. Verum, ne in lectorum animis aliqua relinquatur ambiguitas, cū voluntas Dei multifariam à Theologis diſtinguatur, ipſas in medium diſtinctiones afferamus, non quod Dei voluntas multiplex ſit, ſed vt facilius, quæ dicuntur, intelligi poſſint; atque manifeſtiſſimè appareat, quonam pacto Dei voluntas impleatur. Ac Damaſcenus quidem diſtinguit volūtatem in Antecedentem, & Subſequentem. Antecedens eſt, quæ generaliter, &, vt ita dicam, in communi conſideratur: Subſequens eſt, quæ in ſingulari intelligitur. Exempli gratia: Rex vellet omnes, qui ſuæ ditioni ſubſunt, bonos eſſe. verum, ſi quis delinquat, vult illum puniri. Prima voluntas, Antecedens; ſecunda, Subſequens appellatur. Ita quoque Deus vellet omnes homines ſaluos fieri; delinquentibus tamen pœnas irrogat, quemadmodum bonis præmia elargitur. Ea voluntas, qua vult omnes homines ſaluos fieri, Antecedens; ea, quæ pœnis, aut præmiis afficit, Subſequens appellatur. Ac prima non proprè voluntas, ſed potius deſiderium quoddam dici poteſt, quod Velleitatis nomine vulgo exprimunt; ſecunda verò propriè Voluntas nominatur. prima, quoniam non propriè voluntas eſt, non ſemper impletur: de qua Apoſtoli dictum intelligitur, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire. Nam, licet Deus, quantum in ſe eſt, velit omnes homines ſaluos fieri; non tamen omnes ſalui fiunt. At ſecunda voluntas, quia propriè voluntas eſt, ſemper impletur. Alij verò, hac diſtinctione reiecta, dicunt, vnam Dei eſſe voluntatem, quam etiam Beneplacitum appellant, eamq. ſemper impleri. De hac dictum eſt, Voluntati eius quis reſiſtit? De hac Aug. dictum illud interpretatur, Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Nam id accommodate dictum eſſe ait: vt ſit ſenſus: Omnis, quiſquis ille ſit, qui ſaluatur, Dei voluntate ſaluatur. Alij ita interpretantur: Deus vult omnes homines, id eſt, ex omni genere hominum tam Gentilium, quàm Iudæorum, tam maſculorum, quàm fœminarum, aliquos ſaluos fieri. Vtcumque ſit, nulli dubium eſſe debet, hanc Dei voluntatem, hoc eſt beneplacitum ſemper impleri. Hic illud adnotandum

1.Tim.2. *Rom.9.* *Pſ. 113.* *Ort.fi. li. 2.c.29.* *1.Tim. 2* *lib. 1. de prę. ſanctor. c.8.*

dum eſt, interdum in ſacris litteris Voluntatem pro voluntatis ſigno accipi, atque illud, quod eſt Diuinæ voluntatis ſignum, Voluntatem appellari. Diuinæ verò voluntatis ſigna quinque ſunt, Præceptum, Prohibitio, Conſilium, Permiſſio, & Operatio. Horum quædam ſemper implentur, quædam minimè. Præceptum, prohibitio, & Conſilium, non ſemper implentur. Nam homo, & Præceptum ſæpenumero tranſgreditur; & quod prohibitum eſt, patrat; & quod conſultum eſt, non exequitur. Illud igitur conſtanter fateamur, voluntatem, ſeu beneplacitum Dei ſemper impleri; ſigna autem voluntatis eius non omnia, ſed quædam, vt demonſtratum eſt, ſemper impleri.

Voluntatem Dei immobilem eſſe. Cap. XXIII.

VERUM dicet aliquis, Quonam pacto voluntas Dei ſemper impletur, ſi mutabilis eſt? Nam legitur, pænituiſſe Deum, quod hominem feciſſet in Terra. Quapropter diluuij aquis illum deleuit. Gen. 6.
Et alibi ex perſona Dei ſcriptum eſt: Loquar aduerſus gentem, & aduerſus Regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Sed, ſi pænitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pænitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Quid? Nonne prædictum eſt Ezechiæ, Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues? & tamen aliter euenit. Si igitur Deum pænitet, & ipſe, quod prædicit, non perficit, quomodo Dei voluntas ſemper impletur? Quamuis hæ auctoritates negocium faceſſere videantur: nihil tamen obſtant, ſi recte intelligantur. Non enim voluntas Dei mutatur; quamuis Deus rerum velit mutationem. Poteſt enim quis, eadem voluntate immobili permanente, velle hodie ædificium conſtruere, cras verò deſtruere. Neque dicitur voluntas mutari, quando rerum vult mutationem, ſed quando aut incipit velle, quod prius nolebat, aut incipit nolle, quod prius volebat. Quo modo igitur inquit Scriptura Deum pænituiſſe? Humano more Moyſes locutus eſt: non enim in Deum paſſio aliqua cadere poteſt: ſed, quoniam homines tunc facti pænitet, cũ ipſi factum deſtruunt, quia Deus hominem, quem fecerat, deleuit, Scriptura illum pænituiſſe pronunciat. Simili modo, cum homo aliquid minatur, neque exequitur, ipſum dicitur pænituiſſe.

Ierem. 18.
4. Re. 20

Quo-

Quoniam ergo Deus interdum minis terret, neque factum minis reſpondet, dicit Scriptura, ipſum pænitentiam agere. Quod verò non fiat, quod minatus eſt, illud in cauſa eſt, quoniam non fuit in eius æ-
Io. 2. terna voluntate, vt fieret. Minatur autem, vel ut homines in peccatum non incidant, vel vt tandem reſipiſcant. Minatus eſt mortem Ezechiæ, vt in iuſtitia permaneret. Minatus eſt ſubuerſionem Niniuitis, vt pænitentiam agerent. Non itaque mutabilis eſt Dei voluntas, quamuis eius voluntate rerum fiat mutatio. quod ſi non mutatur, nihil prohibet, ipſam ſemper impleri.

Voluntatem Dei rebus neceſsitatem non imponere. Cap. XXIV.

EX iis, quæ dicta ſunt, voluntatem ſcilicet Dei ſemper impleri, conſequi videtur, omnia ex neceſſitate euenire, & Dei voluntatem omnibus rebus neceſſitatem imponere. ſi enim nihil eius voluntati reſiſtit, neceſſe eſt fieri quidquid ipſe vult. Cum verò nihil fiat, quod non velit, omnia ex neceſſitate euenient. Vbi igitur eſt contingens? vbi eſt arbitrij libertas? vbi bonum? vbi malũ? vbi meritum? vbi tranſgreſſio? vbi iuſtitia? quorſum præmium? quorſum ſupplicium? ſi enim omnia ex neceſsitate eueniunt, horum vnumquodque tolli neceſſe eſt. Non defuerunt, qui, hac praua perſuaſione inducti, dicerent, voluntatem Dei omnibus rebus neceſſitatem imponere. At hæc opinio à veritate abhorret. Non enim omnes effectus neceſſarij ſunt; ſed quidam ſunt neceſſarij, quidam cõtingentes. Neceſſarium eſt, Solem oriri, & occidere. Socratem verò ſedere, contingens eſt: itemq. omnes effectus ab arbitrij libertate pendentes contingentes exiſtunt. Huius rei ea cauſa eſt, quoniam Deus alijs effectibus alias cauſas aptauit, neceſſarijs neceſſarias, contingentibus contingentes; atque ita quoſdam effectus neceſſarias, quoſdam contingentes producit. Hic eſt ordo Diuinæ voluntatis, qui immutari non poteſt, cui reſiſtere nequimus. Non igitur ex eo, quod Dei voluntati nihil reſiſtit, omnium effectuum neceſſitas inducitur; ſed illud demonſtratur, Diuinæ voluntatis ordinem permanere, neque à creatura poſſe aliquo pacto immutari. Ita in rebus remanet contingens, liberum arbitrium, bo-

num,

num, ac malum, quibus aut præmia meremur, aut pœnarum rei ſumus: & Deus iuſtus eſt, qui bonis præmia tribuit, & malis pœnas infligit.

De amore Dei. Cap. XXV.

QVONIAM Deus bonus exiſtens ſuam cæteris rebus bonitatem impartiri non deſiſtit, neceſſe eſt, vt illas prius dilexerit. Quo modo enim, quod non diligit, ſuæ bonitatis particeps efficietur? niſi fortaſſe aut nolens agat, aut ex accidenti. Nemini enim propoſitum eſt, eum, quem odit, beneficio afficere. Quod ſi forſan beneficio affecerit, aliter profecto eueniſſe putandum eſt, quàm mente conceperat. Quoniam autem Deus ex propoſito agit, neque aut nolens, aut ex accidenti operatur, neceſſe eſt, vt eum, in quem beneficium contulerit, prius dilexerit. Huic rationi Scriptura ſacra aſſentit, dum prædicat, Deum omnia diligere, quæ ſunt, & nihil eorum, quæ fecit, odiſſe. Sap 2. Verum, quid mirum eſt, eum omnia diligere, qui eſt ſumma dilectio? Deus enim (ait 1. Io. 4. Ioannes, charitas eſt. Non autem omnia æquè Deus diligit, ſed alia magis, alia minus. Omnia, inquit Auguſt. diligit Deus, quæ fecit, & Aug. ſu- inter ea magis diligit creaturas rationales, & ex illis eas amplius, quę per Ioan. ſunt membra vnigeniti ſui, & multo magis ipſum vnigenitum ſuum. trac. 100 huius rei illud apertiſſimum eſt ſignum, quòd Deus alijs maiorem alijs minorem gratiam infundit: alijs maiora, alijs minora dona elargitur. Quis verò dubitet, eum, qui maiori munere dignus cenſetur, magis diligi? Maioris enim doni largitas maiorem indicat dilectionem. Id autem non dicimus, quod putemus actum Diuinæ voluntatis intendi, & remitti; (abſit enim, vt id arbitremur) ſed illud aſſerimus, à Deo, vno, & eodem actu ſemper vniuſmodi exiſtente, aliis maiora, alijs minora dona deferri, prout ſuæ collibitum fuerit voluntati, cuius ratio neque afferri poteſt, neque cogitari. At dicet aliquis: Quomodo verū eſt, Deum omnia diligere, ſi ipſe quædam odit? Nonne odit peccatores? Scriptum enim eſt: Odiſti omnes, qui operantur Pſ 5. iniquitatem. Nos dicimus, Deum omnia diligere: in peccatoribus autem non naturam, neque id, quod eſt, odio habere, ſed peccatum, quod natura exiſtens non eſt, ſed potius priuatio quædam, quæ etiam Io. 1. in ſacris literis Nihil appellatur.

De iu-

De Iuſtitia, & Miſericordia Dei. Cap. XXVI.

POST Dei dilectionem minus quidam Diuinæ voluntatis ordo conſiderandus eſt, iuſtitiæ ſcilicet, & miſericordiæ: qui, licet in puniendo ſeueritatis aliquid adhibeat, à dilectione tamen non eſt alienus, ſed ipſi maximopere conſonus, dum bonis maiora meritis præmia, & malis minora debitis ſupplicia retribuuntur. Nam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit; & miſericors eſt, & miſerator. Quod iuſtus ſit, ex eo intelligitur, quod reddit vnicuique iuxta opera ſua, iis, qui, ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, iram, & indignationem, tribulationem, & anguſtiam. Neque cum malos punit, eos non diligit: nam diligit naturam, ſed odit peccatum: & iuſte naturam punit, quam diligit, quia natura dilexit peccatum, quod ipſe odit. Iuſtus igitur Deus eſt: nec minus eſt miſericors. Nam propter miſericordiam ſuam miſit Filium ſuum in Mundum, factum in ſimilitudinem carnis peccati, vt nos à peccato redimeret: Propter ſuam miſericordiam nos in cælos adducit. Hæc Dei miſericordia nihil aliud eſt, quàm alienæ miſeriæ expulſio. Tunc enim Deus creaturæ miſeretur, cum eius miſeriam expellit. Nos, cum alterius miſeremur, triſtamur, & alienæ miſeriæ, quantum in nobis eſt, opem ferre expetimus. At Deus, quoniam pati nequit, non triſtatur, ſed miſeriam, in qua alter detinetur, expellit. Quare ex ea parte, qua paſſio non eſt, miſericordia in Deo reperitur; ex qua verò parte paſſio eſt, ab ipſo ſecluditur. Hæc Dei miſericordia à Dauide ſuper omnia Dei opera exaltatur. Miſerationes eius, inquit ille, ſuper omnia opera eius. Dum enim Deus miſeretur, aut liberalitatem omnia ſuper excedentem, aut benignitatem inenarrabilem oſtendit, ſeq. & immenſa donare, & offenſas condonare manifeſtat, noſq. inſtruit, vt cæteris miſericordiam impartiamur. Recte itaque dicebat Iacobus: Miſericordia exaltat iudicium. Iuſtus igitur Deus eſt, & miſericors. Hic illud diligenter adnotandum eſt, has duas, vt humano more loquar, virtutes, in operibus, quibus Deus pro operum ratione, aut præmia, aut ſupplicia retribuit, adeo connexas eſſe, vt ſemper altera alteram comitetur. Nullum enim huiuſmodi opus eſt, in quo vtraque

Pſ. 10. *Pſ. 110.* *Rom. 2* *Rom. 8.* *Pſ. 144.* *Iac. 2.*

non

non reperiatur. Nam, vbicumque Deus iuſtitiam exercet, ibi miſericordiam adhibet; &, vbicumque miſericordiam commonſtrat, iuſtitiæ non obliuiſcitur. Quapropter, inquit Propheta, Omnes viæ Domini, miſericordia, & veritas. Per Veritatem autem intelligit iuſtitiam. Nam, quemadmodum per veritatem res intellectui exequatur, ita Deus per iuſtitiam omnia æquat, vnicuiq. id, quod ſibi conuenit, retribuens. Et alibi idem ait: *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi; Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt.* Sed rem exemplo clariorem reddamus. Deus iuſtificat impium: hoc opus eſt miſericordiæ: damnat malos: hoc opus eſt iuſtitiæ. Sed, cum iuſtificat, miſericordiæ iuſtitiam commiſcet: facit enim, quod ſuæ maieſtati congruit, dum ei, qui alieno peccato (vt in pueris baptizatis contingit) damnandus erat, benignè ſuccurrit; aut illi, (vt in adulti iuſtificatione videre eſt) qui, quod in ſe erat, ex auxilio Diuino fecit; facinora relaxat. Videmus ne, vt hic iuſtitia cum miſericordia inueniatur? Cum enim Deus gratiam infundit, opus oſtendit miſericordiæ; cum id, quod ſuam decet maieſtatem, efficit, eam demonſtrat iuſtitiam, quæ diſtribuentis dignitatem valde commendat. in diſtributiua enim iuſtitia maximè ſpectatur, quid ipſum deceat donantem. Econtrariò, cum Deus malos punit, cum iuſtitia miſericordiam commiſcet. Nam, etſi exercet iuſtitiam puniendo, miſericordiam tamen admiſcet, dum peccatoribus minores, quàm peccati grauitas poſtulat, pœnas infligit. Nec quempiam moueat, quod ſcriptum eſt apud Iacobum de impio: Iudicium ſine miſericordia fiet ei. Nam non loquitur Apoſtolus de miſericordia, quæ pœnas imminuit, ſed de ea, quæ pœnas omnino tollit. Etſi enim Dei miſericordia non adeo protenditur in iniuſtis, & damnatis, vt pœnas tollat; illas tamen aliqua ex parte imminuit. Ex his perſpicuum eſt, Deum eſſe miſericordem, & iuſtum, & in omnibus retributionis operibus iuſtitiam cum miſericordia, & miſericordiam cum iuſtitia commiſcere.

Pſ. 24.

Pſ. 8.

Iac. 2.

DIVINARVM INSTITVTIONVM LIBER SECVNDVS.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

Democriti, & Epicuri de Prouidentia opinio. Cap. I.

RELIQVVM eſt, vt de Diuina agamus Prouidentia, quæ tum ſcientiam, tum voluntatem, tum potentiam includit. Nam nemo, niſi ſciens, volens, ac potens, rei cuipiam prouidebit. Quomodo enim ijs, quæ non nouit, quis prouideat? Nec ſatis eſt noſſe, niſi velit; neque ſufficit noſſe, ac velle, niſi deinceps exequi poſſit. Communis hic locus eſt Philoſophis, ac Theologis. Nam non modo ſacrarum literarum auctoritate, ſed etiam rationibus à natura ſumptis Prouidentiam eſſe demonſtrari poteſt. Primum verò cum Philoſophis congredimur: deinde propoſitum ex Diuinis Scripturis oſtendemus; ac ſimul redarguemùs eos, qui, licet ſe Chriſtianos profiteantur, ſacris tamen libris aduerſantia proferre non verentur. Hac verò in re declaranda hunc ordinem ſeruabimus. Primo loco inueſtigabimus, an ſit Prouidentia; ſecundo, quid ſit; tertio, quorum ſit; quarto, de Prædeſtinatione, præcipua Prouidentiæ parte; poſtremo, de rerum gubernatione differemus.

Democritus, & Epicurus, ſentientes, Mundum non Dei ſapientia, ſed temerè ex atomorum figura, ordine, & poſitura differentium concurſu factum eſſe, in impietate, quam ſemel imbiberunt, perſiſtentes, Prouidentiam de medio ſuſtulerunt, Deum otioſum eſſe aſſeruerunt, neque inferiora curare. Vnde etiam deducebant, nullum Deo cultum eſſe adhibendum. Cum itaque cenſuiſſent, Mundum caſu factum

eſſe,

eſſe, ne pugnantia dixiſſe conuincerentur, conſtanter affirmarunt, eundem caſu gubernari. Atque in hunc prope modum argumentantur. Si, inquiunt, Deus inferioribus prouideret, non beatam, ac tranquillam, ſed miſeram, & laborioſam, vitam duceret: quod à Dei maieſtate eſt alienum. Præterea, quo nam pacto omnibus in locis præſto eſſe poſſet? Illud quoque, aiunt, demonſtrat, prouidentiam non eſſe, quod ſæpe fulmina templa Deo dicata tangunt, quod innocentes affliguntur, & impij donis, atque honoribus afficiuntur: accedit, quod Deus ſuam abijceret maieſtatem, ſi inferiora aut curaret, aut contemplaretur. Hæc, atque iis ſimilia ebſtrepunt, vt Dei prouidentiam de medio tollant. Horum improbitatem Lucretius primo libro verſibus ad cælum effert:

Omnis enim per ſe diuum natura neceſſe'ſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaq. longe.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Verùm in ſecundo libro pluribus verbis eandemmet impietatem commendat, ita dicens:

Nam (proh ſancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placitum degunt æuum, vitamq. ſerenam)
Quis regere immenſi ſummam, quis habere profundi
Indumanu validas potis eſt moderanter habenas?
Quis pariter cælos omnes conuertere; & omnes
Ignibus ætherijs terras ſuffire feraces?
Omnibus inq. locis eſſe omni tempore præſto,
Nubibus vt tenebras faciat, cæliq. ſerena
Concutiat ſonitu? tum fulmina mittat; & ædes
Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens,
Sæuiat exercens telum: quod ſæpe nocentes
Præterit, exanimatq. indignos, inq. merentes?

Horum peruerſitati Diagoras, & Protagoras multo ante fauiſſe videntur: quorum ille negauit, hic addubitauit Deum. Qui enim Deum eſſe infitiatur, Prouidentiam protinus tollit: qui verò Deum eſſe dubitat, neceſſe eſt, vt Prouidentiam eſſe aut prorſus abneget, aut ſaltem in dubium reuocet.

De Caſu, & Fortuna. *Cap. II.*

HANC impietatem tamquam à veritate alienam, & Chriſtianæ Reip. pernicioſam, non ſolum reijcimus, ſed etiam deteſtamur. Quare tum illam cõfutare, tum aduerſariorum rationibus reſpondere enitemur, vt fideles ea, quæ ex Diuinis libris legenda proponemus, facilius intelligant, & auidius amplectantur. Verum, antequam id faciamus, pauca demonſtrandum eſt, quid ſit Caſus, & quid Fortuna; ne forte contingat, lectorem aliqua ambiguitate detineri. Cauſarum itaque naturalium, aliæ ſunt per ſe, aliæ ex accidenti. Cauſa per ſe, eſt illa, quæ natura, aut etiam ex propoſito operatur: veluti dicimus, ignem calefacere, aquam humectare, animal ſentire, hominem ratiocinari. Hæ ſunt cauſæ per ſe: ignis enim per ſe cauſa eſt caliditatis, aqua humiditatis, animal ſenſus, homo ratiocinationis. Nam ignis natura calefacit, aqua natura humectat, animal natura ſentit, homo natura, atque etiam ex propoſito ratiocinatur. Quod ſi interdum aliud eueniat, quàm id, quod natura intendebat, dicimus, illud ex accidenti contigiſſe, & caſu, aut fortuna factum eſſe; & eius caſum, aut fortunam cauſam eſſe; veluti, ſi ſaxum deorſum cadens aliquem percutiat. Hic quidem natura intendebat, vt ſaxum deorſum caderet; ſed contigit, aliquem ab eo percuſſum fuiſſe: id caſu eueniſſe dicimus; nam fuit præter naturæ intentionem, vt ſaxum aliquem percuteret. Caſus igitur, & Fortuna, ſunt cauſæ ex accidenti in iis, quæ præter naturæ intentionem contingunt. Differt autem Caſus à Fortuna, licet vtrumque ſit cauſa ex accidenti, quod Caſus eſt in iis, quæ non operantur ex electione; at Fortuna in ijs, quæ ex electione agunt. Verbi gratia: cum ſaxum decidit, & alium percutit, percuſſio eſt caſu; nam ſaxum electione caret, quòd ſi quis forum petiit, vt carnes mercaretur, ei verò obuius factus eſt, qui pecuniam debebat, atque illam recepit, fortuna recepiſſe dicitur: is enim, qui in forum iuit, ex electione iuit, etſi non iuit, vt pecuniam reciperet. Itaque tam Caſus, quàm Fortuna ſunt cauſæ ex accidenti; ſed differunt, ea, quam attulimus, ratione. Democritus, & Epicurus affirmarunt, Mundum caſu factum eſſe: poſuerunt enim infinitam indiuiduorum corpuſculorum multitudinem: & ex temerario illorum inter ſe con-

curſu

curſu confixerunt eueniſſe, vt Mundus fieret. Cum igitur ſibi perſuaſiſſent, Mundum caſu factum eſſe, caſu etiam eundem regi aſſeruerũt; atque ita Diuinam Prouidentiam, quantum in ipſis fuit, ablegarunt.

De ſignis Diuinæ Prouidentiæ. *Cap. III.*

SED certe multa ſunt Diuinæ Prouidentiæ ſigna, ſi naturæ ordinem, atque euenta contemplemur. Cælum cernimus regulari quodam motu ſemper ferri: aſtrorum miram videmus diſpoſitionem: temporum viciſſitudines, eodem modo quotannis ſe habentes experimur; noctes ac dies ordinata quadam conuerſione fieri animaduertimus. Quis hæc tam pulchra, tamq. mira, Caſu potius, quàm Prouidentia fieri aſſerere audeat? Magni periculi res eſt, ordinatos effectus in cauſam inordinatam redigere: immo ſummæ dementiæ eſt, perfectum, quod ad ordinem pertinet, ad imperfectiſſimum, quod ad inordinatum ſpectat, principium reuocare. Conſideret quiſpiam animalium irrationalium naturas, numquam tam proteruus erit, ſi rationi velit aſſentiri, vt neget Prouidentiam. Grues nocturnas vigilias viciſſim agunt: earumq. aliæ ſe ſomno dant; aliæ, circumuolando, cæteris, dũ dormiunt, ſecuritatem præſtant. deinde, quæ excubauerant, vigiliarum tempore expleto, voce vna edita, dormitum ſe conferunt: cui aliæ, in officio ſuccedentes, non minori vigilantia ſocias ſecuras reddunt. in volatu quoque altera alteri viæ ducem ſe inuicẽ præbet. Longum eſſet in Piſcibus operantem prouidentiam enarrare. Illud non ſubticuerim, eſſe quoſdam piſces, qui ſtato tempore in Aquilonale fretum, hoc eſt in Propontidem, & Euxinum, velut agmine quodam facto, migrant, & tam longam capiunt peregrinationem, vt eorum fœtus enutriri poſſint. Nam, cum ea aqua dulcior ſit, propterea quòd Sol, modicam ibi moram trahens, non adeo, quod potui aptum eſt, ſuis radijs abſumit, magis idonea eſt ad genitos eorum fœtus alendos. Cum verò fœtus ad iuſtam magnitudinem peruénerunt, ſecum eos aſſumentes, eodem, quo venerant, ordine in propria loca reuertuntur. Quod ne putes fabulam eſſe, D. Baſilius in ſermone de Prouidentia, & ſeptima ſuper Geneſim homilia, ſe vidiſſe teſtatur. Vrſa, grauiſſimis vulneribus affecta, Verbaſci contactu, quæ herba ſicca eſt, ſibi medetur. Vulpes lachrymis, & glutino

Pini

Pini ſe curat. Teſtudo, Viperæ carnibus ſatiata, ab Origano auxilium petit. Serpens paſto Feniculo, Oculorũ doloribus medetur. Formica, æſtate ſibi victum pro hieme parat. Verũ, quid opus eſt exemplis? cum natura ipſa proclamare videatur, nihil in rerum vniuerſitate reperiri, in quo prouidẽtiæ imago non eluceat? Sed vnum eſt, quod reticere nequeo: ex quo quolibet in prouidentiæ cognitionẽ, velit, nolit, ducetur; niſi idem, aut furore actus rationis limites prætergredi voluerit, aut ingenij imbecillitate detentus veritatem amplecti recuſauerit. Conſiderandam verò ante mentis oculos conſtituo fœtus in vtero formationem. Semen quale ſit, omnes norunt: ſciunt enim eſſe paruum quoddam ſanguinis mundi, & concreti fruſtum, album, molle, eundem ex omni parte colorem referens; neque diſcernere queunt, qua ratione pars a parte differat. Hoc idem ſemen, cum ab vtero ſuſceptum fuerit, paulatim coaleſcere incipit, & alia pars iecur, alia cor, alia cerebrum euadit, & hæc portio in oſſa, illa in carnem mutatur; &, licet nullum in ſeminis particulis diſcrimen internoſcatur, aliæ tãmen partes duritiem, aliæ mollitiem induunt; &c., vt ſummatim dicam, ex eadem prorſus materia fit calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum, craſſum, & tenue, durum, & molle: præterea, oſſa, neruĩ, arteriæ, venæ, muſculi, tendines, ligamenta, & quæcunque alia in animali reperiuntur, miro quodam ordine inter ſe congruunt, atque adeo lepidè componuntur, vt peruicax omnino putandus ſit, qui, hunc ordinem ab inordinata cauſa proficiſci, vel mutire auſus fuerit. Admirandum quoddam euentum de Ibyco Poeta, Gregorius Nyſſenus commemorat, clariſſimum Diuinæ Prouidentiæ indicium. Is Ibycus, cum à latronibus interficeretur, & neminem aut adiutorem, aut ſceleris teſtem haberet, ſuperuolantes vultures forte conſpiciens:

Gregor. Nyſſ phi. li. 8. c. 1.

Meam (inquit) necem vlciſcimini ò vultures. Cumq. Co-
rinthij, in Theatro congregati, interfectorem quære-
rent, neque inuenirent, continuo vultures ſu-
peruolarunt. quos homicidæ intuentes,
En (aiunt ridentes) vltores Ibyci.
Hæc verba cum quidam propè
aſſidens intellexiſſet, Princi
pi annunciauit, qui par
ricidas quæſtione
crimen confeſ-
ſos ſuppli-
cio affe
cit.

Solu-

Solutio rationum Epicuri, & Democriti. *Cap. IV.*

RATIONIBVS verò Democriti,& Epicuri,non difficile eſt reſpondere, cum multa,& vana, & impia contineant: videlicet; Mundum caſu factum eſſe, & caſu gubernari; Deum eſſe otioſum; Religionem, inane quoddam inuentum eſſe,ad decipiendos homines excogitatum; Diuinæ Maieſtati non congruere, inferioribus prouidere. Quæ omnia etſi facile à quouis iudicari poſſunt; ne tamen inertes videamur, breuiter refutabimus. Atque illud, Mundum caſu factum eſſe, ſupra improbauimus, cum diximus, non conuenire, rerum vniuerſitatem tam præclaro ordine diſpoſitam, à temeraria, & inordinata cauſa initium ſumpſiſſe. Quanto melius Epicurus cum Moyſe dixiſſet, In principio creauit Deus cælum, & terram; & cum Propheta: Verbo Do- *Gen. 1.*
mini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Cum *Pſ 23.*
itaque Mundus caſu factus non ſit, continuo rationes omnes ruunt, quæ ipſum caſu gubernari aſtruunt. Quod autem Epicurus Religionem reſpuit, id hominum mentibus aduerſatur, qui iam conſtanter ſibi perſuaſerunt, religionem rem quandam (vt eſt) Diuinam eſſe: Deoq. vt rerum omnium procuratori,continuum cultum eſſe tribuendum. Quod profectò non facerent, niſi Deum omnibus prouidere exiſtimarent. Quod verò dicunt, Deum eſſe otioſum, per ſe quidem abſurdum eſt. Quid enim magis abſurdum eſſe poteſt,quàm dicere, bonum non benefacere, neque alterius vtilitati conſulere? Ipſi autem Epicuro id erat maximè conueniens, qui, cum, ſuis inſtar, eſſet otioſus, ſibi non ſolum homines, ſed etiam Deum ſimilem eſſe putauit. At ſuam (inquit) Deus abiiceret Maieſtatem,ſi inferiora aut diſponeret, aut etiam contemplaretur. Non negat Epicurus,Deum eſſe bonum: nam,quem beatum conſtituit, ex neceſſitate bonum eſſe confitebitur: non enim beatitudo ſine bonitate conſiſtere poteſt. Si itaque Deus inferioribus non prouidet,facit id, quod bonitati repugnat. Boni enim proprium eſt, vt ſe ipſum diffundat. Quanto igitur aliquid ſuam bonitatem latius diffundit, tanto magis bonus eſt; quanto minus diffundit, tanto minus bonus eſt. quòd ſi nullo modo diffundat,

nul-

nullo modo bonus eſt. Si igitur Deus inferioribus non prouidet, ſuam bonitatem non diffundit. Quare neque bonus eſt. Vides ne, Epicure, te, dum putas Deum eſſe otioſum, negare Deum bonum eſſe? aut ſaltem ſuæ bonitatis affluentiæ derogare? At ſuam abijcit Maieſtatem. Immo facit, quod ſuæ competit Maieſtati. Sit Rex aliquis, qui, vt alter Sardanapalus, otio aſsidue incumbat, neque ſubditorum res curet: ſit contra alius, qui ſubiectos quanto poteſt opere adiuuet: quem horum dicemus Maieſtati conuenientia facere? Nemo erit tam ineptus, vt dicat, otioſum ſtrenuo præferendum. Poſtremo, quod ait, interdum iuſtis pœnas irrogari, & iniuſtos extolli, & templa Deo dicata fulmine tangi, ſignum eſſe, Deum inferioribus non prouidere, nihil ad rem facit. Nam, ſi Epicurus ſciuiſſet, incomprehenſibilia eſſe Dei iudicia, & hæc omnia propter hominum vſum euenire, in tantas ineptias non incidiſſet. Interdũ malis Fortunæ bona dantur, vt mali hic mercedem recipiant aliquorum bonorum operum, quæ tamen vitam æternam non merentur. boni autem complures ob cauſas tribulationibus afficiuntur; aliquando, vt ex illis maius præmium conſequantur; aliquando, ne quis ob ujrtutem in elatio-
2.*Cor.* 11. nem incidat, vt Paulo contigit; aliquando, vt cæteri ad perferendas calamitates excitentur. Si verò templa de cœlo tanguntur; id Deus facit, vt homines admoneat, ſe in illos, qui Dei templa ſunt, vt ait Apo-
1.*Cor.* 6. ſtolus, animaduerſurum, niſi reſipuerint. Quare templorum materialium tactus, & interdum euerſio, ſpirtualium templorum iudicium, quod iuſtam iram ſequitur, indicat, non Dei Prouidentiam excludit.

Ex ſacris litteris probatur, Prouidentiam eſſe. Cap. V.

SATIS, ſuperq. aduerſus Democritum, & Epicurum diſputauimus, &, neceſſitate compulſi, Dialecticum potius, quàm Theologum egimus. Nunc illud, quod Theologum decet, & maximi eſt momenti, curemus, vt fideles inſtruamus; atque ex ſacris literis demonſtremus, tum Prouidentiam eſſe, tum Deum à Mundi exordio ad hunc vſque diem ſemper rerum vniuerſitatem procuraſſe. Scriptum eſt apud Dauidem: Oculi omnium in te
Pſ. 144. ſperant, Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

Aperis

Aperis tu manum tuam,& imples omne animal benedictione.Et rurſum: Dominus cuſtodit aduenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet. Et iterum:Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam; qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum; qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Salomon ita ſcriptum reliquit:Vbi non eſt gubernator, populus corruet. Et:Hominis eſt, animum præparare; & Domini gubernare linguam. Et paulo poſt: Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. Et rurſum: A Domino diriguntur greſſus viri, & omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Dominus. Et: Diues & pauper obuiauerunt ſibi,& vtriuſque operator eſt Dominus. Et alibi:Ne dederis cor tuũ, vt peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo, Non eſt prouidentia, ne forte iratus Deus contra ſermones tuos diſſipet cuncta opera manuum tuarum. Clariſſima hæc ſunt Prouidentiæ teſtimonia: neque ijs ſimilia deerunt ſtudioſis, qui Veteris Teſtamenti libros diligenter euoluere curabunt. Nos, breuitati conſulentes, iudicauimus hæc pio lectori ſatis eſſe. Cæterum hæc ipſa veritas, quam Veteris Teſtamenti auctoritate comprobauimus,apertiſſimè à noſtro Saluatore confirmatur. Ita enim ait: Amen dico vobis: donec tranſeat cælum,& terra, iota vnum,aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant. Et alibi: Reſpicite volatilia cæli, quæ non ſerunt, neque metũt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa:nõ ne vos magis pluris eſtis illis?Et rurſum:Conſiderate lilia agri,quo modo creſcunt: non laborant, neque nent: Dico autẽ vobis, quoniã nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex illis. Si autem fœnum agri,quod hodie eſt,& cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus,aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter; quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius:& hæc omnia adijcientur vobis.Et alibi:Petite,& dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate,& aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit; &,qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur.Et:Non ne duo paſſeres aſſe veneunt: & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro?veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos.

Pſ. 145. Pſ. 146. Pro. 14. Pro. 17. Ibid. Pro. 19. Pro. 21. Pro. 22. Eccls. 5. Matth. 5. Matth. 6. Luc. 7. Matt. 10.

Deum ſemper Mundum adminiſtraſſe. Cap. VI.

HIS ita expoſitis protinus oſtendamus, Deum ſem-
per rerum vniuerſitatem adminiſtraſſe. Quod vt
commodè fiat, hiſtoriam ſacram à Mundi conſti-
tutione ad hæc vſque tempora breuiter texemus.
Gen. 1. Mundo producto, Deus in primis illud curauit, vt
cuncta congruenter diſponeret; & cælo, & ter-
ræ, aeri, atque aquæ ſuos terminos præfixit,
& decentem ornatum tribuit. Homini verò altiorem præpara-
uit finem, vitam ſcilicet æternam, ad quem per obedientiam, ip-
Gen. 2. ſum peruenire poſſe demonſtrauit. Itaque hominem in Paradiſo
collocauit, &, ne de ligno ſcientiæ boni, & mali veſceretur, admonuit,
Gen. 3. comminatus mortem, ſi præuaricaretur. Non audiit homo, ſed Dia-
boli ſuaſu manducauit, ſeq. & omnem humanam naturam moriendi
neceſsitati obſtrinxit, & ex Paradiſo in hanc miſeriarum vallem præ-
cipitatus eſt. Non tamen Deus hominis oblitus eſt, ſed iuſsit, vt cre-
Gen. 4. ſceret, in filios in timore erudiret. Quare Cayn, & Abel, Adam
filij, Sacrificia Deo offerebant. Sed Cayn inuidus, quòd Deus
fratris ſacrificium reſpexiſſet, & ſuum repuliſſet, fratrem occidit. No
luit Deus impunitam eſſe iuſti viri necem. Quare continuum tremo-
rem in Caynum immiſit, vt à nullo tamquam fratricida reciperetur.
Gen. 5. Neque interim Deum parentis obliuio cepit, ſed ei filios, & filias con-
Gen. 6. ceſsit: inter quos vnus fuit nomine Seth, qui ſanctitate omnes ante-
cellebat. Huius filij, patris pietatem ſecuti, cum filiabus Cayni, ve-
luti paterna malitia commaculatis, longo temporis ſpatio copulari
renuerunt. At demum, illarum pulchritudine victi, ſibi eas in matri-
monio collocarunt, & impietatem cum matrimonio protinus imbi-
berunt. ex horum concubitu orti ſunt gigantes Dei contemptores,
qui, putantes Deum inferiora negligere, adeo in ſcelera ruerunt, vt
nihil illis antiquius eſſet, quam vt homines ad facinora hortarentur.
Ex quo euenit, vt omnis ferè orbis Dei cultum derelinqueret. Quare
Gen. 7. iratus Deus, diluuio omnem carnem extinxit, præter Noe, & filios,
vxorem eius, & vxores filiorum eius, quem, quia in iuſtitia perman-
ſerat, humani generis ſeminarium reliquit. Poſt hunc elegit Abra-
Gen. 11. ham, Iſaac, & Iacob, ex quo duodecim Iſraelitici Populi tribus exor-

tæ

tæ ſunt. Hæ cum vna cum Iacob, ne fame perirent, in Ægyptum *Gen. 21.*
deſcendiſſent, progreſſu temporis, maritimæ arenæ inſtar, propá- *Gen. 25.*
gatæ ſunt: ſed, cum, ab Ægypti Rege in ſeruitutem redactæ, graui- *Gen. 46.*
ter opprimerentur, miſertus earum Deus, Moyſen ſuſcitauit, qui in *Exo. 1.*
prodigiis, & manu valida, illas è manu Ægyptiorum eripuit. Cum ve- *Exo. 3.*
rò Deus Iſraeliticum populum in Terram promiſſionis introducere *Exo. 14.*
vellet, hic reluctatus in Deum murmurauit. Quare Deus iratus ip- *Num. 15*
ſum quadraginta annis per deſertum circumduxit, donec, qui mur- *Deut. 8.*
murauerant, extinguerentur. Quo tempore (magnum Diuinæ pro-
uidentiæ opus) neque eorum veſtimenta ſunt attrita, neque calcia-
menta diſſuta. His annis exactis, Deus, Ioſue duce, hunc Populum *Ioſu. 3.*
in Terra promiſſionis induxit: mortuo Ioſue, Iſrael Deum reliquit, *Iud. per*
& ad Idola conuerſus eſt. Deus illum puniuit, vt ad pietatem reuer- *totum.*
teretur. Audiuit Iſrael, ſed paulo poſt dilapſus eſt. Iterum Dei ma-
nus ipſum corripuit: Iterum reuerſus eſt. Sexcenties id fecit, do-
nec Deus, omem prorſus furorem in ipſum exercens, partim à Sal-
manaſaro, partim à Nabucodonoſoro ſub iugum miſſum, in Aſſyrios, *Reg. 4. c.*
& Chaldæos traduxit. Et, quamuis ingratus hic Populus nullam me- *17.*
reretur clementiam; Pius tamen Deus poſt ſeptuaginta annos rurſus *Reg. 4. c.*
ipſum reuocauit. Sed non multo poſt defecit, & tanta impietate co- *24.*
inquinatus eſt, vt nihil eorum ſceleribus addi potuiſſe videtur. Iam *Eſd. 1.*
totius generis humani maſſa corrupta erat, (nam & Populus, quem *Matth. 1.*
ſibi Deus præcipue elegerat, facinorum mole oppreſſus iacebat) cum *Luc. 1.*
apparuit ſalubre illud, ac vere neceſſarium Diuinæ prouidentiæ opus,
in totius humani generis, ne dum Iſraelitici Populi vtilitatem præpa-
ratum. Id autem eſt Diuinæ Incarnationis myſterium, quod propter
omnium hominum ſalutem Diuina Pietas operata eſt. Ab eo vſque
tempore omnes gentes Dei prouidentiam cognoſcunt: omnes ſciunt,
Dei gratiam abundare; & olim per Dei ſanctos facta eſſe, & quotidie
fieri miracula; & Dei magnificentiam per vniuerſum orbem reſona-
re. Qui Dei prouidentiam admirari geſtit, Petri nauem, Sanctam
ſcilicet Eccleſiam, contempletur, ab Apoſtolorum ætate, ad noſtra
vſque tempora, ſemper agitatam, & aliquando ita iactatam, vt pene
obrutam crederes: ſed adfuit ſemper, & adeſt Deus, qui dixit: Ego *Luc. 22*
pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua: qui patitur illam agi-
tari, ſed non ſinit ſubmergi. Nonne vides, pie lector, veriſſimum eſ-
ſe, quod diximus, Deum à Mundi exordio ſemper rerum vniuerſita-
tem adminiſtraſſe? Hæc breuiter perſtrinximus, ne lectori tædio eſ-
ſemus. Qui ipſam rerum ſeriem affatim ſcire deſiderat, ſacros libros,
& Eccleſiaſticos inſpiciat, & eorum aſſidua lectione delectetur. Nul-

lum factum, nullum dictum ibi inueniet, in quo Diuinam prouidentiam & contemplari, & admirari non poſsit.

Quid ſit Prouidentia. Cap. VII.

DEHINC declaremus, quid ſit Prouidentia. Eam ita definit S. Thom. Prouidentia eſt ratio ordinis rerum in finem. Hanc definitionem à Boetio mutuatus eſt: qui 4. de Conſol. lib. ita ait: Prouidentia eſt ipſa Diuina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit. Vt hæc definitio rectè intelligatur, adnotandum eſt, duplicem eſſe rerum diſpoſitionem, alteram partium in toto, altera rei iam effectæ in finem. Diſpoſitio partium in toto non ad prouidentiam pertinet, ſed ad creationem, vt Gregorius Nyſſenus doctè admonuit. Itaque prouidentiam natura præcedit. Sed rerum diſpoſitio in finem ad prouidentiam attinet. Quare in Prouidentiæ definititione non ſimpliciter dictum eſt, Prouidentiam eſſe rationem ordinis rerum; ſed adiectum eſt, In finem, ne quis crederet, idem eſſe Creationem, & Prouidentiam. Eiuſdem verò eſt, rebus finem præſtituere; &, ea, quæ ad finem conſequendum neceſſaria ſunt, præparare. Quare ad prouidentiam ſpectat, tum finem præſcribere, tum conferre ea, quibus finis acquiri poſſit. Cæterum, quamuis prouidentia ſuum omnibus finem præſtituat, non tamen omnia ad æqualem finem vocat: vult enim pro rerum dignitate aliarum rerum finem ſupernaturalem eſſe, aliarũ verò naturalem. Nã rationalium creaturarũ finis ſupernaturalis eſt, irrationalium autem naturalis. Quapropter accurate admodum Plotinus in primo de Prouidentia lib. dixit, Prouidentiæ rationem, ſeu proportionem Geometricam eſſe, non Arithmeticam, hoc eſt, non omnibus æqualem finem tribui, ſed pro gradibus naturæ conuenientibus aliis inferiorem, alijs altiorem. Namque Arithmetica proportio vbique æqualitatem ſeruat. nam inquit Arithmeticus, Sicut ſe habet 1. ad 2. ita 2. ad 3. ſed 2. 1. vnitate excedunt. ergo 3. 2. vnitate excedunt. Quare, ſi Arithmetica ratione quid diſtribuendum ſit, æqualis cuique portio donatur. At Geometrica proportio iudicat, in hac æqualitate ſiſtendum non eſſe, ſed pro dignitate diſtributionem eſſe faciendam. Ita enim ait Geometra: Sicut ſe habet 4. ad 6. ita 6. ad 9. ſed 6. continent 4. & inſuper eius medietatem: ergo & 9. continent 6. & eius medietatem. Quapropter hac Geometrica ratione pro digni-

1. p. q. 22 ar. 1.

Pro. 6.

Gr. Nyſ. phi. li. 8. c. 1.

dignitate potius fit partitio, quàm æqualitas ſeruatur. Cum itaque Diuina prouidentia non æqualem omnibus finem præſcribat, recte dixit Plotinus, in prouidentia Geometricam rationem cõſiderandam eſſe.

Quorum ſit Prouidentia, & Ariſtotelis reprobatio. Cap. VIII.

CONSEQVENS eſt, vt videamus, quorum nam ſit Dei prouidentia. Ariſtoteles (ſi Gregorio Nyſſeno, & Alexandro Aphrodiſeo credimus) ſenſit, Deum ſpecierum tantum conſeruationi, non autem indiuiduorum, niſi fortaſſe ex accidenti, prouidere. In hanc autem ſententiam iuiſſe videtur, quoniam indiuidua omnia caduca exiſtimauit, ſpecies autem ſemper exiſtere. ſed certe hæc ſententia omnem funditus euertit religionem. Neque difficile eſt Scripturarum auctoritate eius falſitatem demonſtrare, cum ſcriptum ſit: Non ne duo paſſeres aſſe veniunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Et rurſus: Reſpicite volatilia cæli, non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Neque laborioſum eſt, eos, qui ſacris libris fidem adhibent, à Peripateticorum ſententia deterrere. Si enim Deus indiuiduornm curam non habet, id euenit, aut quia ea ignorat, aut quia non poteſt. ſi ea ignorat, imperfecta eſt ipſius ſcientia: ſed, quam impium eſt, alicuius rei ſcientiam à Deo ſubtrahere? ſi non vult, aut inuidus eſt, aut otioſus, aut procuratio ſuam non decet maieſtatem: ſed abſit, vt Deum dicamus inuidum, aut otioſum: neque puto id ſapiens aliquis dicet: ſed tertium fortaſſe aſſeuerabit. Verum iam ſupra, cum in Epicurum diſputaremus, oſtendimus, eos, qui talia garriunt, Diuinam bonitatem deſtruere. Si Deus non poteſt, contracta eſt ipſius potentia. Sed quis Scripturis ſacris credens, dicet, Dei potentiã aliquo termino contineri? Verum aduerſus Ariſt. oſtendamus, ipſum ſibi oppugnantia dicere, dum aſſerit, Deum vniuerſalium, non autem indiuiduorum curam habere. Ex Ariſtotelis ſententia, vniuerſalia aut nihil ſunt, aut, ſi quid ſunt, poſterius ſunt, hoc eſt, ex indiuiduis ſumuntur. Itaque vniuerſale nihil eſt exiſtens. Quid enim eſt homo vniuerſalis? nihil profecto in re, ſed ab indiuiduis ope intellectus vniuerſalis quædam, ratio in mente formatur, qua naturã concipimus humanam. & iam illud verũ eſt, vniuerſalibus exiſtenti-

Alex. na tur. q. lib. 1. c. 25. Gregor. Nyſ. phi. lib. 8. c. 6

Matt. 10. Matth. 6.

1. de ani. c. 1.

ſtentibus indiuidua exiſtere,& exiſtentibus indiuiduis exiſtere vniuerſalia ; rurſumq. ſublatis indiuiduis auferri vniuerſalia . ſi itaque Deus vniuerſariũ curam habet,indiuiduorum quoque curam habet:non enim fieri poteſt,vt,qui aliquid curat, non curet etiam ea,quibus illud cõſeruatur.Si igitur Deus curat vniuerſalia,quæ indiuiduis cõſeruantur , quo modo vniuerſalia curabit, & indiuidua negliget? Aut igitur Deus curabit cum vniuerſalibus indiuidua , aut neutra curabit . Quo modo igitur dicit Ariſtoteles,Deum curare vniuerſalia,& non indiuidua , cum hæc ſint illa,& illa hæc , neque rebus ipſis, ſed ſola cogitatione diſcernantur ? Nihil aliud hæc dicit opinio, niſi,Deum vtraque curare, aut neutra curare . Ecce, aut quod negat,tacite affirmat, aut quod affirmat, tacite negat, & reipſa ſibi ipſi repugnantia dicit.

Opinio Rabbi Moſeos, & eius confutatio. Cap. IX.

QVIDAM, qui ſacris literis fidem adhibent, cuius ſententiæ Rabbi Moſen auctorem eſſe aiunt , aſſerunt , Deo rationalia , & incorruptibilia curæ eſſe, ratione autem carentia, & corruptioni ſubiecta, niſi fortaſſe quantum ad ſpecies attinet , ad eius prouidentiam non pertinere . Verum hanc ſententiam ſatis ſuperq. ſuperioribus capitibus Scripturæ ſa-
Eccls. 5. cræ auctoritate improbauimus . Nam & Sapiens Dei prouidentiam ad omnia extendi fatetur , & Dominus noſter etiam volatilia cæli ei
Matth. 6. ſubiici demonſtrat . Sed rurſus,quanti ſit facienda hæc ſententia,conſideremus.Si Deum in adminiſtrandis corruptibilibus nulla cura attingit , neque corporis humani cura aliqua attingit, cum corpus humanum generetur , & corrumpatur . Id verò abſurdum eſt : ſi quidem Deus non ſolum corporis , ſed etiam minimarum corporis partium
Matt. 10. curam ſuſcipit . Nam ſcriptum eſt , Capilli capitis veſtri omnes nu-
Luc. 21. merati ſunt . Et rurſum : Capillus de capite veſtro non peribit.Quantæ autem curæ Deo ſit humanum corpus, illud oſtendit,quòd Deus in fine ſæculorum idem numero reparabit, & iterum animæ coniunget , nihilq. deperibit,quod ad humanæ naturæ integritatem ſpectat. Quæ igitur dementia eſt, negare,illud Deo curæ eſſe,quod tanta cura, tãq. miro ordine inſtaurabit ? cuiuſq. ne minimam quidem partem de-

perire

perire patietur. Quod autem aſſerunt, Deum inanimis non proui-
dere, figmentum eſt Diaboli. Non ne cælum, cæteraq. elementa, & *Gen. 1.*
quæ ex ipſis conſtant, inanimata ſunt? Legimus tamen, Deum ipſa
creaſse, ſummaq. ratione in cælo luminaria, ſtellas, atque aſtra diſpo-
ſuiſse, & mare, ac terras, piſcibus, plantis, cæteriſq. ornamen-
tis decoraſſe? Putabimus ne, Deum vniuerſitatem, quam tanta ſa-
pientia fabricatus eſt, deſtituiſſe, fortunæque, & caſui ſubiecisse?
Qui iſta confingunt, propria voluntate Deum deſerere iudican-
di ſunt, & vltro Dei prouidentiam abnegare. Et, quoniam (tan-
ta eſt ipſorum petulantia) cum veritate inimicitias gerunt, ve-
ritatem quoque Scripturarum peruertere conantur. Aiunt enim, in
Iob ſcriptum reperiri: Nubes latibulum eius, & circa cardines cæli *Iob 22.*
perambulat, neque noſtra conſiderat. & Paulum dicere: Num- *1.Cor.9.*
quid Deo cura eſt de bobus? Hæc dum obſtrepunt, non ſentiunt ſe
Scripturarum interpretationem ignorare. Nam illud Iob, non ab
ipſo, neque ex ipſius perſona dictum eſt, ſed ex perſona inſipien-
tium, qui tam peſtilentia verba contra Deum proferre audent. A-
poſtoli autem ſententia, non de prouidentia, ſed de præcepto in-
telligenda eſt. Nam Deo curæ eſt de bobus, vt ipſis prouideat;
non autem, vt de ipſis præcepta inſtituat. Præcepta enim rationa-
libus dantur, non irrationalibus. Neque de boue quid facien-
dum ſit, Deo propoſitum erat præcepta inſtituere: ſed, cum in le-
ge ſcriptum inueniatur, Non alligabis os boui trituranti, ne quis
putaret, Deum voluiſſe de bobus præceptum tradere, oſtendit A-
poſtolus ſub hoc præcepto aliquid magnificum, & excellens la-
tere, videlicet operarijs in Dei vinea non eſſe victum denegan-
dum. Quare non inficiatur Apoſtolus, Deum irrationalibus
prouidere: ſed illud aſſerit, Deo curæ non eſſe, vt de irra-
tionalibus præcepta inſtituat. illa enim homini ſub-
iecit, iudiciumq. eius menti inſeruit, quo de-
cernat, quonam pacto ea regat, eorumq.
indigentiam adiuuet. Quapropter de
irrationalibus Deo curæ eſt, vt
ipſis prouideat; etſi curæ
non eſt, vt de eis
præcepta in-
ſtituat.

Diuinam

Diuinam Prouidentiam rebus neceſsitatem non imponere. Cap. X.

VERVM ex iis, quæ diximus, poſſet aliquis ſuſpicari, à Dei prouidentia omnibus rebus neceſſitatem imponi. Nam, ſi Deus ſua prouidentia, quæ falli non poteſt, omnibus rebus finem præſtituit, fieri non poteſt, vt ea aliter, quam ipſe diſpoſuit, ad finem perueniant. ex neceſſitate igitur omnia euenient, atque ita multa ſequentur incommoda. liberum enim arbitrium, & id, quod in rebus contingens eſt, tolletur, neque meriti, aut delicti ratio aliquo modo haberi poterit. Sed abſit, vt dicere audeamus, aut omnia ex neceſſitate euenire, aut Dei prouidentiam rebus neceſſitatem imponere: paris enim impietatis, & periculi eſt, hoc aut illud aſſerere. Quid igitur, dicemus? Dei prouidentiam neque falli, neque rebus neceſſitatem imponere: neque hæc duo inter ſe aliquo pacto pugnare. Quo modo autem res ſe habeat, vt poſtero explicabo. Verum hic pium lectorem, non pertinacem, deſidero, eumque, qui Diuinam prouidentiam non humano more metiatur, ſed intelligat, illam ſupra omnem humanum captum, & cognitionem, exiſtere. Ac forſitan expediret, rem ſilentio præterire, & cum
Rom. 11. Paulo exclamare, O altitudo diuitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Qua-
Caiet. ſuper 1. p. q. 22. a. 4 propter Caietanus accuratè dixit, ſibi videri, Diuinam prouidentiam eſſe, vt eius verbis vtar, ſuper omnem euitabilitatem, vel ineuitabilitatem. Sed, quoniam non omnes continuò acquieſcunt, licet ſe Chriſtianos eſſe iactent, cum Theologorum ſchola reſpondeamus: omnia (vt ipſorum verbis vtar) infallibili modo euenire, neque tamen omnia ex neceſſitate euenire: multum enim hæc inter ſe differũt. nam aliud eſt infallibili modo, aliud ex neceſſitate, aliud contingenter euenire. Infallibili enim modo euenire, nihil aliud eſt, quam à Diuina prouidentia, quæ falli non poteſt, omni alia ſecluſa cauſa, euenire. Ex neceſsitate autem, vel contingenter euenire, eſt ex neceſſariis, aut contingentibus cauſis euenire. Deus enim, vt ſupra etiam oſtenſum eſt, quibuſdam effectibus cauſas neceſſarias, quibuſdam contin-

gentes

gentes aptauit; quiq. ex neceſſarijs cauſis proueniunt, neceſſarij ſunt; qui verò ex contingentibus, contingentes. Itaque tam neceſſarius, quàm contingens effectus non modo Diuinam Prouidentiam, ſed cauſas etiam ſecundas intuetur, à quibus aut neceſſarij, aut contingentes dicuntur. Infallibilitas autem, vt ita loquar, Diuinam ſolummodo prouidentiam reſpicit, ſecundis cauſis minime conſideratis. Quod ſi ad Diuinam prouidentiam nos uertamus, omnia infallibili ratione eueniunt. Sin autem ſecundis etiam cauſis animum adhibeamus, omnia quidem infallibili modo, ſed non omnia ex neceſſitate euenire intelligemus. Quod enim contingenter euenit, infallibili prorſus modo, non tamen ex neceſſitate euenit, cum à Diuina prouidentia, quæ falli non poteſt, & a contingentibus cauſis, a quibus effectus habet, vt contingens ſit, & appelletur, proueniat. Illud quoque diligenter animaduertendum eſt, quod ambiguitatem omnem diſſoluit, omnia ita euenire, quemadmodum Deus diſpoſuit; ſed diſpoſuit, vt quædam ex neceſſitate, quædam contingenter euenirent. Quædam igitur ex neceſſitate, quædam contingenter eueniunt. Non igitur omnia eueniunt ex neceſſitate. Sed exemplo, quod dicitur, magis perſpicuum fiat: Deus Petro vitam æternam finem præfiniuit, atque diſpoſuit, non ſolum, vt Petrus ſaluaretur, ſed etiam, vt libere ſaluaretur. Petrus igitur ita ſaluabitur, quemadmodnm Deus diſpoſuit. Sed diſpoſuit, vt libere ſaluaretur. Libere igitur ſaluabitur. Videmus ne, vt clare pateat, quædam ex neceſſitate, quædam contingenter euenire, & Diuinam prouidentiam neque falli, neque rebus neceſſitatem imponere, neque abſurdum eſſe, id, quod infallibili modo euenit, contingenter euenire? Hæc Chriſtiano, & pio lectori ſatis eſſe poſſunt.

De Prædeſtinatione. Cap. XI.

QVAMVIS Deus cunctis rebus ordinem, quo in finem natura tenderet, ſtatuiſſet, tamē, vt bonitatis ſuæ affluētiā oſtenderet, rationalē creaturam ad finem ſupernaturalē, hoc eſt vitam æternam, clementer elegit: qui ordo Prædeſtinatio appellatur; quæ nihil aliud eſt, quàm ratio ordinis naturalis creaturæ in vitam æternam, in mente Diuina exiſtens. Hāc Aug. appellat gratiæ præparationē: Deus enim iis, quos elegit, gratiam præparat, qua præſcriptum finem conſequantur. *In lib. de præd. c. 10*

Nā,quos prædeſtinat,hos vocat,iuſtificat,& glorificat. huius electio-
nis cauſam aliā reperire nequimus, niſi Diuinam miſericordiam.nō e-
Rom. 8. nim Deus ex operibus iuſtitiæ,quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſeri-
Tit.3. cordiam ſuam ſaluos nos fecit.Non defuerunt, qui dicerent,Deum ex
præſcientia operum electos prædeſtinare. quoniam enim (inquiunt)
præuidit Deus, Ioannem inſeruiturum bonis operibus, ex quibus de-
mum ſaluaretur, Ioannem prædeſtinauit:ſicut e contrario, quoniam
præuidit Iudam ex operibus fore damnandum, Iudam reprobauit.
Verum hæc ſententia Apoſtolo repugnat, qui, dum de Iacobi præde-
ſtinatione, & Eſau reprobatione loqueretur, ita ſcriptum reliquit:
Rom.9. Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali,
vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus,
ſed ex vocante dictum eſt: quia maior ſeruiet minori; ſicut ſcriptum
Mala. 1. eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Alij dixerunt, non operū,
ſed fidei præſcientiam,fidei inquam, quæ ſecundum dilectionem ope-
ratur, cauſam eſſe prædeſtinationis. Atqui vtrique, dum talia oblo-
quuntur, Dei miſericordiæ detrahunt: nam, ſicut in operibus, ita in
fide eſt meritum: itaque daretur gratia ex operibus. quod ſi ex ope-
Ro. 11. ribus,gratia, vt inquit Apoſtolus,non eſſet gratia. Quo modo item ve
Exo.33. rum eſſet,quod Moyſi dictū eſt,Miſerebor,cui voluero,& clemens ero
Rom.9. in quem mihi placuerit. Et illud: Igitur non volentis, neque curren-
Retract. tis, ſed miſerentis eſt Dei. In hac ſententia Auguſtinus refert, ſe ali-
li.1.c.23 quando fuiſſe his verbis: Diſputans ergo, quid egerit Deus in non
dum nato, cui dixit, ſeruiturum eſſe maiorem, ad hoc perduxi ratio-
cinationem; vt dicerem,non ergo elegit Deus opera cuiuſque in præ-
ſcientia,quæ ipſe daturus eſt,ſed fidem elegit in præſcientia; & quem
ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegit, qui Spiritum ſanctum
daret, vt bona operando, vitam æternam conſequeretur. Hanc verò
ſententiam ipſemet Auguſtinus paulo poſt improbat, dicens: Non-
dum diligentius quæſiueram, nec adhuc inueneram, qualis ſit electio
gratiæ, de qua dicit Apoſtolus: Reliquiæ per electionem gratiæ ſal-
uæ fient; quæ vtique nō eſt ex gratia,ſi ex meritis procedit.Ex quibus
apertè datur intelligi, Deū non ex meritis,aut meritorū,fideive præ-
ſcientia, ſed ex ſola miſericordi voluntate, cuius amplitudo neque
explicari, neque excogitari poteſt, eligere, & prædeſtinare;totumq.
prædeſtinationis ordinem à ſola Diuina voluntate pendere. Nec ali-
H n.quo. quem moueat, quod Henricus aſſerit, Deum prædeſtinaſſe Petrum,
8.q.5. quoniam præuidit, ipſum bene vſurum libero arbitrio. Nam in vſu li-
beri arbitrij eſt meritum. Quare,quemadmodum Petrus neque ex bo
norum operum, neque ex fidei præſcientia prædeſtinatus eſt, quia in

vera-

vtraque eſt meritum: ita neque ex præſcientia boni vſus liberi arbitrij, nec fateri cogamur, ex meritis illum prædeſtinatum, qui ex ſola miſericordi Dei voluntate electus eſt.

De Reprobatione. Cap. XII.

SED, licet Deus rationalibus creaturis beatitudinem præparauerit, non tamen quaslibet in illam admittit: quoſdam enim prædeſtinat, quoſdam reprobat, vt ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. *Gen. 25.* Reprobatio verò, quæ prædeſtinationi opponitur, nihil aliud eſt, quàm Diuinum propoſitum, quo permittit Deus aliquos ab iſto fine vltimo deficere: quæ quidem fit ſine noſtris demeritis, quemadmodum Prædeſtinatio fit abſque noſtris meritis. Regula enim vniuerſalis eſt, quod, quemadmodum propoſitum ſe habet in propoſito, ita & oppoſitum in oppoſito. ſed prædeſtinatio meritum non includit. ergo neque reprobatio demeritum. Eſt alia reprobatio, qua Deus aliquem in gehennam deſtinat, quæ ſine demeritis non fit, cum Deus numquam ſit vltor, quin aliquis ſit prius peccator. Vtramque reprobationem communiter declarantes Theologi, eam ita definiunt: Reprobatio eſt præſcientia cum voluntate permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. At dicet aliquis: Cur Deus non quaslibet rationales creaturas prædeſtinat, cum qualibet eius ſit opus, atque eiuſmodi conſtituta, vt beatitudinis particeps eſſe poſſit? Quo modo effugiemus, ne fateri cogamur, Deum perſonarum eſſe acceptorem, ſi huic gloriam, illi gehennam præparat? Audi, orthodoxe: Deus non ſolum miſericordiam, ſed etiam iuſtitiam in rerum vniuerſitate vult reperiri, vt plures ſuæ bonitatis gradus eluceant. Nam bonum eſt miſericordia, bonum eſt iuſtitia: niſi iuſtitia eſſet, non adeo appareret bonum miſericordiæ; neque miſericordia adeò commendaretur, niſi eſſet bonum iuſtitiæ. Non enim malum eſt iuſtitia, ſed bonum. Nam, licet iuſtitia alicui malum eſſe videatur, bono tamen, & commodis ſeruit vniuerſi. Mala eſt ſuſpenſio homicidæ, bona tamen eſt Reip. conſeruationi. Malum eſt ſupplicium dæmoni: per illud tamen Iuſtitia Dei relucet. Volens igitur Deus Miſericordiæ bonum demonſtrare, quoſdam prædeſtinauit: volens verò Iuſtitiæ bonum exercere, quoſdam reprobauit. De primo

dictum eſt Moyſi: Miſerebor, cuius miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor. De ſecundo dictum eſt Pharaoni: In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, vt annuntietur nomen
Rom. 9. meũ in vniuerſa terra. Id ipſum nobis innuit Apoſt. dum dicit: Deum in multa patientia vaſa iræ ſuſtinuiſſe, vt iram, ac potentiam ſuam notã faceret, & oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ
Matt. 13. præparauit in gloriam. Cur putabimus dixiſſe Dominum noſtrum, ſuam Eccleſiam ſimilem eſſe ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, ex quibus boni conſeruarentur, mali autem foras mitterentur, niſi vt oſtenderet, ſuam Eccleſiam ita diſpoſitam eſſe, vt in ea eſſent tum boni, quibus miſericordiam impartiretur, tum mali, in quos iuſte animaduertet? Vnde, & quam miſericors,
2. Tim. 2 & quam iuſtus eſſet, appareret. Quare S. Paulus Eccleſiam magnæ domui comparauit, in qua ſunt vaſa non ſolum aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia, quorum aliqua ſunt in honorem, alia in contumeliam. Cur hoc dixit? vt nos commonefaceret, electos ad miſericordiam, reprobos ad iuſtitiam eſſe præparatos. Atque hanc rationem reddi poſſe reor, Cur Deus aliquos prædeſtinet, aliquos reprobet, vt ſcilicet iuſtitiam, & miſericordiam oſtendat; in illos miſericordiam, in hos iuſtitiam. Verum, ſi vlterius quæratur, cur Deus Petrum prædeſtinauit, Iudam verò reprobauit, id erit Diuinæ voluntatis cauſam exquirere. Non enim ratio reddi poteſt, cur Deus hunc prædeſtinet, hunc reprobet; etſi, cur quoſdam prædeſtinet, quoſdam reprobet, ratio reddi poteſt. Quemadmodum enim, ſi quis quærat, cur, materia vna exiſtente, alia eius pars forma ignis, alia forma aquæ prædita ſit; reſpondebimus, id factum fuiſſe, vt plures in rebus naturalibus ſpecies reperirentur. ſin autem quærat, cur hæc pars materiæ formæ ignis, illa formę aquæ ſubſit, rationem reddere nequibimus. Ita, ſi quis quærat, cur Deus aliquos prædeſtinauerit, aliquos reprobauerit, dicta ratione ſatisfaciemus; ſi verò ſciſcitetur, cur Petrum prædeſtinauerit, Iudam reprobauerit, lingua & mens ſimul hærebunt; neque illa quid loquatur, neque hæc quid cogitet habebit. Tantum
Rom. 9. cum Paulo reſpondebimus: O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nũquid dicit figmentũ ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidẽ vas in
Super Io. honorem, aliud verò in contumeliam? Nam, vt inquit Aug. cur hunc
tract. 26. trahat, & illum non trahat, noli diiudicare, ſi non vis errare. Neque Deus eſt iniuſtus, aut perſonarum acceptor, dum alijs gloriam præparat, alios ab hoc fine deficere permittit. Illæ enim perſonam accipit, qui, cum pluribus debitor ſit, alteri debitum reddit, alteri non

reddit.

reddit. Quod ſi quis nulli debeat, ſi vni aliquid ex ſua liberalitate largiatur, alteri minime, hic non eſt iniuſtus. Nam, quod largitus eſt, liberalitatem exercuit; quòd verò alteri largiri noluit, iniuſtitiæ non eſt accuſandus. Itaque in eo liberalitas commendabitur, iniuſtitia verò nullatenus reperiretur. Quòd ſi Deus, ſuam volens miſericordiam oſtendere, aliquos prædeſtinauit, cum nulli debitor eſſet, eius miſericordia extollenda eſt; ſin autem aliis hoc munus impartiri noluit, nemini iniuriam intulit, cum nemini deberet. Non ne licet *Matt.* 20. Deo, quod vult, facere? ipſi igitur gratias agamus, qui rationali creaturæ tanta bona præparauit. Quòd ſi non quemlibet in ea admittit, nolimus Diuinæ voluntatis cauſas inquirere; ſed ei nos ſubijciamus, qui omnia, quæcumque voluit, fecit. *Pſ.* 113.

De certitudine Prædeſtinationis. Cap. XIII.

PRÆDESTINATIO adeo certa, & efficax eſt, vt fieri non poſſit, quo prædeſtinatus tandem damnetur. Id ipſum declarat Gloſſa, verbum illud Epiſtolę ad Romanos, Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit, exponens, his verbis: Prædeſtinatio eſt *Rom.* 8. præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, qua certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Sed clarius Aug. in lib. de fide ad Petrum hoc idem oſtendit, ita loquens: Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, omnes, quos vaſa miſericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante conſtitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædeſtinatos à Deo, neque poſſe perire aliquem eorum, quos prædeſtinauit ad regnum cælorum, neque quemquam eorum, quos non prædeſtinauit, ad vitam vlla poſſe ratione ſaluari. Quàm ſententiam fuſius idem Auguſt. in lib. de correptione & gratia explanauit. Quod autem dicimus, prædeſtinatum non poſſe damnari, neceſſitatem non imponit. Supra enim dictum eſt, & nunc repetere libet, neque voluntatem, neque prouidentiam Dei rebus neceſſitatẽ imponere, licet neque voluntati Dei reſiſti poſſit, neque eius prouidentia fallatur. & nũc de prædeſtinatione eodẽ pacto ſentimus, ipſam ſcilicet eſſe certã, neque iccirco rebus neceſſitatẽ ponere, & prædeſtinatũ non ex neceſsitate, ſed libere ſaluari. Ita enim prædeſtinatus ſaluabitur, queãdmodũ à Deo diſpoſitũ eſt, vt ſaluaretur. ſed à Deo diſpoſitũ eſt, vt libere ſaluaretur. Libere igitur ſaluabitur. Atque hæc eſt

pia, &

pia, & Catholica de Prædeſtinatione confeſſio. Illud addam, vt, quæ
ſupra dicta ſunt, cum de Prouidentia ageremus, in memoriam redu-
cantur: ex illis enim omnis hæc dubitatio prorſus diſſolueretur. Cer-
Eccl. 1. ta itaque eſt prędeſtinatio. Certus item eſt apud Deum numerus præ-
Iob 14 deſtinatorum. Nam, ſi ipſe guttas pluuiæ, arenas maris, greſſus no-
Matt. 10. ſtros, capitis capillos dinumerat, quo modo aſſeremus, eum non co-
gnoſcere prædeſtinatorum numerum? Nouit Deus, qui eius ſint,
neque ſolum ſcit, quot numero ſaluandi ſunt, vt mille, centum,
vt quidam aſſeuerarunt, ſed etiam, qui ſunt ſaluandi, vtpote, ſaluan-
dum fore Petrum, & Andraam. multum enim Dei ſcientiæ detrahe-
retur, ſi ſciret Deus prædeſtinatorum numerum, neſciret autem Pe-
trum, & Andream prædeſtinatos eſſe, & à ſe in vitam æternam præ-
ordinatos. Hic aliqui curioſe admodum quærunt, quot numero ho-
mines ſaluabuntur. Quidam dicunt, tot numero ſaluandos eſſe, quot
Augu. in Angeli ceciderunt. ſiquidem propter reparationem Angelici caſus
Encb. c. homo effectus eſt. Alij aſſerunt, tot numero ſaluandos eſſe, quot An-
61. geli perſtiterunt, æquandumq. eſſe in cælis numerum hominum, &
Angelorum. Alij affirmant, tot numero ſaluandos eſſe, quot Ange-
li ceciderunt, & inſuper quot Angeli ſunt creati, vt & Angelorum ca
ſus reparetur, & rurſus homines numero Angelorum reparato æquen
tur. Nos nihil temere ſtatuere audemus, cenſemusq. id ſoli Deo co
gnitum eſſe, neque expedire ijs ſe immiſcere, quorum alterutrum di-
cas, confuſionem potius, quàm ſcientiam parit.

Prædeſtinationem iuuari precibus Sanctorum. Cap. XIV.

LICET prædeſtinatio certa ſit, eius tamen effectus Sanctorum interdum precibus iuuatur. Nā Deus, cum aliquē prædeſtinat, non ſolum ipſum ad vitam æternam eligit, ſed etiam media, quibus illā conſequatur, diſponit. Itaque alios per ſola ſacramenta veluti paruulos dudum natos, & baptiſmatis fonte renatos, alios per eleemoſynas, alios per orationes ad ſalutem vult peruenire. Nihil igitur impedit, his adiumentis Diuinæ prædeſtinationis effectum iuuari, non quod Dei præordinatio illis indigeat, ſed quoniam Deus ſtatuit, vt per illa præordinatio

effe-

effectum conſequeretur. Quod niſi ita eſſet, orationes, ieiunia, elee-
moſynæ, cæteraq. bona opera, quæ pro aliis impendimus, nihil con-
ferrent; quod quam impium ſit, Catholici omnes fatentur. Itaque
legimus, Iacob precibus Iſaac, & Samuelem precibus Annæ natos, *Gen. 25.*
quamuis vterque prædeſtinatus eſſet. *1.Reg 1.*

De nominibus Prædeſtinationis. Cap. XV.

PRÆDESTINATIO in Diuinis Scripturis mul-
tis, varijsq. nominibus nuncupatur. Interdum enim
Electio, interdum Dilectio, nunc Miſericordia, nunc
Corona, interdum Liber vitæ appellatur. Dicitur
Electio, quoniam, cum Deus prædeſtinat, ſeligit eos,
quos prædeſtinauit, ab alijs, quos reprobauit. Qua-
re Paulus Prædeſtinationem Electionem nominauit, *Eph. 1.*
cum inquit: Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem. Quoniam
vero Deus peculiari modo amat, quos ad vitam æternam præparat,
merito Prædeſtinatio dicitur Dilectio: ſicut ſcriptum eſt: Iacob dile- *Mal. 1.*
xi, Eſau autem odio habui. Et, quoniam omne hoc opus eſt miſeri- *Exo. 33.*
cordia plenum, iccirco Miſericordia nuncupatur: vt dictum eſt Moy *Rom. 9.*
ſi: Miſerebor, cuius miſereor; & miſericordiam præſtabo, cui miſe-
rebor. At verò, qui vitam æternam conſequuntur, præmio, quod
amitti nequit, donantur. Præmium autem, quod victoribus datur,
Corona appellari conſueuit. Non iniuria igitur non ſolum vita æter-
na, ſed etiam ad illam electio, Corona nominatur: quoniam & illa
præmium eſt vltimum, & hoc donum, quo illud habetur: quod quo-
dam modo præmium eſt, quia ad vitam æternam via eſt. Via autem,
quæ ad aliquid ducit, interdum illius nomen retinet. Quo pacto Phi-
loſophi viam ad generationem Generationem appellant. His con-
ſentit Regius Propheta, ſic loquens: Poſuiſti in capite eius coronam *Pſ. 20.*
de lapide pretioſo. Vitam petiit à te, & tribuiſti ei. Coronæ enim no-
mine prædeſtinationem, Vitæ voce beatitudinem intelligit. neque ali-
quem moueat, ſi Gratia, etiam Corona appellatur, vt ſcriptum eſt:
Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: nam & gratia co- *Apoc. 3.*
rona quædam eſt, dum retinetur: eſt enim velut arrha gloriæ, cum illi
tantum in gloriam perducantur, qui in gratia perſeuerant. Demum,
vt Auguſt. & Gloſſ. ſentiunt, Prædeſtinatio dicta eſt Liber vitæ; accom *ſuper pſ.*
modata nimirum translatione. Nam, quæ in libris ex membrana, *68.*

papy-

papyroue contextis, aut in marmoribus exarantur, propterea conſcribuntur, ut conſeruentur: hoc pacto animi noſtri conceptus ſcriptis mandamus, vt in poſteros tranſmittamus. Ita exercituum duces Militum nomina conſcribunt, vt eos, qui ſuis militant ſtipendiis, cum opus ſit, recenſere poſsint. Quoniã verò multa in noſtris animis conſeruari neceſſe eſt, atque ea præſertim, quæ ad ſalutem conferunt, neque illa calamo, & atramento in ſubſtantia intelligibili imprimi poſ-
Rom. 2. ſint, vſus obtinuit, vti illam conſeruationem, Conſcriptionem appel-
Pro. 3. laremus. Quare dicebat Apoſt. Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Abdita quoque cordis, vbi illa fit conſeruatio, Librum, ſeu Tabulas, per Sapientem Scriptura appellat; cum ait: Et deſcribe in tabulis cordis tui. Hac ratione Prædeſtinatio, ſeu Dei notitia, quam de prædeſtinatione habet, Liber vitæ non immerito dicitur. ibi enim prædeſtinatorum nomina conſeruantur, atque tanto excellentius, quam in cæteris ſubſtantiis intelligibilibus, quantum Diuina natura illas nobilitate tranſcendit. Creata enim ſubſtantia, vt mutabilis, eorum, quæ ſciuit, poteſt obliuiſci. Diuina verò mens, vt pote ab omni mutatione aliena, quod ab æterno nouit, non poteſt non noſſe. Quapropter prædeſtinatorũ nomina à Diuina notitia excidere nequeunt.
Eſa. 8. Hunc arbitror eſſe librum illum grandem, in quo iuſſus eſt Eſaias ſcribere, hoc eſt fidelibus nunciare ſcriptum eſſe, nomen Principis prædeſtinatorum; cum Spiritus ſanctus ad Propheciſſam, hoc eſt Mariam Virginem acceſsit, atque ea concepit, & peperit. At inquiet aliquis: Quo modo verum eſt, prædeſtinatos nõ poſſe à Dei notitia elabi, cum
Pſ. 68. ſcriptum ſit: Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur? Reſpondemus: hoc dictum ita interpretandum eſſe: Fac, vt omnibus innoteſcat, eos non eſſe ſcriptos in libro vitæ. Quos enim Deus non approbat, proinde habentur, ac ſi à Dei notitia defluiſſent. Poſſem quoque reſpondere, hoc loco per Librum vitæ non intelligi prædeſtinationem; ſed vim quandam Diuinam, qua homini in memoriam opera ſua reducuntur, quæ plerumque tanti eſt momenti, vt peccatorem ad pœnitentiam reducat. Cum enim quis conſiderat, quantum
Eſa. 26. in Diuinam Maieſtatem deliquerit, pœnarum, quæ pro peccato de-
Chry. ſuper Gen. hom. 19. bentur, recordatur, atque ita à timore, vt Prophetæ verbis vtar, concipit, & parit ſpiritum ſalutis. Quam vim Chryſoſtomus ſuper Gen. contemplans, Lameth tanquam ſanctum commendat, qui, perpetra-
Aug. lib. 20. de ciui. Dei c. 14. ti in Caynum homicidij recordatus, ſuum peccatũ confiteri cœpit & deteſtari. Hæc vis, vt Aug. adnotat, Liber vitæ dici poteſt. Erit itaque ſenſus: Deleantur de libro vitæ; hoc eſt, vis ea Diuina, qua peccatori delicta in memoriam redeunt, eos non attingat. Hic reticen-

dum non eſt, velut Gloſ. animaduertit, Librum vitæ interdum pro veteri, ac nouo Teſtamento accipi, quoniam, quæ ad vitam æternam conferunt, ſunt in ijs deſcripta, velut dictum eſt per Sapientem: Hæc omnia liber vitæ. *Eccl. 24.*

Hæreſes de Prædeſtinatione. *Cap. XVI.*

ADVERSVS hanc ſanam, & Catholicam de prædeſtinatione doctrinam, duæ ad hoc vſque tempus hæreſes inſurrexere; altera, quæ aſſerit, prædeſtinatum numquam poſſe eſſe membrum Diaboli, etiam ſi male agat; & reprobatum numquam poſſe eſſe membrum Dei, quamuis bene operetur; altera, quæ affirmat, hominem ſine ſpeciali Dei reuelatione poſſe ſcire, ſe à Deo eſse prædeſtinatum. Prima hæreſis, vt refert Sigibertus in Chronicis, ſub Zoſimo Papa, & Honorio Imperatore pullulare cœpit: quis tamen eius fuerit auctor, ignoratur. Qui autem huic errori fauebant, Prædeſtinati appellati fuere. Hanc hæreſim per mille annos ferè iam extinctam, iterum ab inferis excitauit Io. Hus Boemus, qui in Concilio Conſtantienſi damnatus, & exuſtus fuit. Secunda hæreſis recentiorum eſt hæreticorum, a Lutheri ſeminibus abſque controuerſia exorta: Nam, cum ille dixiſſet, hominem fidelem deberet certo credere, ſe eſſe iuſtificatum gratis per Dei miſericordiam; & inſuper, hominem fidelem non poſſe, etiam ſi velit, amittere illam ſalutem, quam in Baptiſmo conſecutus eſt, niſi fidem deſeruerit, ex ijs duabus concluſionibus verſuti hæretici deduxerunt, hominem de ſua prædeſtinatione certum eſſe poſſe. Nam, cum finis prædeſtinationis ſit vita æterna, ſi quis certo ſciat, ſe in gratia deceſſurum, neceſſario etiam ſciet, ſe vitam æternam conſecuturum, atque ita ſine ambiguitate ſciet, ſe eſſe prædeſtinatum. Prima hæreſis facile confutatur. Nemini enim dubium eſt, quemlibet, dumcum Deo per gratiam cõiunctus eſt, eſſe membrum Dei, &, cum a Deo recedit, eſſe membrum Diaboli. cum autem prædeſtinatus peccat, a Deo recedit, ergo tunc temporis eſt membrũ Diaboli. Cum vero reprobatus ad Deum cõuertitur, eſt in Dei gratia, atque mẽbrum eſt Dei. Nonne fuerunt mẽbra Dei Dauid, & Salomon, cũ ad regnũ euecti ſunt? Nõne ijdem fuere Diaboli membra, cum ille in adulterium, hic in Idolo-

latriam delapſus eſt? Nonne Petrus fuit membrum Chriſti, dum Chriſto adhæſit? dum tamen Chriſtum negauit, quis neget, eum fuiſſe membrum Diaboli? Paulus, & mulier peccatrix ante conuerſionem membra Diaboli, poſt conuerſionem membra Chriſti fuere. Verum pluribus hanc hæreſim redarguere ſuperuacaneum eſt: cum Io. Hus, vt prædiximus, eius aſſertor in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 15. damnatus, & combuſtus fuerit. Secunda hæreſis in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 12. damnata eſt, vbi hæc verba habentur: Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano Diuinæ Prædeſtinationis myſterio vſque adeo præſumere debet, vt certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod iuſtificatus, aut amplius peccare non poſſit, aut, ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam permittere debeat. Nam, niſi ex ſpeciali reuelatione, ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit. Alfonſus de Caſtro lib. 12. aduerſus hæreſes prolixius in hanc hæreſim inuehitur: quem diligens lector, cum libuerit, adire poterit.

De Rerum gubernatione. Cap. XVII.

SVPEREST, veluti polliciti ſumus, vt de rerum gubernatione agamus. Quemadmodum nihil eſt, quod Diuinæ non ſubſit prouidentiæ: ita nihil eſt, quod Diuinam ſubterfugiat gubernationē. Nam, cum prouidentia finem præſtituat, gubernatio in finem adducat, illud profecto, cui finis præſtituatur, gubernatur; & illud gubernatur, cui finis præſtitutus eſt. Cur enim alicui finis præſtituatur, ad quem peruenire nequeat? Quo modo item in finem perducetur illud, cui finis non eſt præſtitutus? niſi fortaſſe quis omnia caſu regi, impiè conten-
Sap. 14. dat. Hanc veritatem vt Sapiens oſtenderet, dixit: Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernat. Gubernationē prouidentiæ adiunxit, vt doceret, ea gubernari, quæ prouiſa ſunt, & ea prouiſa eſſe, quæ gubernantur. Non autem omnia in eundem finem adducuntur, ſed ſingula in finem ſibi naturalem, aut præparatum. Ratione enim carentia à ſuperiori cognoſcente, tamquam ſagitta ad ſignum, directa, in finem ſibi naturalem tendunt; ratione verò vtentia, Diuinæ motioni aſſentiendo, finem ſibi præparatum conſequuntur. Hic quidam,

dam, Diuinæ prouidentiæ hoſtes, eiſdem rationibus, quibus de prouidentia male ſentiunt, rerum quoque procurationem de medio tollere conantur. Neque ſolum rationibus, ſed etiam Scripturæ auctoritate, ſuas nugas pertinaciter tuentur. Nam ſcriptum eſt (inquiunt) apud Eccleſiaſtem: Vidi ſub Sole nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, ſed tempus, caſumq. in omnibus. Et rurſus apud Ezechielem: Dereliquit Dominus terram. Si itaque, aiunt, omnia caſu geruntur, & Deus Terram dereliquit, neceſſe eſt, a Deo rerum ſubtrahi gubernationem. Verum ij non animaduerterunt, ſe neque rerum rationem, neque Scripturæ vim, ſenſumq. percipere. Quorum primum iam declarauimus, cum de prouidentia loqueremur: alterum eſt oſtendendum. Non negat Eccleſiaſtes, ſi eius verba ritè perpendantur, Diuinam prouidentiam, ſed homines reprehendit, qui, cum inditam habeant rationem, qua recte viuere poſſint, ea vti negligunt; quinimmo Diuinæ imagini iniuriam inferentes, malunt temerè vitam traducere, quàm rectam viuendi rationem ſequi. Itaque caſu quodam viuere videntur. Quare ſubiunxit: Neſcit homo, hoc eſt, neſcire vult, finem ſuum: ſed, ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo ſuperuenerit. Ezechielis verò auctoritas mutila admodum, & decurtata affertur. Si enim illam integram attuliſſent, contra ipſos facere ſine controuerſia animaduertiſſent. Nam Ezechiel non ex propria, ſed ex iniquorum perſona loquitur. Eius autem verba ſunt: Iniquitas domus Iſrael, & Iuda, magna eſt nimis valde, & repleta eſt Terra ſanguinibus, & Ciuitas repleta eſt auerſione. Dixerunt enim, Dereliquit Dominus Terram, & non videt. Igitur & meus non parcet oculus, neque miſerabor. Ex his apparet, Diuinæ gubernationis inimicos velle inſidias ſtruere, & ſimplices decipere, non autem ex Prophetarum auctoritate veritatem venari. *Ezec. 9.*

De effectibus gubernationis, & primo de rerum conſeruatione. Cap. XVIII.

DVOBVS verò modis Deus creaturas gubernat, ipſarum nimirum bonum conſeruando, & eaſdem ad bonum impellendo. Conſeruat quidem, quia aſſidue in illas influit, & ne momentum quidem bonitatis ſuæ affluentiam ab illis ſubtrahit. Quemadmodum enim Deus ſua operatione cauſa eſt, vt res ſint, ita, eadem ceſſante, res in nihilum dilaberentur. Non ſatis eſt, aliquid à Deo immortale, & indiſſolubile factum eſſe; ſed neceſſe eſt, vt eadem vi occurratur, ne pereat. Res enim, antequam fierent, nihil erant: Quapropter & ad nihilum properant. Quod ne eueniat, Deus bonitatem, quam in illis conſtituendis patefecit, ipſis quotidie, eaſdem conſeruando, impartit. Neque mihi quis opponat, Angelos non poſſe non eſſe, & animam rationalem perpetuo duraturam. Nam totum id munus eſt Diuinæ bonitatis, naturam, quam condidit, conſeruantis. Nam, ſi vel ictu oculi Deus in ſua conſeruante operatione ceſſaret, non ſolum Angelica, & humana natura, ſed etiam vniuerſum prorſus rueret, & ad nihilum redigeretur. Quod agnoſcens Propheta, dicebat: Corripe me, Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.

Quomodo Deus creaturas ad bonum moueat. Cap. XIX.

CÆTERVM Deus, creaturas conſeruando, earum quamlibet etiam ad bonum incitat, ſuæ naturæ conueniens. Non enim ad idem bonum ſingulare omnia impellit, (nam non cuique idem eſt bonum) ſed quodque ad id, quod ipſi eſt bonum. Non enim ad idem materiam, corpus, irrationalia, & rationalia impellit. Materiam etenim ad formam acquirendam impellit,

pellit, vt actu exiſtat. Forma autem materiæ eſt bonum. Nam forma materiæ eſt finis, cum materia formam appetat, vt imperfectum perfectum, &, vt ait Ariſtoteles, veluti fœmina maſculum, & turpe pulchrum. Corpora mouet ſecundum inditam, determinatamque eorum inclinationem. Nam bonum naturale eſt corporibus, ne eorum inclinatio impediatur. Quando enim corpora impediuntur, ne naturali inclinationi ſtent, aut ferantur, vim patiuntur. Malum eſt autem, vim pati. Quapropter bonum eſt ipſis, ne eorum inclinatio impediatur. Sic Deus imperat Cælum circumagi, Terram ſtare, cæteraq. Elementa propriis motibus ferri. Irrationalia ad bonum inducit, eorum perfectionem, quæ ad naturæ integritatem pertinet, aſſidue adiuuando. Quod & ipſorum eſt bonum. Rationalem verò creaturam eminentiori quodam modo mouet. eam enim non ſolum ad ſingulare, ſed etiam ad vniuerſale bonum, & ipſius boni rationem ducit. Atque, vt de corpore taceamus, (humanũ enim corpus eodẽ fere ordine quo cætera corpora mouetur) ſpirituales potẽtias, intellectum, ſcilicet, & voluntatem ad bonum impellit. Intellectum quidem, quoniam facit intellectum potentia intellectum in actu. Id autem intellectui, eſt bonum vt ſit actu. Cum enim eſt in potentia, non dum ſuam nactus eſt perfectionem, ſed eam demum adipiſcitur, cum eſt actu. Vt verò intellectus fiat actu, duo requiruntur; alterum, vt ei vis ad intelligendum detur; alterum, vt in eo intelligibiles ſpecies imprimantur. Deus verò vtrumque agit. Nam & intellectui vim tribuit, qua intelligat, & ſpecies, quibus intelligat, imprimit. Quod cum facit, intellectum ad bonum ſibi conueniens inducit. Voluntatem quoque Deus ad bonum incitat. Nam, cum obiectum voluntatis primarium non ſit hoc, vel illud bonum, ſed bonũ vniuerſale, quod eſt Deus, a nullo alio profectò perfectius, quàm a Deo, voluntas moueri poteſt. Verum, vt perfectè voluntas moueatur, duo neceſſaria ſunt; alrum, volendi uis ei detur; alterum, vt ad obiectum ſibi conueniens inclinetur. At Deus vtrumque efficit. Nam & volendi vim voluntati largitur, & eam interius ad bonum inclinat. Atque ita voluntatem ad bonum impellit, & in boni rationem ducit. Isq. eſt modus, quo Deus naturaliter creaturas ad bonumi mouet. Quonam vero pacto interiori afflatu rationalem creaturam ad ſupernaturalem beatitudinem aſſequendam inflammet, non eſt hic exponendi locus.

Phy.1.c.9

De Mi-

De Miraculis. Cap. XX.

AT, quoniam Deus, qui naturæ ordini non ſubeſt, interdum quædam operatur, quæ naturæ facultatem excedunt, quæ Miracula appellamus; rationi conſentaneum duximus, hoc loco breuem de Miraculis ſermonem inſerere. Nam, cum Deus hæc operatur, creaturam mouet. Hæc verò omnia ſigillatim ſunt declaranda, quid, & quotuplex ſit Miraculum, cuius ſit Miracula facere, & per quos miracula fiant. Miraculum ita definiunt: Miraculum, eſt aliquid arduum, præter facultatem vniuerſæ naturæ, & ſpem admirantis proueniens. Arduum quippe debet eſſe miraculum. Nam, ſi quid exiguum ſit, non erit miraculum. Neque admiratione nos complet, quod ad miraculi ſubſtantiam requiritur. Non autem refert, ſolitum ne, an inſolitum ſit miraculum. Pleraque enim quotidie fiunt, & tamen ſunt miracula, vt Euchariſtiæ conſecratio. Adhuc neceſſe eſt, vt ſit præter facultatem vniuerſæ naturæ. ſi enim ſit præter facultatem ſingularis naturæ tantum, non eſt miraculum. Nam, ſi quid efficere poteſt Angelus, quod homo nequit, id non erit miraculum. etſi enim ab homine fieri non poteſt, fit tamen ab Angelo, qui eſt pars naturæ. Poſtremo eſt præter ſpem non quidem naturalem, qua ſperamus reſurrectionem futuram, ſed præter ſpem naturalem. Miraculorum duo ſunt genera. quædam enim facti ſubſtantia vim naturæ excedunt, atque hæc ſunt illa, quæ natura nullo modo facere poteſt, vt creatio, mortuorum reſurrectio, corporum glorificatio, & id genus reliqua; quædam verò non facti ſubſtantia, ſed faciendi ordine naturę facultatem exuperant, veluti ſi quis
Matt. 8. diu febri laboraſſet, & macie conſumptus eſſet, ſi ſolo verbo (quemadmodum Petri ſocrus) continuo ſanitatem, vireſq. reciperet, id quidem, quantum ad facti ſubſtantiam attinet, Miraculum dici nequit, (nam & naturali ordine ſanitas & vires reſtitui poſſunt) ſed, ſi faciendi ordinem ſpectes, miraculum eſt. Non enim tam repente, ſed longo temporis interuallo, id totum natura operata fuiſſet. Quod ſi Miraculum eſt præter facultatem totius naturæ, nemo profecto miracula facere poteſt, niſi totius ſit Dominus naturæ. Totus verò naturæ ſolus Deus eſt Dominus. Solus igitur Deus miracula facere poteſt.
Pſ. 16. Quapropter Pſaltes, cum aliquando Deum alloquens dixiſſet: Tu es, qui facis mirabilia; ne quis crederet, illa a natura effici poſſe, alibi

quæſtio-

quæſtionem diremit, ita inquiēs, Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus. Verum hic perplexa oritur dubitatio. Nam legimus, Angelorum imperio ignem, ac ſulphur ſuper Sodomam, & Gomorrham cecidiſſe; Moſen tot miracula operatum fuiſſe; Ieſu Naue iuſſu Solem ſtetiſſe; Eliam, Eliſæum, Apoſtolos, innumerosq. Sanctos totum orbem miraculis compleuiſſe. Neque ſolum ſanctos viros, ſed etiam peruerſos miracula operatos fuiſſe legimus. Magi enim Pharaonis coram ipſo Pharaone, & Moyſe miracula operabantur. Quod ſi quis dicat illa non fuiſſe miracula, quo modo effugiet, ne confiteatur, neque illa, quæ fecit Moſes, fuiſſe miracula? Nonne etiam de AntiChriſto ſcriptum eſt, quòd veniet in ſignis, & prodigiis? & de reliquis PſeudoProphetis legitur, quod eorum operationes adeo homines in admirationem trahent, vt per eas non ſolum cæteri homines, verum etiam, ſi fieri poſſet, electi, in errorem inducantur. Quo modo igitur verum eſt, ſolum Deum miracula facere? Conſtanter aſſeueramus, neminem, præter Deum, miracula facere poſſe. Quod ſi homines ſancti, aut Angeli, miracula facere videantur, non ſunt ipſi, qui hæc faciunt, ſed Deus, qui in illis operatur. Miniſterio, ac precibus eorum Deus facit miracula; non tamen ipſi faciunt. Interdum enim Deus per ſe ſolum, interdum per alios miracula facit. Atque id non multum habet difficultatis. Verum illud, quod de Magis Pharaonis, AntiChriſto, & PſeudoProphetis dictum eſt, magis vrget. Nam prorſus, illa, Miracula dicenda videntur. At verò nos dicimus, nec Magos miracula feciſſe, nec AntiChriſtum facturum, nec Dæmones, quorum ij miniſtri ſunt, efficere poſſe. nos enim definiuimus, Miraculum eſſe præter facultatem totius naturæ. At Dæmones, quæ faciunt, non faciunt præter facultatem totius naturæ, ſed præter vim naturæ inferioris: quæ cum talium operationum ordinem ignoret, putat ea eſſe miracula, quæ non ſunt verè miracula. Sed age rem intrinſecus perſcrutemur. In natura ſunt quædam rerum ſemina, quæ Seminales rationes appellantur; ex quibus multa corpora, atque etiam animalia generari poſſunt; quæ ſi inuicem copulentur, adeo, vt agentia cum patientibus congruenter conglutinentur, confeſtim ex eorum coniunctione corpora, animaliaq. euadunt. Id verum eſſe, animalia ex putredine orta declarant. Nam, ſi rerum ſemina Solis calore diſponantur, inde animalia emergunt. Qui igitur illorum commodam ſciret copulationem, haud difficulter corpora, animaliaque, quæ inde educi poſſunt, componeret. Dæmones, intellectus acie pollentes, & longa experientia adiuti, hanc ſeminum coniunctionem probe norunt. Quare, quoties libuerit, niſi

Gen. 19.
Exo. 7.
Ioſ. 10.
Exod. 29
2. Theſ. 2
Mar. 13.

Diui-

Diuina auctoritate cohibeantur, ſemina ſeminibus adiungendo, operantur multa, quæ nobis quidem rerum naturam neſcientibus mira videntur, re autem ipſa non ſunt miracula, cum totius naturæ facultatem non excedant. Ita operantur Dæmones; ita operati ſunt Magi eorum miniſtri; ita operabuntur impiorum caput AntiChriſtus, & ipſius membra Pſeudoprophetæ. At dicet aliquis: Moſes uirgam in ſerpentem conuertit. Magi Pharaonis ſimiliter fecerunt. Aut igitur hæc Magorum, facta erant miracula, aut non erant. Quod ſi hæc non erant, neque Moſis facta miracula erant. Si verò Moſis facta erant miracula, Magorum quoque facta erant miracula. Quie igitur dicemus? Nam, ſi Moſis facta erant miracula, quo modo Magorum non erant miracula? At, ſi Magorum facta non erant miracula, quo modo Moſis erant miracula? Vtrumuis enim dicas, abſurdum exiſtimatur? Nos quidem reſpondemus, Moſis facta fuiſſe miracula, Magos verò Dæmonum virtute operatos fuiſſe. modus enim, quo illa fiebant, diuerſus erat. Nam Magi Dæmonum, Moſes Dei virtute operabatur. Quod ex illo facile cognoſci poteſt, quod ſcilicet maior uis in Moſis, quã in Magorũ, factis apparebat. Vnde Magi aliquãdo prohibiti ſunt, operari, quæ Moſes operabatur: Moſes in colubrũ virgã vertit. Magi idẽ fecerunt: ſed quid euenit? Coluber Moſis colubrum magorũ deuorauit. Moſes cyniſes producit. Nituntur Magi idem facere, & non poſsũt. Quapropter, a veritate coacti, Dei in Moſe virtutẽ prædicãt, dicentes, Digitus Dei eſt hic. Videmus igitur, alia ratione Magorum, alia Moſis facta, metienda eſſe; atque hic Dei virtutem agnoſci, ibi tacitam, aut expreſſam cum Dæmonibus pactionem. Relinquitur ergo, vt credamus, ſolum Deum aut per ſe, aut per ſuos miracula operari.

Eox. 7.

Exod. 7.
Exod. 8.

De ordine Gubernationis rerum. Cap. XXI.

HAnc rerum adminiſtrationem Deus ita diſpoſuit, vt quædam à ſe ipſo ſolo gubernarentur, quædam inferioribus quibuſdam cauſis adiuuantibus adminiſtrarentur, non quod ipſe ſolus non poſſit omnia gubernare, ſed quoniam voluit creaturis innuere, in rebus adminiſtrandis quendam ordinem eſſe adhibendum, quem vltra numquam, niſi propter rerum vtilitatem, progredi oporteat. Id enim

ſummæ

ſummæ eſt ſapientiæ ab initio res ita diſponere, vt eundem ſemper, & certum ordinem ſeruent, qui non mutatione quotidie ſit inuertendus, ſed ſemper permaneat, niſi interdum rerum vtilitas aliud poſtulare videatur. Quod & Rerumpub. conditores animaduerterunt. Nam illi propoſitum erat, Remp. eo ordine diſponere, qui numquam, aut raro eſſet prætereundus. Quapropter Deus non ſolum in hiſce inferioribus, ſed etiam in cælo, ita omnia diſpoſuit, vt inferiora ſuperioribus ſubeſſent, & ab iiſdem gubernarentur. Corpora enim, & plantæ, & quælibet ratione carentia, a ſuperioribus cauſis gubernantur; generatioque, & varia formarum introductio vi cæleſtium corporum adminiſtratur. Homini verò non ſolum ratione carentia ſubduntur; verum etiam in ipſomet homine gubernationem quandam animaduertere licet, imperiumq. item, & ſubiectionem. Nam corpus ſenſui, ſenſus rationi ſubiicitur; corpusq. a ſenſu, & ſenſus a ratione gubernatur. Ratio rurſus Deo ſubeſt, a quo & gubernatur: qua tamen in gubernatione Deus Angelorum miniſterio aſſidue vtitur. Nam Angeli homines cuſtodiunt, & ad bonum in dies impellunt: vt reticeam, quam multiplicibus modis hominum ſalus Angelorum miniſterio ſemper adminiſtrata fuerit. Quod ſi ad cæleſtem patriam intellectum erigamus, intelligemus, ibi mirum quendam ordinem ſpiritualium purgationum, illuminationum, perfectionumq. ineſſe; inferioresq. Angelos a ſuperioribus, ſupremos verò a ſolo Deo purgari, & illuminari, & perfici. Verum hæc ſuo loco fuſius oſtendemus. Ex ijs illud patet, non omnia a ſolo Deo proximè gubernari, ſed quædam etiam per creaturas adminiſtrari.

Quomodo Cælum in inferiora influat.
Cap. XXII.

QVONIAM diximus, inferiora a ſuperioribus cauſis gubernari, neque exacte explicuimus, quonam pacto cæleſtia corpora generationis, nutritionis, & auctionis ſint cauſæ, & in quæ, & quo modo influant, & an neceſſitatem imponant iis, quæ eorum actioni ſubſunt, non ab re futurum putaui-

mus, ſi hoc loco exponeremus, quorum cæleſtia corpora ſint cauſæ, & quomodo in ea, quæ ipſis ſubſunt, influant. Nam, qua ratione ad generationem, nutritionem, auctionemq. concurrant, in aliud tempus differemus, cum ſcilicet de vegetatiuæ animæ viribus ſermonē aggrediemur. Vnum quodq. ſemper debemus metiri eo, quod in tali genere eſt primum: id enim metrum, menſuraq. eſt omnium eorum, quæ in tali genere continentur. Sic ens metimur ſubſtantia, ſubſtantiā Deo. quod enim primum eſt, perfectius eſt: Non autem perfectum imperfecto, ſed contra imperfectum perfecto definitur. In hiſce inferioribus multa mobilia ſunt, quæ non ſunt vniformia, ſicut et uarij motus, qui non ſunt vniformes. ergo hæc omnia, hoc eſt mobile, & motus reducenda ſunt ad aliquod vniforme, quo definiantur. Nullū autem mobile, præter cælum, eſt vniforme; nulluſq. motus, præter motum cæli, eſt vniformis. Ergo omnia mobilia, omneſq. motus cælo, & motu cæli ſunt definienda. Quod autem altero definitur, illi ſubeſt, & ab eodem gubernatur. Inferiora igitur omnia mobilia cęleſti corpori ſubſunt, & ab eodē gubernantur. Omnia verò mobilia inferiora alterationi ſubiacēt. Quæ igitur alterationi ſunt obnoxia, cælo ſubſunt, & ab eodem adminiſtrantur. Quod ſi qua ſunt alterationis expertia, illa, illorumq. actus a cæli adminiſtratione excluduntur. Ea vero ſunt, quæ à materiæ gremio non educuntur. Non ſolum igitur corpora, ſed etiam corporum formæ omnes, quæ a materiæ ſinu extrahuntur, vt inanimatorum, plantarum, animaliumq. ratione carentium, cæli motui ſubſunt. At rationales formæ, earumq. actus, niſi fortaſſe ex accidenti, vt mox oſtendemus, cæli vim non experiuntur. Ac de formis quidem a corpore penitus ſeparatis, vt ſunt Angeli & Dæmones, nullus fortaſſe ambiget, qui Angelos incorporeos eſſe affirmauerit, vt Theologorum ſchola ſentit. Nam, cum ſint formæ omnino a materia ſegregatæ, & corpore cæleſti ſuperiores, nullo pacto cæleſti actioni ſubduntur. de humana verò anima quis fortaſſe dubitauit, nam, ui imaginatiua læſa, continuo mentis operatio immutatur. ex quò fit, vt neque intellectus noſter conſultet, neque voluntas rectè eligat, neque recte exequatur. Præterea, cum concupiſcibilis, atque iraſcibilis vires perturbantur, voluntatis quoque actiones à recta ſemita declinant. Nos ad hæc reſpondemus, humanos actus, & præſertim voluntarios, cæli actioni non ſubeſſe. Nam, quæ liberi ſunt arbitrij, cælo ſubeſſe nequeunt. Item, quæ cælo nobiliora ſunt, cuiuſmodi eſt anima rationalis, quæ ad Dei imaginem, & ſimilitudinem facta eſt, cæli actioni non ſubduntur. Adde, quòd ſequeretur, hominem naturali inſtin-

ctu

ctu agi,non libertate agere. Directe igitur, & per ſe, neque intellectus, neque voluntas, neque eorum actus cæli impreſſiones ſequuntur. Verum, quoniam rationalis anima, corporis organis alligata, ad phantaſmata, dum operatur, neceſſario ſe conuertit, fit, vt,organo offenſo, atque iccirco phantaſmatibus immutatis, indirecte, & ex accidenti in ſuis operationibus impediri poſſit. Quare, ſi organum lædatur, intellectus quoque,& voluntatis actus immutabuntur. Non autem per ſe, & directè, ex accidenti, ex organorum videlicet læſione immutantur. Sin autem organa impedita non fuerint, liberæ, & puræ ſunt animæ rationales operationes. Quòd autem interdum voluntas, ſenſus appetitiones ſequatur,id non tollit arbitrij libertatem; ſed hominum dementiam indicat, qui, cum rationales magis,quàm ſenſibiles appetitus ſequi deberent, eligunt tamen ſenſui potius ſubeſſe, quàm dominari, & apparenti potius, quàm vero bono inhærere. Corpora itaque, & formæ è corpore eductæ, a cæli motu adminiſtrantur. Animus verò cæli actioni minime ſubeſt.

Cælum non omnibus neceſſitatem imponere. *Cap. XXIII.*

VERVM ex his ſtatim difficultas emergit,an cæleſte corpus iis, quæ ipſius motui ſubſunt, neceſſitatem imponat. Quidam, inter quos eſt Auicenna, & Aſtronomorũ quamplurimi, arbitrati ſunt, omnia ex neceſſitate euenire.Nã,cum viderẽt,corpora hæc inferiora à ſuperioribus moueri,& circũdari,exiſtimarũt,vniuerſam hanc molem, à cæleſti corpore adminiſtratam, adeo ei ſubiici, vt eorum actio ab inferiorum corporũ repugnantia impediri nullo pacto poſſet. In hunc itaque fere modum argumentabantur: Poſita cauſa per ſe, & prorſus valida, & aſſidue agente,effectus ex neceſſitate conſequitur. Sed cælum eſt cauſa per ſe, quia ibi nulla eſt cauſa per accidens; eſt perfecta, quoniam totam ſibi ſubiectam materiam continet; aſſidue agit, vt patet: Ex neceſſitate igitur effectus conſequitur. Quòd ſi dicas, ex inferiorum corporum concurſu cæli actionem poſſe impediri, id nihil eſſe aiunt: quælibet enim cauſa in cauſam cæleſtem, tanquam in cauſam per ſe,

reducitur. Ergo & hic concurſus in eandem, tamquam cauſam per ſe, reducetur. Atqui omnis cauſa per ſe eſt neceſſaria. Quare hic quoque concurſus eſt neceſſarius. Nos ad hanc dubitationem reſpondemus: Cælum ſolum eſſe cauſam vniuerſalem, ac primariam eorum, quæ ipſius motui ſubiacent, eorum, inquam, quæ generantur, & corrumpuntur, non autem abſolutam, quam totalem appellant; ac propterea non ſolum cælum, ſed etiam cætera elementa ad rerum gubernationem concurrere: quorum vi non numquam cæli actio impeditur; aut quia concurrens cauſa diſpoſita non eſt ad actionem illam recipiendam, veluti, ſi materia tunc pati apta non ſit; aut quia inferior cauſa adiuuans propter imbecillitatem ſuffragari nequit; aut quia interdum etiam reſiſtit: ex quo fit, vt cælum, etſi ipſum cauſa potior eſt, nonnumquam ſua actio fruſtretur. Non igitur, quidquid cæteri dicant, concedimus, cælum abſolutam cauſam inferiorem eſſe, ſed tantum primariam: Nam & elementa adiutrices cauſas eſſe aſſeueramus. Quapropter neceſſe eſt, ad inferiores effectus producendos elementa concurrere, quæ, licet cælum ſuo ambitu contineat, non tamen illis omni ex parte ſemper dominatur. Neque omnis cauſa reducenda eſt in cauſam cæleſtem, licet ſit cauſa per ſe, niſi fortaſſe; vt cauſa ſingularis reducitur in vniuerſalem. Id tamen non prohibet, quin elementa in agendo adiumentum afferant, & cæleſtem actionem interdum impediant. Quod mirabili ratione a Deo diſpoſitum eſt. Nam, niſi elementa reſiſterent, & interdum impedirent, quodlibet eſſet neceſſarium, & nihil contingens. Vt igitur eſſent aliqua contingentia, voluit Deus, vt cæleſtes actiones interdum deficerent: qui quidem defectus, contingentiæ eſt veluti fons, & radix: licet non ſit omnino (vt recte Caietanus mihi ſentire videtur, cuius verbis vtar) contingentiæ complementum. Natura enim potentiæ in naturalibus repertæ, qua effectus minori ex parte deficere poſſunt, radix eſt contingentiæ: cauſarum verò concurſus accidentalis, ſiue ſit actiuus, ſiue paſſiuus, eiuſdem eſt perfectio.

Caiet. 1. p.q. 115. art. 6.

De Fato. Cap. XXIV.

QVONIAM verò nonnulli dixerunt, Fatum neceſſarium eſſe ad rerum gubernationem, videndum eſt, quidnam eorum ſententia Fatum ſit, & an dandum ſit Fatum eo pacto, quo ipſi Fatum definiebant; & denique, quid re vera ſit Fatum, & quo modo ſit ponendum. His enim determinatis, ſermo de rerum gubernatione abſoluetur. Stoici, qui Fatum introduxerunt, aſſeuerabant, Fatum eſſe neceſſitatem quandam ex ſiderum diſpoſitione fluentem. Itaque, quæcumque hic aguntur, ex neceſſitate fieri cenſebant; & in hanc cauſam non ſolum contingentia, & ea, quæ fortuna, aut caſu eueniunt, ſed etiam humanos actus referebant; negabantq. quidquam aut contingenter, aut caſu, aut libere fieri. Verum hæc ſententia apertè rerum ordinem tollit: nihil enim in rebus eſſet, niſi violentum. Nam, ſi nihil ageretur, niſi motu corporis cæleſtis, nihil eſſet in corporibus proprium, nulla eſſet elementorum inclinatio, nullus motus, nulla quies, nulla actio, ſed totum nutu cæli fieret. Quo modo igitur proprium aeris eſſet, ferri ſurſum; terræ, deorſum? quo modo proprium ignis eſſet, calefacere; aquæ, refrigerare? Vbi eſſet arbitrij libertas? vbi iuſtitia? Neque enim iuſtum eſſet homines plecti, qui malum ſua ſponte non fecerunt; neque præmijs afficiendus eſſet, qui præclarum aliquid geſſit. Diuina denique lex tota rueret, quæ iuſtis præmia, iniuſtis ſupplicia decernit. Hoc igitur pacto, Fatum in rebus ponere, impium eſt, & profanum. Alij verò per Fatum nihil aliud intelligunt, quam Diuinam Prouidentiam, ex qua neceſſario cuncta emanare contendunt. Verum hanc ſententiam ſatis ſupra confutauimus. Peripatetici autem, vt Theophraſtus in Calliſthene, & Alexander 2. lib. de anima declarant, dixerunt, Fatum eſſe propriam cuiusq. rei naturam, à qua cuncta adminiſtrari cenſuere. Verum hæc ſententia tuta non eſt: aut enim prouidentiã tollit, aut ſaltem prouidentiæ detrahit. Sed numquid concedendum eſt, Fatum eſſe? Dandũ profecto aſſerimus, ſed non quo modo iſti introduxerunt. Fatũ igitur cum Boetio definimus eſſe inhærentẽ rebus mobilibus diſpoſitionem, per quam prouidentia ſuis quæq. ordinibus nectit, ſiue famulantibus

De conſ. li. 4. pro. 4.

quibuſdam

quibuſdam Diuinæ prouidentiæ ſpiritibus exerceatur, ſeu anima, ſeu tota inſeruiente natura, ſiue cæleſtium ſiderum motibus, ſeu Angelica virtute, ſeu Dæmonum varia ſollertia, ſeu aliquibus eorum, ſeu omnibus hæc fatalis ſeries texatur. Secundarum itaque cauſarum ſeries ad effectus producendos Fatum eſſe dicimus. Hoc igitur modo ſi Fatum eſſe concedamus, congruens eſt, & verum. Sin autem dixerimus, Fatum eſſe aut neceſſitatem, vt propriam cuiuſque rei naturam, diſcrepans eſt, & falſum. Et, quoniam, qui Fatum excogitarunt, hoc ſenſu intelligebant, plerique Sanctorum Patrum Fatum eſſe negauerunt. Quapropter Auguſtinus accurate monebat, ne quis hac voce vteretur.

Aug. de ciuit. Dei lib. 5.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER TERTIVS.

DE TRINITATE.

De Proceſſione Diuinarum Perſonarum. Cap. I.

IAM ad Sanctæ Trinitatis myſterium explicandum tranſgrediamur: ſi tamen dicere licet, illud explicari, quod ne affari quidem poſſumus. Ad id enarrandum cum timore, & ea, quæ Catholicum decet, pietate aggrediemur. Verum timore Domini plenum & pium, lectorem deſideramus. Nam, veluti, vt ait Auguſt. nihil hac contemplatione fructuoſius inuenitur, ita nuſquam periculoſius erratur. Tres ſunt in Diuinitate perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; vnius naturæ, vnius potentiæ, vnius æqualitatis. Diſtinctæ ſunt perſonæ, ſed omnium vna eſt eſſentia. Pater à nullo procedit, Filius a Patre, & Spiritus ſanctus a Patre, & Filio. Tres ſunt perſonæ, duæ emanationes, altera Filij; altera Spiritus ſancti. Quo modo autem Filius, quó modo item Spiritus ſanctus procedat, exacte eloqui non valemus. Generationem enim Filij, & Proceſſionem Spiritus ſancti, quis enarrabit? Nemo profecto, niſi qui vtramque intelligit. Sed, quoniam nemo nouit Patrem, niſi Filius, neque Filium quis nouit, niſi Pater, & Spiritus ſanctus, cui Pater, & Filius reuelant, hoc eſt, cum quo totam eſſentiam communicant, nemo has proceſſiones enarrare valebit, niſi ille idem ſit Deus. Qua enim ratione quis

Aug. de Tri. lib. 1 c,3.

Eſa. 53.

Matt. 11.

quis explicet, quod non nouit, cum voces animæ conceptuum ſint notæ? Theologi tamen, veluti balbutientes, aiunt, Filium per actum intellectus, Spiritum Sanctum per actum voluntatis emanare. Nam, cũ in ſubſtantijs materiæ expertibus nihil reperiri poſſit, quod aliter procedat, quàm ex actu intellectus, aut voluntatis; Filius verò à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedat, aliter profectò non procedunt, quàm per actum intellectus, & voluntatis. Et, quoniam actus intellectus, qui eſt cognitio, voluntatis actum præcedit, (nihil enim voluntas appetit, aut diligit, quod intellectus non præcognouerit) atque Filius per actum intellectus, Spiritus Sanctus per actum voluntatis procedat; prius certe mens noſtra in proceſſionem Filij, quàm Spiritus Sancti fertur. Itaque prius intelligit, Filium procedere, quàm Spiritũ Sanctũ, etſi Spiritus Sanctus neque tẽpore neque natura Filio eſt poſterior. In illa enim ſancta Trinitate nihil eſt prius, aut poſterius, vel tẽpore, vel natura, ſed tantũ eſt ibi ordo originis, hoc eſt proceſsio vnius ab alio. Qua verò ratione id fiat, intueri aliqua ex parte poterimus, ſi ad ea, quæ in imagine creata, id eſt in anima noſtra rationali experimur, mentis aciem intendamus. ex ijs enim, quæ nobis inſunt, Diuini illius ſplendoris participes quodam modo fieri poſſumus. In nobis eſt anima rationalis, quam eſſentiam animæ, ſeu mentem appellamus: quæ duabus potentijs, ſeu uiribus prędita eſt: quarum altera Intellectus, altera Voluntas vocatur. Intellectu intelligit, Voluntate vult, & diligit. dum mens noſtra aliquid intelligit, ex illa intellectione conceptus quidam in intellectu remanet, qui rei intellectæ eſt ſimilitudo, naturam omnem rei intellectæ continens, ex qua etiam in apertam ſui cognitionem deueniens, ſui ipſius quandam notitiam producit. Age, intelligat quis hominem, ex illa intellectione in intellectu ſimilitudo quædam hominis remanet, totum hominem exprimens, adeo, vt in illa ſimilitudine tota reluceat hominis eſſentia. Poſtquam vero mens obiectæ exterius rei ſimilitudinem in intellectu recepit, in ſe ipſam reflexa, ſuum intelligit actum; & percipiens ſe intelligere, percipit etiam ſe vim eſſe intellectiuam, & rationalem; ex quo fit, vt ab ea ſui ipſius notitia producatur, & quaſi generetur. hæc notitia eſt veluti lux quædam mentis, quoniam per ipſam mens propriam naturam cognoſcit: &, quemadmodum lux cum corpore lucido coniuncta eſt; ita hæc notitia cum mente adeo conglutinatur, vt vnum quodammodo cum ipſa fiat. Hanc notitiam perfectum, abſolutumq. conceptum, ſeu verbum cordis, & lucem, & imaginem intellectus nominamus. Poſtquam verò mens intellectu ſuam naturam apprehendit, voluntate ad eandẽ diligen-

diligendam inclinatur, atque adeo impellitur, vt tandem illam intenſe diligat: ita, vt intenſus ſuæ eſſentiæ amor in voluntate remaneat. Verum mens ſuam eſſentiam voluntate non diligeret, niſi prius illam ab intellectu conceptam voluntati obieciſſet. Iccirco enim per voluntatem amorem producit, quia prius ſuæ eſſentiæ notitiam per intellectum procrearat. Itaque huius amoris non modo voluntas, ſed etiam mentis notitia, ſiue imago eſt principium. emanat enim amor tum a voluntate, tum à mentis notitia, ſeu verbo. Quod de imagine creata diximus, ad Diuinam mentem accommodemus. Dum Deus Pater ſe ipſum intelligit, ac perfecte intelligit, per ipſius intellectionem conceptus, ac ſui ipſius notitia procedit, Patri omnino ſimilis, immo æqualis, omni ex parte ipſum repræſentans, ſplendor, imago, figura, vt inquit Apoſtolus, ſubſtantiæ eius. Hic conceptus cum intra Patrem maneat, cui nihil accidere poteſt, non eſt noſtri conceptus inſtar accidens, ſed non ſecus, ac Pater, per ſe exiſtit. Cumq. quidquid eſt intra Deum, ſit Deus, neceſſe eſt, conceptum, quia intra Patrem eſt, non ſolum per ſe exiſtere, ſed etiam eſſe Deum. Præterea, Patris eſſentia eſt indiuiſibilis. conceptum igitur Patris eiuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe, neceſſe eſt. Nam, ſi conceptus eandem met, quam Pater habet, eſſentiam habet a Patre; Patris verò eſſentia eſt indiuiſibilis; eadem profecto eſſentia erit Patris, & Conceptus. Conceptus ergo Patris per ſe exiſtit, eſt Deus, Deus de Deo, Patri conſubſtantialis, ac prorſus æqualis. Hic Conceptus generari dicitur a Patre, & eſſe, vt eſt, Filius Patris. Illud enim, quod vt aſſimile procedit, generari proprie dicitur, & præſertim inter viuentia, & Filij nomine nuncupatur. Cum itaque conceptus Patris, vt Patri aſſimilis procedat, generari dicitur, & Filius vocatur, & generatur, & eſt vere Filius, ſicut ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cum verò Deus Pater ſuum verbum concepit, & imaginem genuit, Pater & imago voluntate ad communis eſſentiæ dilectionem, mutuumq. amorem incitantur. Itaque Pater cum Filio, & Filius cum Patre ſe mutuo diligendo amorem ſpirant, quo indiſſolubili modo alter cum altero ſociatur. Qui quoniam in Patris, & Filij eſſentia inſidet, per ſe exiſtit, & eſt Deus, eiuſdemq. cum Patre, & Filio eſſentiæ. Non procedit plenius a Patre, quàm a Filio; ſed plene ab vtroque. Nam, cum eadem ſit Patris, & Filij eſſentia, potentiam quoque, qua amor ab vtroque procedit, quam potentiam Spiratiuam Theologi appellant, eandem eſſe, neceſſe eſt. Hæc proceſſio, qua amor a Patre, & Filio procedit,

Heb. 1.

Pſ. 2.

cedit, propriam vocem, qua appelletur, in Scripturis non habet:
Io. 16. ſed Generis nomen Scripturarum conſuetudine obtinuit. Quare, etſi generatio quoque Filij Proceſſio, ſiue Exitus vocatur, ſicut Saluator teſtatus eſt, dicens: Exiui a Patre: quoniam tamen proceſſio Spiritus Sancti peculiarem vocem non habet, Generis nomine Proceſſio appellatur. Eadem ex cauſa hic amor Spiritus Sancti nomen ſibi vindicauit, quod etiam Patri, & Filio conuenit. Nam Pater eſt Spiritus ſanctus, Filius eſt Spiritus ſanctus, Amor eſt Spiritus ſanctus. Verum, quoniam huic Amori nomen deerat, Generis vocabulum ei eſt attributum. & quidem hoc ex Euangelio colligitur, quod hunc Amorem, qui a Patre, & Filio procedit, Spiritum ſanctum vocare conſueuit. Ecce, quo pacto Theologorum communis Schola declarat, Filium & Spiritũ ſanctum procedere. Sed nos illud humiliter fatemur, tantum myſterium ab homine pro dignitate neque poſſe intelligi, neque explicari.

Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere. Cap. II.

HIC diligenter animaduertendum eſt, inter Latinos omnes conuenire, Spiritum ſanctum a Patre, & Filio procedere. Græcorum autem plerique negant, Spiritum ſanctum a Filio procedere, quia in ſacris literis id aperte ſcriptum non inuenitur. Confitentur quidem, à Patre procedere, quia ſcriptum eſt: Spiritus, qui a Patre procedit. Fatentur etiam, eſſe Spiritum Filij, quia ſcriptum eſt: Si quis Spiritum
Io. 15. *Rom. 8.* Chriſti non habet. Neque negant, a Patre per Filium procedere, vt originis ordinem declarent: Verum à Filio procedere non admittunt. Immo Theophylactus hæreſis nos inſimulat. Nam, cum in confeſſione fidei in Synodo Nicęna edita aſſeratur, Spiritũ ſanctum a Patre procedere, atque illi, qui aliquid Symbolo addiderint, excõmunicationis gladio feriantur, nosq. Spiritũ ſanctũ ab vtroque procedere aſſeueremus, & Symbolo addiderimus, A Filio procedere, arbitratur, nos tũ hęreſis reos eſſe, tũ in excommunicationẽ incidiſſe. Neque intellexit ille, egregius alioqui vir, tunc temporis illud, ſcilicet, Spiritum ſanctum a Filio quoque procedere, in Symbolo appoſitum non fuiſſe, quoniam nul-

la adhuc

la adhuc hæreſis inſurrexerat, quæ negaret, Spiritum ſanctum a Filio procedere. Quemadmodum etiam fallitur, dum putat eos excommunicari, qui ſimpliciter aliquid addiderint. Non enim excommunicantur, qui addiderint, ſed qui contrarium illi confeſsioni adiecerint. Nam, ſi quiſpiã, vt nos fecimus, aliquid nõ repugnans, ſed potius ibidem implicitè contentum, veritatemq. omni ex parte manifeſtans, appoſuerit, non video, cũ aut hæreſis condemnari debeat, aut excõmunicatus cenſeri; cum præſertim ex Græcis ſanctiſsimi, & doctiſsimi viri non defuerint, qui aſſeruerint, Spiritum ſanctum a Patre, & Filio procedere. Nam Athanaſius, qui Nicænæ Synodo interfuit, in ſuo Symbolo ſcriptum reliquit: Spiritus ſanctus a Patre, & Filio non factus, non creatus, non genitus, ſed procedens. Quem etiam Damaſcenus in hiſtoriâ ſequitur, his verbis: Vnum ſcias Spiritum ſanctum ex Patre, Filioq. procedentem. Quare eos crediderim, veteres illos Patres ex Græcis, etſi palam id non expreſſerunt, aliter ac nos ſenſiſſe. Recentiores tamen, contentionis cauſa, tantas (vt reor) turbas excitarunt. Nos cum Catholica Eccleſia confiteamur, Spiritum ſanctum a Patre, & Filio procedere. Hic adnotare libet, Mercurium Triſmegiſtum, vel Spiritu ſancto afflatum, vel Moyſis, qui Atlantis, Mercurij proaui, tempore floruit, ſapientiæ participem effectum, hanc veritatem ſcriptis mandaſſe. Nam in Pimandro ſic locutus eſt: Mens Deus vtriuſque ſexus fœcunditate plenißimus, vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, quæ quidem Deus ignis, & Spiritus numen.

De Eſſentia. Cap. III.

IN Diuinitate plura a nobis conſideranda ſunt, videlicet Eſſentia, ſiue Natura, Perſona, Notiones, Relationes, Proprietates, Actus notionales, Potentia, & Attributa. De quibus ſigillatim eſt dicendum. Eſſentiam id appellamus, quo aliquid eſt, eandemque, vt eſt actionis principium, Naturam nuncupamus. Idem itaque eſt Eſſentia, & Natura; ſed, prout ipſa aliquid eſt, nominatur Eſſentia; quatenus verò quidpiam operatur, vocatur Natura. Eſſentia in Diuinitate vna eſt: non enim res Diuinæ, more creaturarum, quarum tot ſunt naturæ ſingulares, quot ſunt ſuppoſita, ſunt metiendæ: ſed vna nume-

ro eſſentia ponenda eſt, quæ multiplicatis ſuppoſitis non multiplicatur, ſed cum eorundem multiplicatione indiuiſa conſiſtit. ea quoque, quæ eſſentiam conſequuntur, vt ſapientia, bonitas, cæteraq. huiuſmodi, vnum ſunt, ſicut vna numero eſt Natura, vt ſupra etiam demonſtrauimus.

De Perſona. *Cap. IV.*

Boet. in libro de duab. natu.

PERSONA, vt ait Boetius, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. In Diuinitate, nullum proprie eſt indiuiduum: vbi enim non eſt vniuerſale, non eſt indiuiduum. Nam indiuiduum ſpeciei, ſub qua continetur, eſt indiuiduum. Verum, quoniam indiuiduum in aliqua natura appellare cõſueuimus id, quod, cum ſubſiſtat, naturæ perfectionem includit, ſimilitudine quadam in Diuinitate dicimus eſſe indiuiduam ſubſtantiam, quæ naturæ Diuinæ totam perfectionem comprehendat; quæ in rationali, hoc eſt intelligibili natura Perſona nominatur. Cum itaque Perſonam Diuinam dicimus, nihil aliud intelligimus, niſi quippiam ex omni parte perfectum in Diuina natura ſubſiſtens. Quamuis autem Perſonæ nomen in Sacris libris non reperiatur; neceſſitas tamen ſanctos Scriptores adegit, vt illud vſurparent. Nam nõ omnia nomina, quibus Doctores vtuntur, in Diuinis libris reperiuntur: ſed propter hæreticorũ calliditatem alijs vocibus interdum vtimur, a Patribus alioqui approbatis. Neque id non licere cenſebimus, dummodo voces Scripturis non repugnent. Hypoſtaſis quoque vocabulo recte vtemur, quod interpretaberis Subſiſtentiam, ſeu Suppoſitum. Nam interrogantibus, quid ſit Pater, quid ſit Filius, quid ſit Spiritus ſanctus, recte reſpondebimus, Patrem eſſe Hypoſtaſim, Filium eſſe Hypoſtaſim, Spiritum ſanctum eſſe Hypoſtaſim; quemadmodum recte dicimus, Patrem eſſe Perſonam, Filium eſſe Perſonam, Spiritum ſanctum eſſe Perſonam. Ac noſtris quidem temporibus hoc licet, in quibus huius vocis ambiguitas omnino ſublata eſt. Antiquitus enim & pro Subſtantia, & pro Subſiſtentia hoc nomen vſurpabatur. Vnde hæretici, occaſione ſumpta, ſimplicioribus inſidias comparabant. Nám, cum interrogarent, an Pater eſſet Hypoſtaſis, & illi affirmarent, fateri eos cogebant, Patrem eſſe Subſtantiam. Quod cum ſubinde de Filio, & Spiritu ſancto interrogarent, illos compellebant,

vt

vt concederent, tres eſſe ſubſtantias, ſicut tres perſonas. Nam ſic ratiocinabantur: Pater eſt Subſtantia, Filius eſt Subſtantia, Spiritus ſanctus eſt Subſtantia. Ergo ſunt tres ſubſtantiæ. Atque ita rudes decipiebant. Quapropter Hieronymus dicebat, ſub hac voce venenum latere. Nunc verò, quoniam id nomen ex vſu loquendi Subſtantiam, vel Suppoſitum tantum ſignificat, abſque periculo vſurpari poteſt. Commodius tamen, ac magis proprie Perſonæ nomine vtemur. *In ep. ad Damaſ. Quoniã vetuſt.*

De numero, & æqualitate Diuinarum Perſonarum. Cap. V.

TRES in Diuinitate ſunt Perſonæ, non plures, neque pauciores, ſcilicet, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: vna tamen eſt trium eſſentia; ſicut ſcriptum eſt: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Quoniam verò vna eſt trium eſſentia, neceſſario conſequitur, ipſas inter ſe eſſe æquales; neque in illa ſuper ſancta Trinitate debere aliquid intelligi maius, vel minus. Tria autem ſunt, in quibus tres perſonæ ſunt inter ſe æquales, Æternitas, Magnitudo, & Potentia, vt declarauit Auguſt. in libro de fide ad Petrum, his verbis: Æqualitas intelligitur in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, in quantum nullus horum aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate. Aeternus igitur Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus, quia non prius Pater, quàm Filius, aut Spiritus ſanctus; ſed ſemper Pater, ſemper Filius, ſemper Spiritus ſanctus. Magnus item Pater, magnus Filius, magnus Spiritus ſanctus; ſed non eſt maior Pater Filio, vel Spiritu ſancto. Nam licet Filius ſit de Patre, & Spiritus ſanctus de Patre, & Filio; quoniam tamen per æternam generationem tota Patris eſſentia cum Filio, & per æternam Patris, & Filij ſpirationem eadem eſſentia cum Spiritu ſancto communicatur, non maior eſt alter altero, ſed omni ex parte Pater perfectus, Filius perfectus, Spiritus ſanctus perfectus. Neque aliquem moueat, quod ſcriptum eſt, Pater maior me eſt: Et rurſum: Ipſe Filius ſubiectus erit illi, qui ſubiecit ei omnia. Hæc enim de Filio dicta ſunt ſecundum humanam naturam, qua inferior eſt Patre, *1. Io. 5.* *Ioan. 14* *1. Cor. 15.*

vt Atha-

Atha. in vt Athanaſius expoſuit, cum dixit, Aequalis patri, ſecundum di-
ſymbolo. uinitatem, minor patre ſecundum humanitatem. Quod ſi quis hæc
Hila. lib. verba ad Diuinam naturam referri voluerit, cum Hilario dicat:
9. de Tri- Donantis auctoritate Pater maior eſt, ſed maior non eſt, cui vnum
nitate. eſſe donatur, ſubiectionemq. Filij agnoſcat naturæ eſſe pietatem,
hoc eſt auctoritatis paternæ recognitionem. Rurſus potens eſt Pa-
ter, potens Filius, potens Spiritus Sanctus; &, quanta eſt poten-
Ioan. 5. tia Patris, tanta eſt potentia Filij, tanta Spiritus Sancti. Quæ-
cumque enim Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit. Cur ita?
quoniam vna eſt vtriuſque eſſentia. Quare addere poſſumus: &
quæ Filius facit, hæc & Spiritus Sanctus ſimiliter facit, cum Spiri-
tus Sanctus ſit eiuſdem cum Patre, & Filio eſſentiæ. Neque hæreat
pius lector, cum legerit: Non poteſt Filius à ſe facere quidquam;
Ioan. 5. niſi quod viderit Patrem facientem. Et: Sicut dedit mihi manda-
Ioan. 14. tum Pater, ſic facio. Et: Pater omnia demonſtrat Filio, quæ ipſe
Ioan. 5. facit. Et: Sic, vt audio, iudico. Hæc enim omnia, & ſiqua ijs ſunt
Ibidem. ſimilia, ad humanam naturam referuntur. Siquis autem ea ad Di-
uinam naturam aptare voluerit, Patris auctoritatem in omnibus
dignoſcat, à quo Filius potentiam, & ſcientiam in generatione ac-
Ioan. 10. cipit. Non deſunt teſtimonia, quibus æqualitas Patris, & Filij de-
Ioan. 14. monſtratur. Nam ipſemet Filius dicit: Ego, & Pater vnum ſumus.
Ibidem. Et rurſum: Ego in Patre, & Pater in me eſt. Et iterum: Qui videt
Phi. 2. me, videt & Patrem meum. Paulus quoque ait: Non rapinam ar-
bitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Quod & Triſmegiſtus in Pimandro
expreſſit, cum inquit: Cogita, quod in te audit, & videt verbum
Domini; mens autem Pater, Deus: neque enim diſtant ad inuicem.
Horum vnio vna eſt. Hæc Triſmegiſtus. Sanctum verò Spiri-
tum Patri, & Filio æqualem eſſe, non dubitamus. Patri
quidem, quoniam à Patre procedit, hoc eſt totam à
Patre eſſentiam accipit, vt ſcriptum eſt: Spiri-
Ioan. 15. tus, qui à Patre procedit. Filio autem, quia
Ioan. 16. de Filij ſubſtantia accipit, vt ſcriptum
eſt: Ille de meo accipiet. Demum
hæc eſt Catholica confeſſio, vt
credamus, tres Perſonas
inter ſe eſſe æ-
quales.

De Perſona

De Perſona Patris. Cap. VI.

PATER in Diuinis non per translationem, ſed propriè Pater nuncupatur: immò ab ipſo, vt ait Paulus, omnis Paternitas in Cælo, & in Terra nominatur, ſicut ſcriptum eſt: Inuocabit me, Pater meus es tu. Quis autem negare auſit, Patrem in diuinitate eſſe verè Patrem, cum Filium eiuſdem numero eſſentiæ genuerit? Nam, ſi homines Patres dicuntur, qui Filios eiuſdem ſpecie eſſentiæ gignunt, quanto magis, qui eiuſdem numero eſſentiæ Filium genuit, hoc nomine decorabitur? Proprie igitur in diuinitate Pater eſt Pater. At vero creaturarum Pater appellàtur, quoniam ſcilicet omnibus id, quod ſunt, elargitus eſt, & rationalem creaturam ad ſuam imaginem, & ſimilitudinem effinxit, & adoptauit in adoptionem filiorum Dei. Quapropter & pluuiæ Pater, & noſter poſſeſſor, effector, & creator in Scripturis prædicatur. Nam apud Iob ſcriptum eſt: Quis eſt pluuiæ pater, aut quis genuit guttas roris? Et in Deuteronomio legimus: Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, fecit, & creauit te? Quin etiam Pater principium Diuinitatis ab Auguſt. nuncupatur. Nam, licet in Diuinitate non ſit aliquid prius, aut poſterius, ſiue tempore, ſiue natura: eſt tamen ordo originis, quo alius eſt ab alio: & ab ipſo aliæ perſonæ Diuinæ procedunt: &, quoniam Pater a nullo procedit, ideo dixit Auguſtinus, Patrem eſſe principium totius Deitatis. Quod Ioannes innuiſſe videtur, cum dixit: In principio erat Verbum. Nonnulli enim hic Principium pro Patre interpretantur.

Eph. 3. *Pſ. 88.* *Gen. 1.* *Rom. 8.* *Iob 38.* *Deu. 32.* *4 de Trinit. c. 20.* *Io. 1.*

De Perſo-

De Perſona Filij. Cap. VII.

FILIVS in Scripturis non modo Filius, ſed etiam Verbum, Imago, Splendor, & Principium appellatur. Scriptum eſt enim: In principio erat Verbum. Et rurſum: Verbum caro factum eſt. Et iterum: Verbo Domini cæli firmati ſunt. Et: Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quam vero ob rem Verbum dicatur, ſupra expoſuimus, quia ſcilicet conceptus eſt Patris. Hoc nomen in Scripturis ſoli Filio tribui ſolere, Latini omnes aſſerunt. Ex Græcis tamen Baſilius 5. contra Eunomium lib. illud Pauli, Portans omnia verbo virtutis ſuæ, in medium afferens, Verbum pro Spiritu ſancto expoſuit. Verbum autem non modo ad Patrem, ſed etiam ad creaturas refertur. Nam conceptus ad ea omnia refertur, quæ quis intelligit: Quapropter Verbum non ſolum ad Patrem, ſed etiam ad creaturas refertur. Et non modo Patris, verum etiam Creaturarum Verbum dicitur, Patremque, & res ipſas exprimit; illum, vt eum, a quo procedit; has verò, vt ea, velut inquit Aug. quæ a Patre per verbum facta ſunt operatiua potentia. Verum, ne mireris, Verbum ad creaturas quoque referri, cum ſit conceptus Patris: vnus enim eſt Patris conceptus, omniumque, quæ ab ipſo intelliguntur, propter abſolutam eius ſimplicitatem. Quare non alio actu ſe ipſum, alio creaturas intelligit, ſed vno, eodemq. indiuiſibili actu omnia concipit. Vno autem exiſtente conceptu, ſed rebus multiplicatis, nihil prohibet, Verbum ad diuerſa referri. neque tamen aliquid detrimenti conceptui accidit, cum ad plura refertur. Vnum enim, idemque aliquid exiſtens ſine ſui diminutione plura poteſt exprimere, vt videre eſt in ſpeculo: in quo licet plures rerum imagines interdum inſpiciantur, nullum tamen dannum conſpicitur. Filius etiam Imago Dei nominatur, vt Paulus ſcriptum reliquit: Qui eſt imago Dei inuiſibilis. Et rurſum: Qui cum ſit figura ſubſtantiæ eius. Quam vero ob cauſam Imago dicatur, ſupra oſtendimus: quoniam ſcilicet totam Patris naturam exprimit. Hoc nomen de ſolo Filio dici debere, Latini affirmant. Græci autem Doctores Spiritum ſanctum etiam imaginem Patris, & Filij eſſe aſſeuerant. Quod à Baſilio lib. 5. contra Eunomium fuſe comprobatur.

Io. 1. — Pſ. 32. — Heb. 1. — in lib. 83 q.q. 63. — Col. 1. — Heb. 1. — Ibid.

Filius

Filius quoque ab Apoſtolo Splendor gloriæ patris nuncupatur, vt o-
ſtendatur, ipſum Patri eſſe coæternum. Quemadmodum enim ſplen
dor ſemper flammam comitatur, ita Pater nunquam ſine Filio exti-
tit: ſicut ait Ioannes: Hoc erat in principio apud Deum. Hæc nomi- *Io. 1.*
na ad ſignificandum filium aptantur, vt tot nominibus eius perfe-
ctionem intelligamus, quam vno complecti nequimus. dicitur Ima-
go, vt Patri conſubſtantialis oſtendatur: appellatur Verbum, vt
immaterialis, vt ita dicam, eius proceſſio demonſtretur: vocatur
Splendor, vt Patri coæternus declaretur. Quin etiam Filius Principij
nomen obtinet, vt ipſemet teſtatur, dicens: Ego principium, qui & *Ioan. 8.*
loquor vobis. Scriptum etiam eſt: In principio creauit Deus Cæ- *Gen. 1.*
lum, & Terram, vbi nomine Principij, Filium intelligi, Origenes, & *Orige. in Gen.*
Aug. interpretantur. Principium autem in Deitate dicitur non Pa-
tris, qui a nullo eſt, & a quo eſt Filius, ſed Spiritus ſancti, qui a *Io. 1.*
Patre, & ab ipſo procedit. *Augu. 1. ſuper Ge. ad lit. c. 4*

De Perſona Spiritus ſancti. Cap. VIII.

QVamquã Pater eſt charitas, Filius charitas, Spiritus ſanctus charitas: Peculiari tamẽ quadã ratione Spiritus ſanctus Charitas appellatur. Nã, etſi Pater diligit ſe ipſo, qui eſt dilectio; & Filius ſeipſo, qui eſt dilectio; & Spiritus ſãctus ſe ipſo, qui eſt dilectio; ſolus tamen Spiritus ſanctus procedit, vt dilectio: Nam Pater, & Filius ſe mutuo diligentes ſpirant amorem, qui eſt Spiritus ſanctus. Ex quo etiã fit, vt Spiritus ſanctus Patris & Filij nexus dicatur. Conſimili ratione Spiritus ſanctus Donum nuncupatur. Nam adeo amor, & donum inter ſe coniuncta ſunt, & conſociata, vt neque donum ab amore, neque amor a dono ſeparari poſſe videatur. Quod enim quippiã donetur, hoc eſt gratis, nullaq. remuneratione expectata detur, in cauſa eſt amor, quo aliquẽ proſequimur. Is itẽ, qui amat, ad donandũ ſemper eſt propẽſus. Cũ itaque Spiritus ſanctus ſit amor, cõgruenter ſancti Doctores ei Doni nomẽ tribuũt, quod ex amore proficiſcitur, eiq. sẽper adnectitur. Vt igitur eſt amor, ita etiã donũ. Nã, ſicut procedit vt amor, ita procedit vt is, qui poſſit donari. Immo procedit, vt amor (vt ſic loquar) donabilis. Quocirca ipsũ creaturis dari, & a creaturis accipi, & dona gratuita ipſo diſtribuente donari, immo etiã ipſius eſſe, Scriptura proclamat.

Ioan. 20. Nam Apoſtoli Spiritum ſanctum a Saluatore acceperunt, & alij
Act. 8. item ab Apoſtolis, & nunc fideles a Pontificibus accipiunt Spiritum ſanctum. Non autem aliqui acciperent, niſi eis daretur. Niſi enim eſſet, qui daret, non eſſet, qui acciperet. Cum verò ſint, qui accipiant Spiritum ſanctum, neceſſe eſt, eſſe aliquem, qui donet. Donat autem ad extra tota Trinitas. Quare non errabimus, ſi dixerimus, Spiritum ſanctum ſe ipſum donare. Cum itaque legimus, aliquos Spiritum ſanctum accipere, dantem intelligamus. Verum Spiritu diſtribuente dona dari, & dona ipſius eſſe, Paulus oſtendit, his ver-
1. Cor. 12. bis: Alij quidem datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, Alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritum. Et, aliquot donis Spiritus enumeratis, demum adiungit: Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Semper quidem Spiritus ſanctus habuit, vt eſſet donum: ſemper enim proceſſit, vt is, qui dari poterat. Quare, etiam antequam creaturæ eſſent, quibus Spiritus ſanctus daretur, ipſe erat donum, qui, etſi nondum dabatur, ita tamen procedebat, vt is, qui dari poterat.

De Notionibus. Cap. IX.

TRINITAS Diuinarum perſonarum ratione naturali cognoſci nequit: neque id à nobis inquirendum eſt, qui Theologum profitemur. Cum enim, Deum eſſe trinum, ſit noſtræ Fidei principium, non videtur inueſtigandum, an Deus Trinus ſit. Nam ſcientiæ principia ſunt veluti axiomata, quæ non probantur, ſed ſupponuntur. Theologi tamen quaſdam relationes, & proprietates in medium afferunt, quas Notiones appellant, quibus Diuinæ perſonæ nobis innoteſcunt, eiſdéq. tum diſtinguuntur, tum conſtituuntur. Quinque verò ſunt hæ Notiones, Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Proceſſio. Ex his, quatuor poſtremæ ſunt relationes. Nam Pater Paternitate refertur ad Filium, & Filius Filiatione refertur ad Patrem. Item Spiratione Pater, & Filius referuntur ad Spiritum ſanctum: & Proceſſione Spiritus ſanctus refertur ad Patrem, & Filium. Rurſum, ex his notionibus, quatuor ſunt proprietates, ſcilicet Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, & Proceſſio. eſſe enim ingenitum, ſiue Innaſcibilitas, & Paternitas, Patris ſunt proprietates. Filiatio, eſt proprietas Fili-

lij; Proceſſio, Spiritus ſancti. His notionibus, quatenus relationes ſunt, Perſonæ diſtinguuntur. Nam Paternitate Pater diſtinguitur a Filio; Filiatione Filius diſtinguitur a Patre; Spiratione Pater, & Filius diſtinguuntur a Spiritu ſancto, Proceſſione Spiritus ſanctus diſtinguitur a Patre, & Filio. Iiſdem notionibus, vt proprietates ſunt, Perſonæ conſtituuntur. Nam Pater Paternitate eſt Pater; Filius Filiatione eſt Filius; Spiritus ſanctus Proceſſione eſt Spiritus ſanctus. Innaſcibilitas autem, licet ſit Patris proprietas, non tamen Patris perſonam conſtituit. Hæc enim proprietas non eſt (vt aiunt Scholaſtici) perſonalis, hoc eſt perſonam conſtituens; ſed id tantum oſtendit, Patrem ab alio non eſſe. Hanc vocem, a Sanctis Patribus alioqui approbatam, quoniam in Scriptura non inuenitur, Baſilius primo contra Eunomium lib. ſilentio prætereundam eſſe cenſuit. Quod fecit, ne incauti ab Eunomio deciperentur, qui ingenitum, & genitum eiuſdem eſſentiæ eſſe denegabat. Nam Auguſtinus, Hieronymus, Epiphanius, aliiq. complures ex Patribus hac voce paſſim vtuntur; & ipſemet Baſilius eodem, & ſecundo contra eundem libro, quo modo Pater ingenitus dicatur, & quid Ingenitum ſignificet, exponit.

De actibus notionalibus. Cap. X.

QVEMADMODVM in Diuinitate ſunt notiones, quibus perſonæ diſtinguuntur: ita ſunt actus notionales, qui nobis originem Diuinarum perſonarum declarant, hoc eſt, quemadmodum vna ab alia procedat; ſic appellati, quoniam ex ipſis Diuinarum perſonarum originis cognitionem accipimus. Hi autẽ ſunt quatuor, Generare, Generari, Spirare, & Spirari.

De Potentia. Cap. XI.

QVONIAM omnem actum alicuius potentiæ eſſe neceſſe eſt, in Perſonis Diuinis Potentia ponenda eſt, qua actus eliciantur. Actũ itaque generandi a potentia generatiua, quæ eſt in Patre, actũ vero ſpirandi à potentia ſpiratiua, quæ eſt in Patre, & Filio, elici diximus. Potentia gene

randi eſt in ſolo Patre; ipſe enim ſolus generat: Potētia ſpiratiua eſt in Patre, & Filio: ambo enim ſpirant: Vna verò eſt potencia ſpiratiua in Patre, & Filio, propter eſſentiæ vnitatem. Quapropter, etſi Pater, & Filius dici poſſunt plures ſpirantes, quia ſunt plura ſuppoſita ſpirantia: tamen dicemus, eſſe vnum ſpiratorem, quia ſpirandi potentia vtriuſque eſt eadem, ſicut eadem eſt eſſentia.

De Attributis. Cap. XII.

QVAMVIS Potentia, Sapientia, Bonitas, & reliqua nomina, quæ eſſentiam indicant, omnibus perſonis conueniant; non nulla tamen ex his ſancti Patres perſonis accommodarunt, vt ex illis, quæ nobis notiora ſunt, perſonarum cognitionem caperemus. Hæc autem Scholaſtici Attributa appellāt. Neque ab re fore exiſtimamus, ſi ea in medium attulerimus, & pro viribus

1. *de Trinit. paulo poſt prin.* explicauerimus. Hilarius 2. de Trinit. Patri æternitatem, Filio ſimilitudinem, ſeu ſpeciem, Spiritui ſancto vſum attribuit, his verbis: Æternitas eſt in Patre, ſpecies in imagine, vſus in munere. Æternitatem dixit in Patre eſſe, nō quòd Filius, & Spiritus ſanctus non ſunt æterni, (nam æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus) ſed quoniam Pater eſt principium Filij, & Spiritus ſancti, & æterno repugnat, vt aliquod principium habeat. Speciem tribuit Filio, vt eum omni ex parte Patri ſimilem, hoc eſt æqualem declaret. Vſum attribuit Spiritui ſancto, vt demonſtraret, ipſum eſſe illum nexum, quo Pater, & Filius ſe mutuo diligunt, & fruuntur. Nam Vſum pro ipſo fruendi actu vſurpauit.

cap. 5. Aug. 1. de Doct. Chriſt. dicit, in Patre eſſe vnitatem, in Filio æqualitatem, in Spiritu ſancto vnitatis, æqualitatiſque, id eſt Patris, & Filij concordiam. Nam vnum habet principij rationem; æquale diſſi-

li. 1. d. 34 militudinem repellit; concordia nexum oſtendit. Item Magiſter Patri attribuit Potentiam, Filio Sapientiam, Spiritui ſancto Bonitatem, vt Patrem principium in diuinitate, Filium conceptum Patris, Spiritum ſanctum amorem, cuius obiectum eſt bonitas, commonſtret: vel, vt alij dicunt, vt à Patre imbecillitatem, a Filio inſcientiam, a Spiritu ſancto malitiam, quæ ſuperbis, ac ſpiritu terreno inflatis ineſſe ſolet, alienā

Rom. 11. eſſe declaret. Paulus inquit, Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo, hoc eſt, ex Patre per Filium in Spiritu ſancto eſſe omnia, vt ſignificet, omnia a Dei potentia produci, ſapientia regi, bonitate conſeruari. Quid eſt

Ex

Ex ipſo, niſi à Dei potētia, quæ Patri aſſignatur, omnia produci? Quid eſt, Per ipſum, niſi, per Dei ſapientiam, quæ Filio attribuitur, omnia diſponi? Quemadmodum enim artifex per artem operatur: ita Deus per ſuam ſapientiam, quæ Filio accommodatur, operatur, & omnia diſponit. Quid eſt, In ipſo, niſi, Dei bonitate, quæ ad Spiritum ſanctum aptatur, omnia conſeruari? Inuenimus etiam, in Scripturis Veritatem, & Vitam Filio tribui, ſicut ipſemet Filius dixit: Ego ſum veritas, & vita. *Ioan. 14.* Neque id immerito. Nam appellatur Veritas, quia actu intellectus generatur, cuius obiectum eſt veritas. Nuncupatur Vita, quia proprio ſanguine nos redemit, &c., vt vitam nobis daret, ſuam profudit.

Nihil eſſe in Deo, quod non ſit Deus. Cap. XIII.

NIHIL eſt in Deo, quod non ſit Deus. tanta eſt Diuinæ eſſentiæ ſimplicitas. Quare, etſi in Deitate ſunt perſonæ, relationes, proprietates, & actus notionales, quæ omnia inuicem diſtinguuntur, non tamen ab eſſentia aliquo pacto dirimuntur, ſed ſunt idem cum eſsentia. Hic nullam vim habet illud Mathematicorum enunciatum, Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Nam perſona Patris eſt eſſentia, perſona Filij eſt eſſentia, Paternitas eſt eſſentia, Filiatio eſt eſſentia, Generare eſt eſſentia, Generari eſt eſſentia; non tamen perſona Patris eſt perſona Filij, nec Paternitas eſt Filiatio, neque Generare eſt Generari. Nec perſona Spiritus ſancti, eſt perſona Patris, aut Filij; nec proceſſio eſt Paternitas, aut Filiatio, aut Spiratio; nec Procedere eſt Generare, aut Generari, aut Spirare: Quamuis Spiritus Sancti Proceſſio, & Procedere ſint idem cum eſſentia. Quemadmodum igitur verum dicimus, cum dicimus, Perſona Patris, non eſt perſona Filij; &c., Perſona Patris, &c. Filij, non eſt Spiritus ſancti perſona: ita verum affirmamus, dicentes: Perſona Patris eſt eſſentia, Perſona Filij eſt eſſentia, Perſona Spiritus ſancti eſt eſſentia. Quinimmo verum quoque dicemus, ita loquentes, Pater eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus. Nam hoc nomen, Deus, eſſentiam ſignificat: (Deus enim, ait Ambroſius, nomen *de fi. lib. 1.*

eſt

eſt naturæ) licet interdum perſonæ accommodetur, veluti ſcriptum eſt in Symbolo, Deum de Deo. Verum quoque dicemus, affirmantes, tres perſonas eſſe vnius eſſentiæ, eſſe vnum Deum, & eandem eſſentiam eſſe trium perſonarum. Nam, & ſi relationes ſunt diſtinctæ, eadem tamen eſt omnium eſſentia. Non hic humanas rationes afferas, neque dicas: Petrus & Ioannes inter ſe diſtinguuntur: natura vero non eſt eadem numero. Non enim id, quod factum eſt, ſimplex omnino eſt. quare plura eandem numero naturam habere non poterunt. At Deus eſt ſimpliciſſimus. quapropter, quidquid eſt in Deo, eſt Deus, & diuina eſſentia. Quaſcumque igitur locutiones de Deo exprimemus, id ſemper enitamur, vt eſſentiæ vnitatem conſeruemus: atque intelligamus, nihil ibi eſſe diuiſum, ſed omnia eſſe vnum, hoc eſt vnius eſſentiæ. Sicut vero nobis elaborandum eſt, ne eſſentiā ſeparemus: ita cauendum eſt, ne perſonarum diſtinctionem confundamus. Quamobrem rectè dicimus, Deus genuit Deum, vt diſtinctionē perſonarum indicemus, vt in Symbolo legitur, Deum de Deo. Verū, ſi dicamus, Eſſentia generat eſſentiam, non apte loquemur. Hæc enim locutio eſſentiæ diſtrahit intelligentiam, niſi piè intelligatur, hoc pacto: Deus pater, qui eſt eſſentia, generat Deum Filium, qui eſt eſſentia. Ita interpretandus eſt Auguſt. cum 7. de Trinit. dicit: *cap. 1.* Pater, & Filius ſunt vna ſapientia, quia vna eſſentia, & ſigillatim ſapientia de ſapientia; ſicut eſſentia de eſſentia. Simili ratione, ſi ita loquamur: Deus eſt tres perſonæ, vel tres perſonæ ſunt Deus, optimè loquemur. Nam prima locutio eſſentiæ vnitatem, in perſonarum pluritate oſtendit: ſecunda verò perſonarum pluritatem in eſſentiæ vnitate deſignat.

De quibuſdam locutionibus cuitandis.
Cap. XIV.

DVÆ præſertim hæreſes contra ſanctam Trinitatem inſurrexerunt: quarum altera ab Ario, altera a Sabellio emanauit: quæ velut è regione quadam ſibi inuicem opponuntur. Arius enim Silueſtri Papæ, & Conſtātini Magni temporibus in Diuinitate tres perſonas, totidemq. naturas, atque eas inæquales excogitauit. Hunc

deinde

deinde ſecutus eſt Aëtius, Macedonius, Eunomius, & multa præterea hæreticorum turba. Sabellius verò 60. circiter annos prius, Stephano Romanam Cathedram tenente, & Gallieno imperante, cum vnitate eſſentiæ vnam tantum perſonam admiſit. Has hæreſes confutarunt, ex Græcis Epiphanius, Baſilius, & alij non nulli; ex noſtris Hilarius, Auguſtinus, & alij plerique. Verum, quoniam ex verbis temerè prolatis ſimpliciores interdum capiuntur, quaſdam locutiones a nobis euitandas proponemus, ne infirmiores aliqua ratione labantur. Ac, ne in Arij laqueos incidamus, cauendum nobis eſt, ne dicamus, Aliud eſſe Patrem, aliud Filium, aliud Spiritum ſanctum. Hoc enim nomen eſſentiæ diuerſitatem ſignificat. Non enim ad perſonam, ſed ad naturam refertur, cum neutro genere pronuntiatur. Quod ſi maſculino, aut fœminino pronuntietur, perſoniſq. accommodetur, tunc non naturæ diuerſitatem, ſed ſuppoſitorum perſonarumq. diſtinctionem indicabit. Quare, licet ſcelus ſit dicere, aliud eſſe Patrem, aliud Filium, aliud Spiritum ſanctum, quia eſſentiæ vnitas tolleretur; recte tamen dicimus, alium eſſe Patrem, alium Filium, alium Spiritum ſanctum; & aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus ſancti. Nam alia eſt (inquit Athanaſius) perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Clarius verò Auguſt. in lib. de fide ad Petrum, hoc expoſuit, his verbis: Vna eſt eſſentia Patris, & Filij. & Spiritus ſancti, in qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus, quamuis perſonaliter ſit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Eodem pacto nomen diuerſitatis, & differentiæ abijciemus. Quod ſi hanc vocem apud ſanctos Patres ſcriptam reperiemus, piè interpretabimur, & diuerſum, ac differens pro diſtincto accipiemus. Neque dicamus, ſeparatas eſſe inuicem perſonas, ne eſſentiæ ſimplicitatem negemus; neque diſpares eſſe, ne tollamus æqualitatem; nec alienas, ne abigamus ſimilitudinem. Quare Ambroſius in libro de Fide, diſcrepantis vocem non admiſit; & Auguſt. ſeptimo de Trinitate, diuerſitatis vocabulum ſubſtulit. Confuſum & multiplex ne appellemus, quod, vt inquit Ambroſius, vnum eſt, & indifferens. At, ne Sabellij errore imbuamur, ſingularem atque vnicum Deum non aſſeueremus. Nam, licet vnicus ſit Filius, quia in Deitate non ſunt plures Filij; debet tamen a Deo, vt idem Hilarius ait, excludi Vnici intelligentia. Patrem item, & Filium ſingularem Deum prædicare, ex eius ſententia, ſacrilegium eſt. Hoc enim nomine eſſentiæ communicatio aufertur. Demum, vt ait Hilarius, Solitarium ne confiteamur, ne tollatur trium perſonarum conſortium. Non autem Solius vox, quemadmodum Solitarij, à Deitate ſemper exclu-

cap. 1.

cap. 2.

cap. 4.

lib. de fide c. 2.

lib. 7. de Trin. circ. fi. ibid.

4. de Tri. cir. med.

excludenda eſt. Nam ea vti non licet, cum prædicato apponitur: ſin autem cum ſubiecto copuletur, recta eſt locutio. Quare dicere nefas eſt, Deus ſolus eſt, Pater eſt ſolus. Nam idem dictu eſt, Deus eſt ſolitarius, Pater eſt ſolitarius. Si vero dicamus, Solus Deus eſt Deus, Solus Deus eſt æternus, Solus Pater eſt pater, rectiſſimè loquimur. Tunc enim non ſolitudinem adducimus, ſed multitudinem explodimus. Atque hæc regula ita ſemper ſe habebit, cum ſubiectum, & prædicatum eiuſdem ſunt ordinis, hoc eſt, quando vtrumque aut relatiuum eſt, aut abſolutum: vt ſuperioribus exemplis demonſtratum eſt. Quod ſi ſubiectum relatiuum ſit, prædicatum abſolutum, perperam loquemur, veluti ſi dicamus, Solus Pater eſt Deus, Solus Filius eſt Deus: tunc enim hæc dictio, quamuis ſubiecto adiungatur, falſam reddit orationem. Nam altera a Patre, altera a Filio Deitatem expellit. Quod ſi interdum huiuſmodi orationes in Scripturis reperiemus, accuratè admodum exponamus. huiuſmodi eſt illud Chriſti ad Patrem: Vt cognoſcant te ſolum
Ioan. 17. Deum verum. Nam, qui de ſolo Patre hoc dici aſſerunt, (non enim deſunt, qui eam auctoritatem ad ſolum Patrem referant) ita interpretantur, vt cognoſcant, te, qui ſolus in Deitate es Pater, eſſe verum Deum.

Vtrum Pater genuerit Filium voluntate, vel neceſſitate, vel natura. Cap. XV.

AETIVS, & Eunomius, Ario inhærentes, nolentesq. Filium eſſe de Patris eſſentia, voluerunt, tamquam Arij interpretes, nouam in Deo voluntatem comminiſci. Quare Theologi, tanto morbo occurrentes, quærunt, Num Pater Filium genuerit voluntate, an neceſſitate. Auguſt. 15. de Trinit. hanc
cap. 20. diſſoluens quæſtionem, ait, Patrem neque voluntate, neque neceſsitate, ſed natura Filium genuiſſe. non enim Filius voluntate, aut neceſsitate, ſed natura Filius eſt. Hic mihi tam de voluntate, quàm de neceſsitate diſtinguendum videtur. Duplicem itaque voluntatem intelligamus, alteram æternam, alteram accedentem, ſiue nouam. Hac Filium genitum eſſe, impium eſt aſſerere: illa genitum eſſe, fatemur. Vult enim Pater, & ab omni æternitate voluit Filium

gignere,

gignere, ſicut voluit ſe eſſe Deum. Neque Aug. voluntatem æternam, ſed accedentem à Deo excludit, quam Eunomius in Deo perperſè ponebat. Neceſſitatem vero triplicem conſideramus, vnam coactionis, alteram finis, tertiam immutabilitatis. Hanc in Deo eſſe, ſtatuimus. Non enim poteſt Deus non eſſe Deus, neque poteſt non gignere filium. Reliqua neceſſitatis genera vnà cum Aug. reijcimus: Nō enim Deus aut cogi poteſt, aut alicuius rei eſt inſcius, qua aliquid conſequatur: Deus igitur Pater genuit Filium natura, voluntate æterna, & neceſſitate immutabilitatis. Quare, ſi quis aſſeuerauerit, Patrem aut voluntate accedente, aut neceſſitatē finis, coactionisue, Filium genuiſſe, anathema cenſeatur.

De miſſione Diuinarum Perſonarum. Cap. XVI.

DEMVM de Diuinarum Perſonarum miſſione agamus. Quod vt aptius intelligamus, quid Miſſionis nomen ſignificet, prius explicemus. Miſſio, nihil aliud eſt, quàm exitus alicuius ab aliquo, cum acceptione poteſtatis, ſeu virtutis ad aliquid agendum. Ita dicimus, Legatum a Pontifice, & telum a iaculatore Mitti. Miſſio in rebus creatis multas includit imperfectiones, ſcilicet motum, ſeparationem a mittente, auctoritatis diminutionem, vel ſaltem non eandem. Cum verò noſtra Diuinis accommodamus, omnis imperfectio eſt excludenda; eaq. ſolum ſunt intelligenda, quæ perfectionem deſignant. A Diuina igitur miſſione motum, ſeparationem, & auctoritatis imminutionem ſecludentes, dicimus, Miſsionem eſſe exitum perſonæ a perſona, cum acceptione eiuſdem virtutis, & auctoritatis ad aliquid agendum. Tunc itaque perſona mittitur, cum perſona ab alio procedens nouo quodam modo in creatura eſſe incipit. quare miſsio tum proceſsionem, tum nouum modum exiſtendi in creatura concludit. Hinc apparet, qua nam ratione Miſsio à Proceſsione, & Datione diſtinguatur. Proceſsio enim, exitūm tantum ab alio denotat; Datio, non ſolum nouum exiſtendi modum demonſtrat; Miſsio, vtrumque complectitur. Ex quibus etiam patet, non ſolū Procedere,

& Mitti, ſed etiam Dari, & Mitti, non eſſe idem. Nam Mitti, exi-
tum a Mittente cum nouo exiſtendi modo deſignat; Datio verò, ſo-
lam donantis liberalitatem oſtendit. Quare non dicimus, aliquem
a ſe ipſo mitti, licet à ſe ipſo detur. Ex ijs, quæ diximus, duo con-
ſequuntur; nempe, nullam perſonam propriè a ſe ipſa mitti; & nul-
lā perſonā mitti, niſi ab ea, a qua procedit. Quocirca neque Pater,
aut Filius, aut Spiritus ſanctus a ſe ipſis mittuntur, neque Filius a
Spiritu ſancto mittitur; niſi fortaſſe Miſſionem pro Datione acci-
cap. 5. piamus; quo ſenſu locutus fuiſſe videtur Aug. 2. lib. de Trinitate, cum
demonſtrat, Filium ſolum a Patre, & Spiritu ſancto; & Spiritum
ſanctum non ſolum à Patre, & Filio, ſed etiam a ſe ipſo mitti. Ita
Eſa. 48. quoque Eſaiam interpretabimur, dicentem: Nunc miſit me Domi-
Eſai. 61. nus Deus, & Spiritus eius. Et: Spiritus Domini ſuper me, euan-
gelizare pauperibus miſit me. Pater propter principij auctoritatem
Luc. 4. numquam in Scripturis miſſus legitur. Filius autem, & Spiritus
Ioan. 8. ſanctus miſſi leguntur. Nam de Filio ſcriptum eſt: Non ſum ego ſo-
Gal. 4. lus, ſed ego, & qui miſit me Pater. Et rurſus: Miſit Deus Filium
ſuum factum ex muliere. Et de Spiritu ſancto legitur: Paraclitus,
Ioan. 14. quem mittet Pater in nomine meo. Et iterum: Miſit Deus Spiritum
Gal. 4. Filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater. Duplex eſt Diui-
narum perſonarum miſſio; altera viſibilis, ſeu externa; altera inui-
ſibilis, ſiue interna. Viſibilis eſt, quæ aliquo exteriori ſigno perfici-
Matt. 3. tur. Quapropter Filius tunc viſibiliter miſſus eſt, cum humanam
carnem aſſumpſit. Spiritus vero ſanctus, cum in columbæ, nubis
lucidæ, & ignearum linguarum ſpecie apparuit. Verum aliter Fi-
Matt. 17. lius, aliter Spiritus ſanctus viſibiliter miſſus eſt. Nam Filius huma-
Act. 2. nam naturam ſuppoſito coniunxit; ſed Spiritus ſanctus non illas ſpe
cies aſſumpſit, vt ſibi couniret, ſed vt per eas nobis aliquid ſignifica-
ret, hoc eſt, interiorem ſanctificationem exteriori ſigno exprime-
ret. Quocirca Filius aſſumptam carnem retinuit, ſed Spiritus ſan-
ctus aſſumptam ſpeciem poſt perfectam ſanctificationem dimiſit.
Inuiſibilis miſſio fit, cum Filius, & Spiritus ſanctus ſuorum ſeruo-
rum corda ingrediuntur, & gratia gratum faciente complent.
Quod cum ſit, non ſolum Filius, & Spiritus ſanctus, ſed etiam Pater
in eis habitat. Nos enim ſumus, vt ait Apoſtolus, templum Dei, id
eſt, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: non tamen Pater mittitur, quia
a nullo procedit. Non autem eadem ratione Filium, & Spiritum ſan-
ctum mitti dicimus. Nā, & ſi omnia dona Spiritus ſancti appellantur,
quia a Diuino amore, cuius inſtar Spiritus ſanctus procedit, prodire
dignoſcuntur; illa tamen, quæ ad intellectum ſpectant, peculiari quo-

dam

dam modo attribuuntur Filio, qui ex actu intellectus emanat: quemadmodum, quæ voluntatem perficiunt, aſcribuntur Spiritui ſancto, qui voluntatis actu procedit. Cum itaque dona infunduntur, quæ voluntati inhærent, vt pax, charitas, & huiuſmodi reliqua, tunc Spiritus ſanctus mittitur; cum verò dona dantur, quæ ad intellectum pertinent, vt ſcientia, illuminatio, & id genus alia, tunc mittitur Filius. Quare Auguſt. 4. de Trinitate aſſerit, tunc Filium inuiſibiliter mitti, cum ab aliquo cognoſcitur, atque percipitur. Cæterum nunquam Filius ſine Spiritu ſancto, aut Spiritus ſanctus ſine Filio inuiſibiliter mittitur. ſemper enim, cum vnus mittitur, alter mittitur. quandocumque enim gratia infunditur, tum intellectus illuſtratur, tum voluntas Diuini ignis amore ſuccenditur Nam neque intellectus ſine charitate poteſt illuminari per dona, neque voluntas ſine illuminatione charitate feruere. *cap. 20.*

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER QVARTVS.

DE ANGELIS.

De Cauſarum numero. Cap. I.

Rom. 11.

HACTENVS, de vnitate Diuinæ eſſentiæ Diuinarumq. Perſonarum pluralitate a nobis ſit diſputatum. Dehinc earum rerum, quæ a Deo factæ ſunt, tractationem aggrediamur. Deum omnium rerum cauſam eſſe, Paulus oſtendit, cum dixit, Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Quoniam verò Cauſæ nomen multiplex eſt, operæpretium videtur, vt, priusquam oſtendamus, quonam pacto Deus rerum ſit cauſa, declaremus, quot modis Cauſa dicatur. Cauſa quinque modis dicitur: alia enim eſt efficiens, alia materialis, alia formalis, alia finalis, poſtrema exemplaris. Efficiens eſt, a qua aliquid efficitur; Materialis, ex qua aliquid fit; Formalis, quæ rei dat, vt ſit, & rei pars eſt; Finalis, cuius gratia aliquid fit; Exemplaris, ad cuius ſimilitudinem aliquid fit. Sed exemplo rem clariorem reddamus. Ponamus fieri debere domum. Cauſa efficiens domus, eſt artifex; Materialis, ſaxa, calx, arena, cæteraque, ex quibus domus conſtruitur; Formalis eſt, domus figura: Finalis, propulſatio pluuiarum, grandinum, ventorum, cæterarumq. rerum, homini iniuriam inferentium. Exemplaris eſt, Idæa in mente artificis exiſtens, cui ſimilem domum artifex ædificat. Deus non eſt cauſa materialis. Nam eſt omnis materiæ expers. Non eſt cauſa formalis, quia rerum pars non eſt, licet om-

nibus det, vt ſint. Dicimus verò, ipſum omnium eſſe cauſam effi-
cientem, finalem, & exemplarem: efficientem quidem, quoniam
omnia efficit; finalem, quoniam omnia propter ſe ipſum efficit, ve-
luti ſcriptum eſt: Vniuerſa propter ſe ipſum operatus eſt Dominus.
exemplarem demum, quia in ipſum ſunt omnium Ideæ, ſeu exem- *Pro. 6.*
plaria: quemadmodum primo lib. demonſtrauimus.

De Rerum Creatione. Cap. II.

HIS ita expoſitis, ad reliqua properemus. Deus,
rerum vniuerſitatem conſtituens, ex nihilo ipſam
effecit. Nihil enim erat præter Deum, ante
Mundi conſtitutionem. Quapropter Moſes ait:
In principio creauit Deus Cælum, & Terram. *Gen. 1.*
Non dixit, Genuit, ſed, Creauit. Generatio e-
nim, eſt ex aliquo: Creatio verò, ex nihilo. Hic
intelligere licet infinitam Dei potentiam, quæ non more naturæ, aut
artis, materiam præparat, qua diſpoſita opus producat, ſed nullo ſub-
iecto aſſumpto omnia efficit, eiſq. largitur, vt ſint, & ſubſiſtant. Satis
eſt ipſi, dixiſſe, hoc eſt, intelligere, & voluiſſe. Nam dixit, et facta ſunt; *Pſ. 148.*
mandauit, & creata ſunt. Ex iis apparet, Ariſtotelem toto cælo aber- *Phy. 8.*
raſſe, qui vniuerſam hanc molem non minus, ac Deum, æternam eſ-
ſe exiſtimauit; neque animaduertit, ſe dum talia perſuadere cona-
tur, Dei potentiæ derogare, & veluti fines, terminoſq. conſtituere.
vt ſubticeam, quam rationi ſit abſonum, aſſerere, effectū, vt cauſam,
æternam eſſe. Propius ad veritatem acceſſit Plato, qui Mundum ge- *in Timæo*
nitum eſſe affirmauit, & Dei bonitate ex inordinato in ordinem fuiſſe
redactum. Et quidem nobiſcum ſentit, fuiſſe maſſam quandam an-
te mundi diſpoſitionem fluctuantem, atque inordinatam, quæ dein-
ceps diſpoſita, & diſtincta fuerit. ſed, quoniam ſibi perſuadere ne-
quiuit, ex nihilo aliquid fieri, tamquam id pronuntiatum naturæ
obſiſteret, rudem illam, & indigeſtam molem, immo etiam ge-
nerationem æterno tempore fuiſſe exiſtimauit. Nam in Timæo
ita ſcriptum reliquit: Hæc tandem meæ mentis ſummatim ſenten-
tia ſit, & ante cæli ortum ratione triplici fuiſſe tria hæc, exi-
ſtens, locum, & generationem. Locum hic appellat Plato mà-
teriam. tamquam formarū receptaculum. Omittimus cæterorum
Philoſophorum de Mundi ortu ſententias: quorum tot ſunt errores,
quot

quot ſunt verba. Triſmegiſtum ſolum excipimus, qui nobiſcum conſentit. Nam ipſe in Pimandro clare expreſsit, Chaos illud, quod humidam naturam nominat, poſt Deum extitiſſe, & elementa ex Dei voluntate prodijſſe. Ita enim inquit: Lumen illud ego ſum, mens, Deus tuus, antiquior, quam natura humida. Et, nonnullis interiectis, adiungit: Elementa naturæ ex Dei voluntate manarunt. Quidquid ſit de Philoſophorum ſententiis, nos, qui Chriſtianiſmum profitemur, omnia ex nihilo facta eſſe, intelligimus: eoſque, qui contra ſentiunt, læſæ Diuinæ Maieſtatis reos eſſe pronunciamus.

De Bono, & Malo. Cap. III.

Gen. 1. QVÆCVMQVE Deus fecit, bona, non mala fecit, ſicut ſcriptum eſt: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Sæpe ſæpius hoc in opere in ſermonem de rerum bonitate, & malitia incidemus. Quapropter non ab re futurum exiſtimauimus, ſi, quid Bonum, quidq. Malum eſſet, exponeremus. Bonum id appellamus, quod omnia appetunt. Cum autem vnumquodque ſuam appetat perfectionem, merito dicemus, Bonum eſſe cuiuſque rei perfectionem, hoc eſt illud, quod cuique rei conuenit. Bonum alterum eſt naturæ, alterum moris: tertium quod omnem naturam excedit. Bonum naturæ, eſt naturæ perfectio, ſiue illa ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, dummodo ad naturæ integritatem ſpectet. Quare & rationale, & riſibile, & greſsibile, & ſi qua ſunt huiuſmodi, ad hominis perfectionem, ſeu bonitatem requiruntur, quia ad humanæ naturæ pertinent integritatem. Bonitas moris, eſt perfectio, quam quis ex bonis actionibus conſequitur, vt eſſe iuſtum, liberalem, & in ſumma ſtudioſum. Bonum naturæ non ſolum in rationalibus, ſed etiam in irrationalibus exiſtit. Bonum verò moris, in rationalibus tantum reperitur. Bonum ſupernaturale, eſt duplex: alterum, Deus ipſe; alterum, viſio Diuinæ eſſentiæ. Deus quidem, vt obiectum; hæc autem, vt operatio. Ex his facile deducemus, quid nam ſit Malum. Malum non eſt aliqua natura, ſed naturalis perfectionis priuatio. Quemadmodum enim Tenebræ nihil ſunt, niſi lucis abſentia, & Cæcitas, nihil aliud eſt, niſi viſus ablatio: ita Malum nihil aliud eſt, quàm Boni priuatio. Non autem iccirco aliquid Malum dicitur, quòd bo-

num

num non habeat, ſed ex eo, quod bono, ſuæ naturæ conuenienti, careat. Non enim recte aliquem priuatum dicimus eo, quod non natum eſt habere, ſed eo, quod natum eſt habere. Quapropter non dicimus, lapidem cæcum, quia lapis non natus eſt viſum habere; ſed hominem, qui viſu caret. Subiectum mali eſt bonum: non enim malum poteſt eſſe, niſi in bono: ſicut cæcitas eſſe nequit, niſi in oculo; & tenebræ nullibi ſunt, niſi in aere. Malum interdum bonum nullo pacto tollit, interdum prorſus corrumpit, interdum imminuit. Nam, ſi conſideremus bonum, quod eſt ſubiectum mali, id a malo non tollitur. Non enim aut oculus a cæcitate, aut aer a tenebris corrumpitur. Sin autem intueamur bonum malo oppoſitum, id a malo omnino tollitur, vt viſus a cæcitate, & lumen a tenebris. Si verò expendamus habilitates in ſubiecto exiſtentes, eas a malo non corrumpi, ſed remitti, dicimus: veluti, ſi quis diſpoſitus fuerit ad virtutem recipiendam, vitio ſuperueniente, diſpoſitio remittetur. Malum cauſam non habet, niſi deficientem. Quam enim ob cauſam fiunt tenebræ, niſi ob luminis defectum? Quid efficit cæcitatem, niſi defectus viſus? Quo modo vitium animos ingreditur, niſi virtute deficiente? Verum in naturalibus id aperte videre licet, in quibus peccatum accidit, aut ex materiæ defectu, veluti, cum homo mancus naſcitur; aut ex defectu principalis agentis, vt cum puer propter motiuæ virtutis defectum ambulare nequit; aut ex defectu inſtrumenti, ſicut in claudis euenit, qui ob tibiæ defectum loco moueri non poſſunt. Malum in voluntariis in malum culpæ, & malum pœnæ diuiditur. Malum culpæ, eſt priuatio rectitudinis voluntatis; Malum pœnæ, eſt paſſio naturæ inflicta, ſeu defectus a formæ integritate. Cum enim aliquis pœna afficitur, aliquid ei deeſſe videtur.

Deus culpæ auctor non eſt: quoniam, vt inquit Aug. Deus non eſt cauſa tendendi ad non eſſe. Pœnæ verò auctor eſt, quoniam pœnas pro peccatis infligit. Hinc de malo pęnæ ſcriptum eſt; Ego Dominus, & non eſt alter Deus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Et rurſum: Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit

lib. 83. q. q. 21.

Eſa 45.

Amos 3.

Num

Num ſpiritualis, & corporea creatura ſimul facta fuerint. Cap. IV.

HIS ita declaratis, ad Angelicæ, corporeæq. naturæ creationem explicandam animum conuertamus. Vbi ante omnia inquirendum videtur, Num Angeli cum corporea natura, an ante ipſam creati fuerint. Hie-
cap.1. ronymus ſuper epiſtolã ad Titum clariſsime affirmat, ex ſententia Græcorum, Angelos ante corpoream naturam creatos fuiſſe: ita enim ſcriptum reliquit: Sex millia nec dum noſtri temporis implentur annorum: & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſæculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, quibus Angeli, Throni, Dominationesque, cæterique ordines ſeruierunt Deo, abſque temporum vicibus, atque menſuris, & Deo iubente ſubſtiterunt. Eiuſdem eſt ſententiæ Baſilius Magnus in lib. de Diuino opificio; & Ioan. Chryſoſt. 1. lib. de Prouidentia. Hæc ſen-
Eccl. 1. tentia Scripturis confirmari poſſe videtur. Nam Scriptum eſt: Prior omnium creata eſt Sapientia. Quam auctoritatem plerique de An-
cap.1. gelis interpretantur. Auguſtinus verò lib. 1. ſuper Geneſim aſſerit, vtramque creaturarum ſimul perfectam, ſimul factam fuiſſe, cum
Eccl. 18. ſcriptum reperiatur: Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.
li. de hiſt. ſex dierū Cum Aug. ſenſiſſe videtur Aquila. Nam ipſe, teſte Gregorio Nyſſeno, illud Hebræum, Bereſit, non Ἐν ἀρχῇ, hoc eſt, In principio, ſed, Ἐν κεφαλαίῳ tranſtulit, quod idem eſt, ac ſi dicas, In ſumma, vel Collectim; vt oſtenderet, Deum ſimul creaſſe cælum, hoc eſt ſpiritualem creaturam, & terram, hoc eſt creaturam corpoream. Nam
Orige. in Gen. ho. 1. hic Origenes, Auguſt. alijq. complures, per Cælum Angelos, per Terram corpoream creaturam intellexerunt. Noſtrum non eſt, tan-
Aug. 1. ſuper Geneſ. c. 1. torum virorum lites dirimere. Satis ſit ſcire, vt Apoſtolica nos diſciplina edocet, omnia, ſiue uiſibilia, ſiue inuiſibilia, ſiue Thronos, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, ſiue Virtutes,
Col. 1. ſiue Angelorum exercitus, ſiue Archangelorum præfecturas, in Deo condita eſſe. Et, quod modo prior illa ſententia, quæ docet Angelos fuiſſe creatos ante hunc Mundum viſibilem, quamuis non ſit error in fide, eſt tamen temeraria ſententia.

De An-

De Angelorum ſubſtantia. *Cap. V.*

ANGELOS incorporeos eſſe, Scholaſtici paſſim affirmant. Nam, etſi ex veteribus Patribus aliqui corporeos, aliqui incorporeos eſſe Angelos aſſeuerauerunt: noſtris tamen temporibus paucos admodum reperies, qui eos corporeos eſſe ſentiant. Nos igitur, cum Theologorum Schola, putamus, Angelos corpus non habere. Quod quidem eſt maxime rationi conſentaneum. Cum enim aliæ creaturæ ſint omnino corporeæ, aliæ corpore, & anima conſtent, par fuit, quaſdam etiam eſſe, quæ ſint prorſus incorporeæ. Corpoream igitur molem ab Angelo ſecludimus; neque huiuſmodi compoſitionem in ipſo ponendam eſſe cenſemus. At, dicet aliquis, Angelos viſibiles apparuiſſe, locutos eſſe, comediſſe, loco motos fuiſſe, & generaſ- *Gen. 15.*
ſe. Nam comedebant Angeli, qui Abrahæ apparuerunt, corpora habebant, loco mouebantur, loquebantur. Quod & Tobiæ Angelus effecit. Scriptum eſt etiam, Filios Dei genuiſſe, & ex ip- *To. 12.*
ſis exortos eſſe Gigantes. Quod autem videt, loquitur, comedit, *Gen. 6.*
& generat, corporeum eſſe videtur. Nos facile reſpondemus: Angelos neque corpora ſuapte natura habere, neque vere loqui, neque vere comedere, neque generare. Non habent Angeli natura corpus, ſed corpus aſſumunt, quoties legationem aliquam Dei iuſſu obeunt. Corpus autem illud aut ex aerea, aut ex ignea natura, aut potius ex puris elementorum partibus conſtare, ſuſpicamur, cui non vt formæ, ſed vt motores Angeli coniunguntur. Illud enim mouent, ac retinent, dum miniſterium perfecerint; quo peracto, ſtatim abijciunt. Non loquuntur, ſed ſimilem locutioni ſonum reddunt. Non comedunt, quamuis in corpus cibum accipiant; nam illum comedere dicimus, qui cibum acceptum in ſui ſubſtantiam poteſt conuertere: veluti videre eſt in animalibus. Id verò Angeli efficere nequeunt: non enim aſſumptum ab ipſis corpus eiuſmodi eſt præditum viribus, quæ cibum in ſui ſubſtantiam conuertere poſſint. Quare neque vere comedunt, ſed potius ſimilitudinem quandam, ſpeciemque comedentis gerunt. Quod ipſum Angelus Tobiæ patefecit, cum dixit: Cum eſſem vobiſcum, videbar quidem manducare, & bibere, ſed ego potu inuiſibili, & cibo

vtor. Si quis verò mihi obijciat, Dominũ noſtrum poſt reſurrectio-
Ioan. 21. nem vère comediſſe, neque tamen alimentum in ſui ſubſtantiam con
Luc. 24. uertiſſe, (infirmitates enim noſtras tũc exuerat, neque cibo indige-
bat) facile reſpondebo: Chriſti corpus eius eſſe naturæ, in quã cibus poterat conuerti. Corpus verò ab Angelo aſſumptum non eſt eius naturæ, vt in ipſum cibus poſsit conuerti. Neque Angeli verè generant. Per Filios autem Dei Scriptura eo loco non Angelos, ſed Filios Seth intelligit, qui ita ob parentis pietatem appellabantur, quamuis a recta ſemita declinaſſent. Nos igitur, ſtatuentes, Angelos eſſe incorporeos, de eorum loco, motu, cognitione, voluntate, donis, bonitate, malitia, præmio, ac pœnis diſſeramus. Nam de numero diſſerere ſuperuacaneum cenſemus, cum id ſoli Conditori cognitum eſſe arbitremur.

De loco Angelorum. Cap. VI.

ANGELOS eſſe in loco, nemini dubium eſſe debet, cum Sancta Eccleſia quotidie nobis in mentem reuocet, Sanctos Dei Angelos in Eccleſijs habitare. At inquies: Quonam pacto incorporeum in loco eſſe poteſt? quidquid enim eſt in loco, termino ambientis corporis continetur, cum locus ſit terminus corporis ambientis: Incorporeum verò termino corporis claudi nequit. Quo modo igitur Angelus erit in loco? Reſpondemus, non eodem modo corporeum, & incorporeum, in loco eſſe. Corporeum quidem, corporis termino continetur; Incorporeum verò, minime. Dupliciter igitur dicimus aliquid eſſe in loco, aut quia loco circumſcribitur, aut quia locũ definit. Illa loco circumſcribuntur, quæ corpoream molem habent, quia terminis alterius corporis continentur. Illa uero locũ definiunt, quæ cũ ita ſint in hoc loco, vt non ſint in alio, in loco, in quo ſunt, operantur, ita, vt interim alibi non operentur. Hoc pacto incorporeum eſt in loco. Cum ergo Angelus ſit incorporeus, eius locus nulla magnitudine terminari poteſt, ſed tantum definitur operatione, operatione, inquam, externa, quæ nihil aliud eſt, quàm applicatio Angelicæ virtutis ad locum, quam virtualem quantitatem Scholaſtici appellant. quantum enim virtutis applicatio ad locum extenditur, tantus erit Angeli locus. Hæc autem virtutis applicatio fit, aut locum virtute contingendo, aut cuſtodien-

ſtodiendo, aut præſidendo, aut aliqua alia conſimili operatione, quæ nos latet. Nam & in cælo Empyreo quaſdam Angelorum operationes eſſe nobis ignotas, Caietanus, vt mihi videtur, rectè ſenſit. *Caie.p.p. q.52.a.1.* Quòd ſi quis negare auſit, Angelos, dum in cælo Empyreo ſunt, vim ad locum applicare, non vehementer contendam. Dicam tamen, tunc eos non eſſe in loco. Neque id abſurdum exiſtimandum eſt. Entia enim illa beata, vt Ariſtotelis verbis vtar, non ſunt apta eſſe in loco. *Ca. 1. t. 100.c.9.* Quare illud incorporeorum exiſtendi modus ſecundum ſubſtantiam, quem in Angelo excogitauit Scotus, non ſatis mihi probatur. *2.d. 2.q. 6.* Locus itaque Angeli ille erit, in quo operabitur, ſeu ad quem aliqua ratione ſuam vim applicabit. Non igitur Angelus eſt in loco, quod loco circumſcribatur, ſed quoniam in loco operatur. Loci autem, in quibus Angeli operantur, plures ſimul eſſe non poſſunt. Cum enim Angelorum vis ſit finita, eorum quoque operationem finitam eſſe, neceſſe eſt. Et, quemadmodum Angeli ita ſunt hic, vt non ſint alibi; ita hic operantur, vt non alibi operentur. Quapropter dixit Damaſcenus, Angelos, dum ſunt in Cælo, non eſſe in Terra. *ort.fi.l.2. c.3.*

De Motu Angelorum. Cap. VII.

ANGELI non ſemper ſunt in eodem loco, ſed loco mouentur. Cum enim mittuntur, neceſſe eſt, vt a loco in locum migrent, ac vim, qua aliquem locum prius complebant, ad alterũ poſt modum applicent. Id enim eſt, Angelum moueri, vi ſcilicet complere locum, quem prius nõ complebat; vel operari in loco, in quo prius non operabatur; aut vim applicare ad locum, ad quem prius non applicabat. Nam hæc tria idem prorſus ſignificant. Poteſt autem operari in loco, in quo prius non operabatur, ſiue ille ſit contiguus, ſiue non cõtiguus. Quare nihil prohibet, quin ab extremo ad extremum vi ſua prætervehatur, quamuis media loca non attingat. Angelus enim, qui Romam ſua vi complebat, poteſt eadem Neapolim deinceps complere, licet ad loca intermedia, quæ ſunt inter Romam, & Neapolim, ſuam vim non applicauerit. Hoc eſt, quod aliqui Theologorum, & rectè aſſerunt, Angelum poſſe a loco in locum abſque medio pertranſire.

De cognitione Angeli. *Cap. VIII.*

SPIRITVALIS ſubſtantia nulla potentia prædita eſſe poteſt, niſi ea, quæ ſpiritui conuenit, hoc eſt intellectu, & voluntate. Quare in Angelis nullam potentiam reperiemus, præter intellectum, & voluntatem. Nam aſſerere, Angelos ſentire, fictum eſt, & commenticium. Cum enim ſenſuũ determinata organa eſſe oporteat, quo modo id, quod corporeo organo caret, ſentire aſſeuerabimus? Cum itaque in Angelis duæ tantum potentiæ ſint, intellectus ſcilicet, & voluntas, nullam profecto aliam operationem in ipſis ponendam eſſe cenſemus, niſi intellectus, & voluntatis. Ac primum de Intellectus, deinde de Voluntatis operationibus agamus. Intellectus Angelici operatio eſt intellectio, ſiue cognitio. Hæc enim duo non diſtinguuntur. Nam idem eſt intellectio Angeli, & cognitio. Neque dubium eſt, Angelis in eſſe cognitionem: ſed videndum eſt, quæ nam ſit, & quo pacto Angeli naturaliter cognoſcant. Angelus naturali cognitione Deum, ſe ipſum, reliquos Angelos, omneſq. alias creaturas tam corporeas, quàm incorporeas cognoſcit. Hæc omnia vt clare intelligantur animaduertere licet, tripliciter aliquid cognoſci. Aliqua enim cognoſcuntur, quoniam ſua eſſentia adeſt cognoſcenti, ſicut cum lux ab oculo videtur; tunc enim lux oculo adeſt. Aliqua cognoſcuntur, quoniam non res, ſed rei ſimilitudo a re accepta præſens eſt cognoſcenti, veluti cum lapis ab oculo videtur: tunc enim in oculo non eſt lapis, ſed lapidis a lapide accepta ſimilitudo. Aliqua vero cognoſcuntur, quoniam rei ſimilitudo cognoſcenti præſto eſt, quæ tamen non a re, cuius eſt ſimilitudo, proxime accipitur, ſed ab alia re, in qua rei illius ſimilitudo relucet: quemadmodum euenit, ſi alterius hominis ſimilitudinem in ſpeculo inſpiciamus. His ita expoſitis, quo modo Angelus ſingula cognoſcat, diſpiciamus. Deum Angelus non cognoſcit per Dei eſſentiam: Deum enim per Dei eſſentiam naturaliter cognoſcere, ad ſolum Deum pertinet. Neque Deum cognoſcit per ſimilitudinem Dei in creaturis, tamquam in ſpeculo relucentem. hæc enim cognitio nimis imperfecta eſt, & mortalium propria, qui vident per ſpeculum in ænigmate. Verum Deum cognoſcit per Dei ſimilitudinem in ſe ipſo exiſtentem: quæ quidem nihil aliud eſt, quam ipſiuſmet Angeli eſſentia. Deum igitur Ange-

1.Cor.13

lus

lus cognoſcit per ſuammet eſſentiam, quatenus eſt Dei ſimilitudo. Per eandemmet eſſentiam ſe Angelus cognoſcit. Namque id immaterialium creaturarum proprium eſt, vt ſe ipſas per ſuam eſſentiam cognoſcant, non aliter, ac lux ab oculo videtur. Vt enim hæc iccirco videtur, quoniam oculo præſens eſt: ita Angeli eſſentia ab Angelo cognoſcitur, quoniam ipſamet eſſentia cognoſcenti Angelo adeſt. Cæteros vero Angelos, cæterasque item res, tam corporeas, quàm incorporeas per ipſarum rerum ſimilitudines cognoſcit: quas ſiue dicas à Deo Angelis concreatas eſſe, vt Diuus Thomas ſentit, ſiue Angelos à rebus accipere, vt existimauit Scotus, non nimium laborabo. Parui enim refert, hoc ne, an illo modo opineris. Licet autem Angeli omnia, quæ dicta ſunt, cognoſcant, non tamen futura quælibet cognoſcunt: id enim ſolius Dei eſt, veluti ſcriptum eſt: Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. Non loquimur hic de futuro, quod ex neceſſitate ex ſuis cauſis proueniat; vt, Solem cras oriturum: Nam id cognoſci manifeſtum eſt: neque de eo quod, vt in pluribus contingit; velut, cum Medicus, ex ſignis, infirmi ſalutem prænunciat: nam, id quoque euenturum, Angelus, propter intellectus aciem, & rerum ſummam experientiam, coniectura aſſequi poteſt: ſed de illo futuro verba facimus, quod vt in paucioribus contingere ſolet: veluti ſunt, quæ contingentia appellamus, quæq. caſu, fortunaq. eueniunt. Hæc enim natura ſolus Deus cognoſcit. Cogitationum inſuper cordium cognitio ab Angelis ſecludenda eſt: hanc enim ſibi ſoli Deus reſeruauit. Propterea dixit per Prophetam: Prauum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes. Atque hæc quidem naturali cognitione Angeli intelligunt. Verum ex Diuina diſpenſatione boni Angeli gratiæ etiam myſteria cognoſcunt, non tamen omnia, ſed quæ Deus reuelare dignatus fuit.

p.p. q. 55 ar. 2.

Sco. d. 3. q. vlt.

Eſai. 41.

Hie. 17.

De re-

De voluntate Angeli. *Cap. IX.*

TRIPLICEM appetitum in rebus reperiri, manifeſtum eſt, naturalem, ſenſitiuum, & intellectiuum. Appetitus verò nihil aliud eſt, quam inclinatio ad bonum, propriæ naturæ conueniens. Naturalis appetitus, eſt inclinatio ad bonum abſque cognitione: cuiuſmodi eſt in rebus anima carentibus. Quo pacto lapis deorſum, & ignis ſurſum fertur. Senſitiuus, eſt inclinatio ad bonum, cum cognitione boni, non quidem vniuerſalis, ſed ſingularis, ac delectabilis. Hoc modo bruta in bonum propenſa eſſe videmus. Intellectiuus, eſt inclinatio ad bonum, cum cognitione boni vniuerſalis, & rationis boni, hoc eſt boni, vt bonum eſt. Cum itaque triplex ſit appetitus, voluntatem eſſe dicimus non appetitum naturalem, neque ſenſitiuum, ſed tantum intellectiuum. Voluntatem in Angelis eſſe ponimus: Nam ſubſtantiæ omnes materiæ expertes non ſolum intellectum, ſed etiam voluntatem habent, cum id, quod vt verum norunt, vt bonum appetant; & ad bonum, vt bonum eſt, ferantur. Quæcumque autem voluntatem habent, liberè agunt, & hoc, vel illud ex prima eorum conſtitutione ſequi poſſunt. Quare in Angelis, vt eſt voluntas, ita eſt liberum arbitrium. Neque mihi quis obijciat, Angelos iam Dei gratia ſtabilitos peccare non poſſe; itemque Dæmones in peccato obfirmatos non poſſe bonum ſequi: non enim id efficit, quin in ipſis ſit liberum arbitrium; ſed ab illis, qui perſtiterunt, liberi arbitrij defectus Dei gratia ablati fuerunt; (peccare enim poſſe, liberi arbitrij defectus eſt) iſti lucis, quam deſpexerunt, conſpectu ſe indignos reddiderunt. Sunt igitur vtrique eius naturæ, vt & bonum, & malum ſequi poſſint: ſed illi ex gratia habent, vt iam peccare nequeant; hi nulla vi coacti, ſed ſua voluntate ſemetipſos a gratia abalienarunt. Cæterum, vt res clare aperiatur, animaduertere licet, eam eſſe Angelorum naturam, vt ante electionem, & bonum & malum ſequi poſſint. Quod ſi ſemel aut bono, aut malo adhæſerint, in illo pertinaciter perſeuerant. Hoc eſt, quod communiter dicunt: Angelorum liberum arbitrium flexibile eſſe ante electionem, ſed poſt electionem inflexibile. Neque illud hic eſt omittendum, creaturam rationalem ſic a Deo conſtitutam fuiſſe, vt, dum

in via peregrinatur, operari poſsit. Poſt verò mortem non eſt merendi tempus, ſed pœnæ, aut præmij: veluti ſcriptum eſt: Opera illorum ſequuntur illos. Via, & peregrinatio Angelorum fuit ante electionem. Qui itaque bonum elegerunt, in gratia confirmati, peccare amplius nequeunt. Qui autem elegerunt malum, delictorum iuſtam remunerationem, hoc eſt pœnam, obdurationemq. perpetuam retulerunt. Id ipſum Damaſcenus lib. 2. orthodoxæ fidei nos edocuit, cum inquit: Scire oportet, quoniam, quod hominibus mors, hoc Angelis eſt lapſus. Poſt lapſum enim non eſt illis pœnitentiæ locus, vt neque poſt mortem hominibus. *Apoſt.14* *cap. 4.*

De dilectione Angeli. *Cap. X.*

VOluntatem, atque inclinationẽ ad bonum, continuo dilectio comitatur. quæ enim ad bonum propẽſa ſunt, ex neceſsitate etiam diligunt. Quemadmodum igitur in Angelis voluntatem, atque inclinationem ad bonum eſſe fatemur: ita, dilectionem in eis ponendam fore, non ambigimus. Ea verò, duplex eſt: altera naturalis, altera electiua. Naturalis eſt, qua Angeli ſuum, alterius ue bonum, perfectionemq. diligunt: Electiua autem eſt, qua diligunt ea, quæ ipſos, alioſue ad bonum conſequendum adiuuant. Hæc dilectio non eſt naturali contraria, ſed naturalem conſequitur. Nam, cum voluntas bonum aliquod appetit, media quoque exquirit, quibus id conſequi poſsit. Quare, vt bonum, ita etiam diligit ea, quibus ad expeditam perfectionem peruenitur. Angeli naturali dilectione Deum, ſemetipſos, alios Angelos, atque homines diligunt; Deum quidem, vt ſummum bonum; ſe ipſos, quoniam ſe ad illud ſummum bonum aſſequendum factos eſſe percipiunt. Cæteros vero Angelos, atque homines, quoniam, quantum in ipſis eſt, optant illos, qui aut eiuſdem naturæ ſunt participes, aut ſecum vna in vitam æternam vocantur, in eodem bono eſſe conſortes. Dilectione vero electiua diligunt, atque exoptant ea, quibus tum ipſi, & cæteri Angeli, tum etiam homines adiuuari poſſunt, vt ſalutem conſequantur. At dicet aliquis: Si Angelus naturali dilectione Deum, ac reliquos Ange

los

los diligit, ſequeretur, Dæmones Deum, aliosq. Angelos diligere. Quod abſurdum plane videtur. Quo modo enim Deum, cæterosq. Angelos diliget, qui in peccato obfirmatus eſt, Deiq. voluntati, quantum poteſt, reſiſtit? Reſpondemus, Dæmonem Deum aliquo modo habere odio, dum Dei effectibus repugnat: non tamen poteſt eum odiſſe, prout eſt omnium bonum commune. Nam commune bonum odio haberi nequit, quia etiam eius, qui odit, eſt bonum. Nemo autem ſuum bonum odit. Angelos quoque odio proſequuntur, quatenus Angeli iuſti ſunt. Non poſſunt autem eos odiſſe, quatenus eiuſdem ſunt naturæ. Nam, ſi Angelorum naturam odio haberent, ſe quoque ipſos odio haberent. Nemo vero ſe ipſum odit.

De ſtatu Angelorum in Creatione.
Cap. XI.

Gen. 1. IAM inſpiciamus, quales Angeli creati fuerint, qualeſq. poſt creationem euaſerint. Angeli omnes boni creati fuerunt. Nam vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Non tamen creati fuerunt beati, beatitudine inquam illa, quæ eſt vltima rationalis creaturæ perfectio: licet nihil eis deeſſet, quod ad naturalem perfectionem, quam naturalem beatitudinem vocant, pertineret. Namque à beatitudine illa ſupernaturali nemo excidere poteſt. At quidam ex Angelis, vt paulo poſt dicemus, ceciderunt. Quod profecto non eueniſſet, ſi beati creati fuiſſent. Diuina enim viſio ita videntes afficit, vt eos tum in bono confirmet, tum non patiatur vnquam ab illo, ne latum quidem vnguem ſeparari. Angelis bonis creatis adiecta fuit gratia, qua beatitudinem mereri, & conſequi poſſent. Nam, cum Deus Angelos creaſſet, vt beatitudinem adipiſcerentur, auxilio aliquo indigebant, quo in illam conſcenderent. Quo enim pacto in finem illum, qui eſt ſupra omnem naturam, niſi ſupernaturali auxilio, peruenirent? Qualis enim finis eſt, talia debent eſſe ea, quæ in illum adducunt. Quapropter miſericors Deus Angelis elargitus eſt gratiam, qua in præparatã felicitatem introducerentur. Num vero Angeli in gratia creati fuerint, an poſt creationem gratia ei

ſit

ſit data, Deum ſolum noſſe arbitramur. Probabiliorem tamen eorum ſententiam eſſe putamus, qui aſſeuerant, Angelos omnes in gratia creatos fuiſſe: cum præſertim S. Baſilius ita ſentire videatur, qui ſuper Pſal. 32. ita ſcriptum reliquit: Angeli in prima conſtitutione, & quaſi quadam conſperſione ſuæ ſubſtantię ſimul infuſam habuere ſanctitatem. Quapropter & ad malitiam difficile ſe poterant tranſmouere: nimirum in ſibi indita ſanctitate, quaſi tinctura quadam confirmati pæne momento, ſtabilitatemq. ad virtutem dono Spiritus ſancti adepti.

De bonorum Angelorum confirmatione, & præmio. Cap. XII.

ANGELIS ita creatis, & gratia munitis, propoſitum fuit præmium æternæ beatitudinis, dummodo id omne Deo, tantæ fœlicitatis auctori, acceptũ referrent, humilesq ſe totos ſuo Creatori dedicarent. Quidam igitur ex ipſis, Diuinis iuſſis obtemperantes, animaduerterunt, ſe proprijs viribus in Dei Thronum aſcendere non poſſe. Quare, omni conatu ad Deum conuerſi, illum deprecabantur, vt tanti præmij participes fieri mererentur. Quoniam ergo Diuinæ voluntati aſſenſerunt, in æternam beatitudinem ſunt admiſſi, atque adeo in gratia ſtabiliti, vt peccare amplius nequeant. Viſio enim Diuina, vt ſupra quoque diximus, videnti tribuit, vt nunquam à tanto bono excidat. Angeli itaque, qui perſiſtere voluerunt, omnes æternam beatitudinem ſunt adepti, Deoq. fruuntur: ſed non æquè omnes beati ſunt: omnium enim eadem eſt beatitudo: ſed non omnes in eoſdem beatitudinis gradus vocati fuerunt. ij enim, quibus maiorem gratiam Deus impartiri dignatus eſt, maiorem quoque gloriam conſecuti fuerunt; ſicut ſcriptum eſt: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Ioan. 14.

De lapſu malorum Angelorum. Cap. XIII.

QVIDAM autem ex illis, vim, aciemq. propriæ naturæ conſpicietes, obedientiæ, quam Deo debebant, obliti, ſuperbiæq. faſtu elati, putauerunt, ſe ad præmium ipſis à Deo propoſitum poſſe, ſuæ naturæ conditione, peruenire. Itaque, nolentes Deo illud debere, cum Creatore inimicitias exercere cœperunt, ſeq. ab eo penitus alienauerunt.

Iob 4. Tunc Deus, vt inquit Scriptura, in Angelis reperit prauitatem. Pec-
Eſa. 14. candi occaſionem eis obtulit vnus ex ipſis; qui, ob naturæ claritatem,
Apo. 12. apud Eſaiam, Lucifer; ob tortuoſuam peruerſitatē, apud Ioannem,
Eſa. 14. Draco appellatur. Hic, aduerſus Deum inflatus, Aſcendam, inquit, in cælum, & ero ſimilis Altiſsimo. Quem ex Angelis nonnulli ſectati, vna cum ipſo corruerrunt; &, dum ad Thronum Dei aſcendere tentarunt, ad imum locum deſcenderunt. Hæc nimirum eſt debita ſuperbiæ merces, de ſummo loco depelli, & in imum detrudi. Et, quoniam ſemel malo adhæſerunt, ita inſuper in malo ſunt obfirmati, vt non modo bonum amplius non agant, ſed etiam ex malo in malum quotidie præcipitent, & culpam culpæ aſſidue ſuperaddant. Peccarunt in Deum, ſuperbiendo; peccarunt in primum hominem, & nunc in cæteros peccant homines, inuidendo; eosq. ad malum trahere continenter conantur. Itaque, dum reliquorum ſaluti obſiſtunt, & in quæuis delicta miſeros miſere pertrahere nituntur, omnium criminum rei fiunt. Non ſunt Angeli, vt Auguſt.
de ciuita. ait, fornicatores, non ebrioſi; neque aliud quid tale admittunt; ſed,
Dei lib. dum ad ſornicationem, dum ad ebrietatem impellunt, horum cri-
14. c. 3. minum reatum incurrunt. Hic curioſe à quibuſdam quæritur, quanta mora inter creationem, & lapſum interuenerit; num maior pars Angelorum peccauerit; num a quolibet ordine aliqui ceciderint. Nos nihil temere de iis ſtatuere volumus; ſed, Creatori hanc totam cognitionem reſeruantes, cætera enarremus.

De pœna

De pœna Dæmonum, & loco. Cap. XIV.

PRÆTER pœnam, qua Angelos malos à Deo mulctatos eſſe diximus, in malo nimirum obſtinationem, aliæ quoque pœnæ eorum peruerſitati ſunt adiectæ. Ac primum quidem quædam veritatis cognitio in eis eſt imminuta, quædam ab eiſdem ſubtracta, etſi aliqua neque debilitata fuit, neque ablata. Nam triplex eſt veritatis cognitio: vna, naturalis; altera, gratuita, quæ in contemplatione verſatur, quæ tum habetur, cum cuipiam aliqua myſteria gratiæ referantur; tertia, gratuita, amorem Dei producens. Naturalis, nullo pacto eſt ablata, aut imminuta. Hæc enim ipſam Angeli naturam comitatur, a qua propter ſubtilitatẽ nihil ſubtrahi poteſt. Quapropter dixit Dionyſ. in Dæmonibus naturalia integra remãſiſſe. Gratuita, quæ in ſpeculatione conſiſtit, fuit imminuta. Nõ enim Dæmones gratiæ myſteria cognoſcunt, niſi quatenus illa ipſis à Deo per Sanctos Angelos, aut alia aliqua ratione patefiunt. Tertia, quæ Dei amorem producit, omnino fuit ablata. Deinde ita affecti ſunt, vt ſemper doleant. Triſtantur autem, tum de propria pœna, tum de hominum ſalute. Nam, cum experiuntur, ſe in loco eſſe ſuæ voluntati repugnante, atque in eo vi quadam detineri, maxime triſtantur. Dolent etiam, cum vident homines ad ſalutis portum peruenire. Locus vero, in quo nunc Dæmones detinentur, eſt iſte aër caliginoſus, qui, vt Aug. inquit, eſt ipſis quaſi carcer vſque in diem iudicij. Id cum Apoſtoli Oraculis conuenit, dicentis: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus Mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus. Iudas quoque in ſua Epiſtola dicit, Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſeruari. Dum autem in tenebricoſo hoc aëre inhabitant, aſſidue homines ſuis prauis impulſionibus exercent. Vnde, & hominibus, qui ſe vinci non ſinunt, maior gloria, & ipſis grauius ſupplicium præparatur. Non me latet, putare quoſdam, Dæmones iam ab initio in infernũ ignem relegatos eſſe, & nunc etiam in illo detineri, aliquando etiam in caliginoſum hunc aërem ad tentandos homines, aſcendere; ac interim infer-

De Diui. nom. c. 4.

3. ſuper Ge. ad lit. c. 10.

Eph. 6.

ni ignem, quo torquebatur, ſecum deferre. Verum id Domini ſenten-
Matt. 25. tiæ aduerſatur, qui dicit, Ignem inferni eſſe præparatum Diabolo, & Angelis eius. Quare dicimus, Dæmones in hoc caliginoſo aere vſque ad Iudicij diem reſeruari, tunc vero in barathrum demittendos. Non negamus tamen, eos viciſsim ad torquendas animas in infernum deſcendere. Neque credas, interim inferni pœnis eos penitus carere. Dum enim contemplantur, illum locum ſibi eſſe paratum, pæne æquè triſtantur, ac ſi illo igne cremarentur. Quapropter Gloſſa quæ-
Iac. 3. dam ſuper Iacobum ſentit, Diabolum, vbicunque ſit, vel in aere, vel ſub terra, ſuarum flammarum tormenta ſecum deferre. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi actu ignem illum deferat, ſed quod continenter in illius conſideratione verſetur.

De illuminatione Angelorum. Cap. XV.

HIS ita explicatis, de Hierarchijs, ac Ordinibus Angelorum agendum eſſet. Verum, quoniam tam Hierarchiarum, quàm Ordinum diſtinctio ex Angelorum officijs, ac miniſterijs pendet, neceſſe eſt, vt de his prius ſermonem faciamus. Duplex eſt Angelorum miniſterium: alterum internum, alterum externum. Internum, in illuminatione; Externum, in miſsione conſiſtit. Superiores Angeli, vt explicat Dio-
lib. 1. de cæl. hier. c. 6. nyſ. inferiores illuminant, cum eos docent, quæ à ſuperioribus Angelis, vel ab ipſomet Deo acceperunt; eademq. eorum intellectui adeo diſtinctè repræſentant, vt ſine vllo labore capere poſsint. Nam, cum ſuperiores ſubtiliori ſint natura præditi, plura noſcunt, ac perfectius intelligunt; quæ cum inferioribus intelligenda proponunt, ita quoque diſponunt, vt ab illis percipi queant. Quod cum efficiũt, quaſi lumine quodam ipſorum mentes colluſtrant. Atque ij, qui ſupremo in gradu collocati ſunt, à Deo proximè illuminantur, ac deinceps eos, qui ſub ipſis poſiti ſunt, illuminant; & ij rurſum alios illuminant inferiores, quouſque ad infimum Angelorum gradum deueniatur, qui, vt ſuperiores imitentur, cum Angelos, quos illuſtrent, non habeant, hominum animos luce perfundunt, eis ante intellectus oculos conſtituentes, quid fugere, quid ſequi debeant. Hæc Angelii illuminatio rectè Locutio nuncupatur. Nam linguas in Angelis diui-
1. Cor. 13 nus Paulus agnouit, cum dixit: Si linguis hominum loquar & Angelorum.

rum. Cũ enim Loqui nihil aliud ſit, quàm animi cõceptum indicare, accommodata nimirum tranſlatione Angelum loqui dicimus, cum alteri, quæ nouit, patefacit. Quare Angeli illuminatio rectè Locutio appellatur: licet Locutionis nomen latius pateat. Nam non ſolum illuminatio, verum etiam quodlibet clarũ cõceptus indicium rectè Locutio nominatur. In Diuinis enim Scripturis legimus, non modo ſuperiores Angelos inferioribus loqui, ſed etiã Angelos Deo, cui ſubduntur, reſpondere, & inferiores Angelos ſuperiores, a quibus illuminantur, alloqui. Nam ſcriptum eſt apud Zachariam: Reſpondit Angelus *Zach. 1.*
Deo, & dixit: Domine exercituum, vſquequo non miſereberis Hieruſalẽ? Et apud Iſaiam: Clamabãt alter ad alterum. Hoc eſt internum *Eſa. 6.*
Angeli officium, ipſa ſcilicet illuminatio, quam aliqui interiorem miſſionem appellant: de qua dictum eſſe volunt illud Apoſtoli: Non ne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis? *Heb. 1.*

De Miſsione Angelorum exteriori. Cap. XVI.

EX Angelis nonnulli interdum a Deo extrinſecus mittuntur, vt aliquam ſuo iuſſu obeant legationem. Nam *Gen. 18.*
legimus, Angelos Abrahamo apparuiſſe, Tobiæ aſtitiſ *Tob. 5.*
ſe, Sampſonis ortum prædixiſſe; &, ne ſingula eorũ mi- *Iud. 13.*
niſteria percurramus, noſtri Saluatoris conceptum *Luc. 1.*
Beatæ Mariæ Virgini prænunciaſſe. Verum non omnes Angeli extra mittuntur. Nam Angelorũ primæ Hierarchiæ nullus mittitur. Tertiæ omnes mittuntur. Secundæ quidam mittuntur, quidam non mittũtur. Qui enim primi ſunt Ordinis in hac Hierarchia, non mittuntur; qui vero ſecundi, ac tertij Ordinis ſunt, mittuntur. Quot autem Hierarchiæ, quotue ordines ſint, ſtatim exponemus.

De Hierarchijs, & Ordinibus. Cap. XVII.

EX iis Angelorum functionibus, ſi illas probe diſtinguemus, facile in Hierarchiarum, Ordinumq; ducemur cognitionem. Iam declaratum eſt, omnes Angelos illuminari, & illuminare; & quoſdã à Deo proxime illuminari, & Angelos illuminare: quoſdam ab Angelis illuminari, & Angelos illuminare: quoſdam vero ab Angelis illuminari, & homines illuminare.

Primam

Primam igitur Hierarchiam ex iis conſtitui dicimus, qui à Deo proximè illuminantur, & Angelos illuminant; Secundam, ex ijs, qui à ſuperioribus Angelis illuminati Angelos illuminant; Tertiam, ex ijs, qui, à ſuperioribus Angelis illuminati, homines illuminant. Tres itaque ſunt Angelorum Hierarchiæ: quarum quælibet ex tribus Ordinibus conſtat. Hierarchia autem nihil aliud eſt, quàm ſacer Principatus, hoc eſt multitudo ſub vno Principe conſtituta, quæ ſimilium donorum, aut officiorum eſt particeps. Ordo verò, eſt multitudinis pars, in vno quopiam munere, aut officio concors. Primæ Hierarchiæ tres ſunt Ordines: quorum primus Seraphin, ſecundus Cherubin, tertius Throni appellantur. De primo ſcriptum eſt a-
Eſai. 6. pud Eſaiam: Seraphin ſtabant ſubter illud, ſex alæ vni, & ſex alæ al-
Gen. 3. teri. De ſecundo inquit Moſes: Poſuit in eo Cherubin, & flammeum
Col. 1. gladium. De tertio Paulus, ad Coloſſenſes ſcribens, meminit. Secundę Hierarchiæ Ordines ſunt, Dominationes, Principatus, & Pote-
Ibid. ſtates: de quibus ſic Paulus, ad Coloſſenſes: Siue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates. Tertię Hierarchiæ ordines sũt, Virtutes,
Ephe. 1. Archãgeli, Angeli. Virtutũ Paulus in ep. ad Epheſios mentionẽ facit: Archangelorũ, & Angelorũ nomina paſſim in diuinis literis legũtur.

His breuiter expoſitis, cuiuſque ordinis proprietates enarremus. Vbi illud potiſſimum animaduertendum eſt; Angelorum primæ Hierarchiæ nomina nullum miniſterium indicare, ſed intimas tantum proprietates oſtendere; cæterorum verò ordinum vocabula miniſterium commonſtrare. Id iure optimo factum eſt. Nam, cum ſupremæ Hierarchiæ Angeli ad nullum externum miniſterium mittantur, ſed tantum Deo aſſiſtant; illæ erant ipſis aſſignandę proprietates, quæ eorum intimas perfectiones indicarent. Cæterorum verò Ordinum Angeli, quoniam aut extrinſecus mittuntur, aut externæ miſſioni præſunt, ijs exprimi debebant vocibus, quæ miniſterium demonſtrarent. Alterũ quoque hic videtur adnotandũ; externas vnius ordinis actiones alteri non cõmunicari; internas vero perfectiones omnibus eſſe cõmunes; ita tamen, vt intelligas, ea, quæ ſuperiorũ propria ſunt, ab inferioribus participari; &, quæ inferioribus ſunt peculiaria, ſuperioribus excellẽter ineſſe. Sed iã proprietates explicemus. Seraphin proprietas eſt, charitatis excellẽtia; Seraphim enim, charitate ardẽs interpretatur. Cherubin proprietas eſt, ſciẽtiæ plenitudo. Id enim nomẽ ſonat. Thronorum eſt proprium, iudicare. Thronus enim idẽ eſt, quod Sedes: qui autem iudicant, Sedere ſolent. Quapropter dixit
Hom. 24. Gregorius: Deum per Thronos iudicia exercere. Hic proprietatum
in Euãg. ordo mire Diuinæ reſpondet diſpoſitioni. Par etenim eſt, vt, qui Deo

propius

propius iunguntur, perfectiori habitu polleant. Dominationes, de Diuinis miniſterijs exequendis præcipiunt. Poteſtates, malignas poteſtates arcent ac repellunt. Principatus, Regnis præſunt. Vnde non ſolum Angeli cuiuſpiam loci, ſed etiam Principes in ſacris libris appellantur. Per Virtutes Deus miracula operatur; Archangeli maiora nunciant; Angeli minora. Dan. 11.

De actione Angelorum in corpus. Cap. XVIII.

Ex ijs, quæ dicta ſunt, patet, Angelos nõ ſolum Deo aſſiſtere, ſed etiam Dei iuſſu, inferioribus omnibus præſidere. Verum, cũ creaturarum aliæ corporeæ penitus ſint; aliæ corpore, & anima conſtent; vidẽdum breuiter eſt, quo modo Angeli vtriſque præſint. Non putandum eſt, materiam, corporaq. Angelis ad nutum deſeruire: corporibus enim Angeli dominarentur, &c, cum ſibi collibitum eſſet, formam in materiam introducere poſſent; quæ poteſtas ſolius Dei eſt. Hãc tamen habent poteſtatẽ, vt ea loco mouere queãt. Non nullos inſuper effectus producere poſſunt, quos miracula eſſe non nunquam ſibi homines perſuaſerunt. Nam, cum ſubtiliſſimæ ſint naturæ, & noſcant, quo modo quodque in rerum natura producatur, occulta nobis ratione res rebus adiungunt, & inſolitos quoſdam effectus, homines in maximam admirationem traducẽtes, producunt: qui, etſi præter ordinem nobis notum fiunt, non tamen omnem naturę ordinem excedunt; atque iccirco propriè Miracula appellari nequeunt. Nam, vt ſuprà declaratum eſt, non eſt illud Miraculum, quod fit ſolum pręter ordinem nobis notum; ſed, quod, cum fiat præter ordinem nobis notum, fit etiam præter ordinem totius naturæ: quam nemo immutare poteſt, niſi ille, qui naturam condidit, vt ſcriptum eſt: Qui facit mirabilia ſolus. Atque hoc pacto Angelus corpori præeſt, ipſum ſcilicet mouendo, & ex rerum mutua copulatione, & nobis ignota, inſolitos affectus producendo. Quos quidem ui ſuæ naturæ, cum ei collubitum fuerit, producere poteſt, niſi a Deo prohibeatur. Pſ. 71.

De actio-

De actione Angelorum in vim ſenſitiuã. Cap. XIX.

ANGELVS vero in animam agit tum ſenſitiuam, tum rationalem; ſed non eodem pacto in hanc, atque in illam. Videamus itaque prius, qua ratione in vim ſenſitiuam, deinde quo modo in rationalem agat. Angelus tum ſenſum interiorem vis imaginatiuæ, tum exteriores ſenſus mouere poteſt. Imaginatiuam tribus modis immutari contingit; aut ex imaginantis voluntate, cum ſcilicet quis, quod alias vidit, aut audiuit, aut alio quouis pacto ſẽtit, imaginatur: poteſt enim id ipſum, cum libuerit, cogitare: aut ex naturæ perturbatione, ſiue ſanæ, ſiue ægræ, cum ſcilicet humores deſcendunt, ac imaginatiuã occupant, vt in ſomniantibus, & phreneticis conſpicere licet: aut ab exteriori commouente, cum ſcilicet exterius aliquod agens humores commouet. Hac poſtrema ratione Angelus poteſt imaginatiuam immutare, quoniam vi ſuæ naturæ humores loco mouere poteſt. Externi autem ſenſus facilius ab Angelo poſſunt immutari. Nam, cum a duplici cauſa ſenſus immutentur; aut ab interiori, veluti cum ſpiritus, humoreſue commouẽtur, quemadmodum videre eſt in ijs, quorum guſtui propter flauæ bilis exuperantiam omnia amara videntur; aut ab exteriori, vt cum a ſenſibili immutantur; vtroque modo Angelo datur ſenſus immutare. Nam, cum ſpiritus, &
Gen. 19. humores poteſt commouere, vt fortaſſe factum fuit, cũ Sodomitæ cæcitate percuſſi fuerunt; tum exterius obiectũ poteſt opponere, a quo ſenſus moueãtur, ſiue illud ſit a natura formatum, ſiue ab eodemmet Angelo fabricatum, & aſſumptum.

De actione Angelorum in vim rationalem. Cap. XX.

IN rationalis quoque animæ vires, hoc eſt, intellectum, & voluntatem Angeli agunt. In intellectum quidem, quoniam, dum homines illuminant, eorum intellectum corroborant, eiſq. Diuina myſteria aperiunt. Quæ vt plurimum ſub ſenſibilium ſpeciebus intelligenda proponunt:

noſtr

noſter enim intellectus,ſenſibilibus aſſuetus, ex Ijs,quæ ſenſibus obijciuntur, facilius in Diuinorum myſteriorum ducitur cognitionem. In voluntatem autem agunt,non in illam illabendo,ſeu illam immutando,(hoc enim ſolius eſt Dei) ſed illi ſuadendo, quid ſequi,quid fugere debeat, eamque ad iram, aliaſue paſſiones incitando. Neque tamen cogere poſſunt, vt homines, quod ſuaſum eſt, ſequantur, vel, vt paſſionibus, ad quas impulſi fuerunt, ſuccumbant.

De Angelorum cuſtodia erga homines. Cap. XXI.

PRÆTER has actiones,boni Angeli,quos infimæ Hierarchiæ S.Thomas eſſe cenſuit,in hominum ſalutem, omni cogitatione, curaque, Dei iuſſu, incumbunt, vt ſcriptum eſt: Angelis ſuis Deus mandauit de te, *Pſ. 90.*
vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Vnumquodque regnum, vnaquæque Eccleſia Angeli cuſtodiæ ſubeſt. Nam Daniel Angelum principem Perſarum appellat.Et Ioan *Dan. 2.*
nes in Apocalypſi inquit: Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribæ. Quin etiam *Apo. 2.*
cuique homini ab ortu Angelus cuſtos præficitur. vnde eſt illud Hie- *ſup. Mat.*
ronymi: Magna eſt dignitas animarum,vt vnaquæque habeat ab or- *c.18.*
tu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Id vero ſumma Dei benignitate effectum eſt,qui,humanæ naturæ imbecillitatē commiſeratus, ei, ne prorſus rueret, pluribus remedijs ſubueniendum putauit. Ex quibus illud magnum eſt, vt homo Angelum cuſtodem habeat, qui & ſaluti impedimenta afferentia arceat, & ipſum omni conatu ad bonum aſſidue impellat. Quod ſi homo in peccatum labitur, non Angeli cuſtodiæ, ſed ipſius peruerſitati eſt tribuendum, qui ſuadenti Angelo obtemperare contemnit.

De Angelorum pugna. Cap. XXII.

CVM itaque Sancti Angeli,Regnorum,hominumq. cuſtodiam ſuſceperint,ne quid prętermittant,continenter pro ipſorum ſalute aduerſus malos Dæmones prœliantur. Nam poſt certamen illud in cælo factum, cum Michael *Apo. 12.*
Draconem expulit,continua eſt inter bonos, & malos pugna; his homines in peccatum trahere conatibus; illis,ne cadant,adiuuantibus.

Hæc autem pugna nihil aliud eſt, quàm voluntatū repngnantia, quarum altera perditionem machinatur, altera ſalutem procurat. Non enim Angeli ferreis telis certant, ſed voluntate. Qua ex pugna ille demum palmam reportat, cuius voluntati hominis voluntas adhæſerit. Quamuis enim Sancti Angeli in nobis cuſtodiendis omnem diligentiam adhibeant; non tamen noſtræ voluntati dominantur, quæ cum huc atque illuc ſuo arbitrio flectatur, poteſt & bonū ſequi, & malum amplecti. Neque aliquis in Sacris literis rectè ac piè eruditus, inter bonos, malosq. Angelos prœlium eſſe, iure negabit. Illud quidem in controuerſiam venit, an boni Angeli interdum inter ſe pugnēt. Ac S. Gre-
17. Mor. c. 7. gorius ſentit, inter bonos Angelos pugnam interdum eſſe. Nam Ga-
Dan. 2. briel apud Danielem ita loquitur: Princeps Perſarum reſiſtit mihi viginti & vno diebus. Hic autem Princeps Perſarum erat, vt ipſe arbitratur, Angelus Perſarum cuſtodiæ deſtinatus. Princeps enim hic in bonam partem accipitur. Quod ex eo conijcere licet, quoniam Michael quoque, qui Gabrielem adiuuit, ibi Princeps appellatur. Quare hæc pugna erat inter Gabrielem, & Angelum Perſarum regno præpoſitum. At dices, Quænam erat hæc pugna? Nunquid & inter Sanctos eſt repugnantia? Nonne, vbi eſt repugnantia, ibi continuo eſt diſcordia? At, ſi Angeli ſancti ſunt diſcordes, quo modo beati? cum in illa ſuperſancta beatitudine ſit pax concors, & vnitas indiuiſa? Animaduerte, poſſe beatorum voluntates inter ſe aliquo pacto diſcordes eſſe, non tamen à Diuina voluntate alienas. Nam poteſt vnus bona voluntate aliquid velle, cuius contrarium alter quoque bona voluntate velit. Cum verò ita vult vterque, omnia ad Diuinam refert voluntatem. Gabriel, qui Danielis preces pro Iſraelitici populi libertate Deo in dies offerebat, eiuſdem populi libertatem exoptabat, iudicans, id populi ſaluti conducere. Contra, Princeps Perſarum non exiſtimabat id expedire. Quapropter, hac ratione, voluntate interſe repugnabant. Expectabant tamen, quid Deus eorum conſultationi reſponderet. Præſtolati ſunt viginti & vno diebus, Deum ſemper conſulentes. Tandem Diuinum reſponſum Gabriel accepit, vt populus a captiuitate liberaretur. Hæc erat Angelorum pugna, in qua licet alter alteri repugnaret, non tamen ita aduerſabantur, quin omnia ad Diuinam voluntatem referrent. Quare, etſi voluntates erant diuerſæ, quoniam tamen vterque ſuam ad Dei voluntatem referebat, non erat ibi liuida repugnantia, non pertinax diſcordia, ſed cum repugnantia pax, cum diſcordia vnitas. Vtraque enim voluntas eundem finem reſpiciebat, vtraque Dei voluntati ſe ſubmittebat, vtraque, quid Populo expediret, cōſulebat, vtraque, quid Deo placeret, opperiebatur.

De Dæ-

De Dæmonum oppugnatione. Cap. XXIII.

QVemadmodum verò ſancti Angeli homines aſſiduè cuſtodiunt,& pro ipſorum ſalute pugnant: ita mali Angeli eoſdem impugnare nunquàm deſiſtunt. Hominibus enim nō ſolum eſt colluctatio aduerſus carnem,& ſanguinem, ſed etiam aduerſus Principes, & Poteſtates, aduerſus mūdi rectores tenebrarum harū,contra ſpiritualia nequitiæ,in cæleſtibus,aduerſus,inquam, Dæmones,qui ſemper circuunt,quærentes quem deuorent. Hæc Dæmonum oppugnatio fit eorum praua volūtate:oppugnationis tamen ordo,Deo eſt permittente: permittit enim Deus homines impugnari, ac tentari,vt electi probentur.Sic permiſit ſanctum Iob vlcere percuti:ſic voluit Paulo Sathanæ ſtimulum dari: ſic patitur indies Sanctos viros tentari,vt pretioſiores fiant auro,quod per ignem probatur. Si qui verò tentationi ſuccumbunt,aſcribēdum eſt ipſis,qui,vt pote Dei auxilio,& bonorum Angelorum præſidio muniti, cum ex pugna palmam referre poſſent,vinci potius,quam vincere elegerunt. Dæmonis quidem proprium eſt,tentare.Quare Dæmon,& à Paulo,& ab Euangeliſta Tentator appellatur.Nolim quēpiam hic turbari,qui legerit, non ſolum Dæmones,ſed etiam Deum,atque homines tentare. Scriptum eſt enim:Tentauit Deus Abraham.Et de Regina Saba ſcribitur, quod venit tentare Salomonem in ænigmatibus.Nā nos nō negamus, Deum,& homines tentare:quoniam tamen Tentationis vox,vt plurimum in malam partem vſurpatur,& Diabolus numquam tentat,niſi vt noceat, iure Tentatoris nomē ipſi imponitur. Tentat quidē Deus, hoc eſt alicuius periculum facit, (id enim eſt Tentare) tentat homo, tentat Diabolus:ſed aliter Deus,aliter homo,aliter Diabolus.Tentat Deus, vt faciat alios noſſe,quis,qualiſue ſit ille,qui tentatur, vt ſcriptum eſt: Tentat vos Dominus Deus veſter,vt palam fiat, vtrum diligatis eum.Tentat Diabolus,vt in peccatum trahat.Tentat homo, interdum vt iuuet, interdum vt noceat.Cum tentat vt iuuet,inſtrumentum eſt Dei. cum tentat, vt noceat, miniſter eſt Diaboli. Aliquando homo Deum quoque tētat: quod cum facit,in præſumptionis crimen incurrit,tamquam is,qui Dei virtutem, quam ignorat, experiri audet. Cum itaque Deus ſemper tentet, vt iuuet; homo non ſemper,vt noceat; Diabolus ſemper, vt noceat; Diabolus Tentatoris nomē,quod vtrumque in malam partem accipitur, ſibi vere vindicauit.

Ephe. 6. *1. Pet. 5.* *Iob 2.* *2. Cor. 11.* *2. Pet. 5.* *1. Cor. 7.* *Matt. 4.* *Gen. 22.* *3. Reg. 10* *Deut. 13.*

De ijs,qui à Dæmonibus vexantur. Cap. XXIV.

DÆMONES, præter hanc oppugnationem,qua prauis ſuaſionibus homines præcipites agere procurãt, interdum Dei permiſſione in hominum corporibus habitant:tantumq. tunc obſunt, vt non ſolum phantaſiam, & ſenſum immutent, verum etiam carnem, & ſanguinem, ſpiritusq. tum vitales, tum animales adeo perturbent, vt rationis vſus omnino impediatur. Ex quo euenit, vt Dæmones corporum pænè poſſeſſores eſſe videantur. Legimus in Euangelio, multos a Dæmonibus vexatos fuiſſe. Noſtris quoque temporibus non nulli eodem morbo laborant. Cuius rei cauſam alij inquirant. Nos id totum Dei permiſſione, & occulto iudicio, fieri exiſtimamus.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER QVINTVS.

DE MVNDO.

De ordine, quem Deus in corporeæ Creaturæ creatione ſeruauit. *Cap. I.*

Gen. 1.

POST hæc tranſgrediamur ad explicandam corporeæ naturæ creationem: quam Diuinus Moſes enarraturus, ita orſus eſt:In principio creauit Deus cælum & terram. Cum audis, Deum creaſſe cælum, & terram; intellige, intermedia quoque elementa, hoc eſt aerem, & aquam creaſſe, atque etiam omnia, quæ cæli ambitu continentur. Non enim, qui confeſſus eſt,Deum cælum & terram creaſſe, negauit cætera omnia creaſſe. Sed, quoniam Moſes fuſius rerum creationem deinceps erat declaraturus, breuitati ſtudēs, cæli tantum, ac terræ, hoc loco meminit. In hac rerum creatione animaduertimus, Deum, quem rebus creatis ordinem indidit, in illis creandis etiam ſeruaſſe. Rerum ſiquidem naturæ accommodatum eſt, & peculiare, vt inordinata in ordinem redigat, vt ex ſimplicibus compoſita effingat, vt ex imperfecto ad perfectum progrediatur. Artes, quæ naturam imitantur,id manifeſtant. Nam Figulus, diuerſarum figurarum vaſa effecturus, primum cretæ maſſam accipit, deinde partitur, & ex hac particula vrnam, ex illa vrceum conficit. Medicus, pharmacum paraturus, diuerſarum herbarum ſuccos ſumit, poſtea miſceri iubet. Faber lignarius, ſtatuam fabricaturus, primum ſecuri, & aſcia,ligni quaſdam partes reſecat, deinde li-

de lignum dolat, demum cæteris inſtrumentis opus perfecit. Id quod ars imitatur, Deus rerum naturæ ab initio indiderat. Natura enim, antequam alimentum in aliti naturam conuertat, cibum veluti maſſam quandam confuſam aſſumit, deinde craſſam partē, & ad nutriendum ineptam, ab ea, quæ ad nutriendum apta eſt, ſegregat, eamq. in epate elaboratam per venas transfundit, donec cuilibet particulæ debitum alimentum elargiatur. Cum verò generationis opus aggreditur, quatuor humores, hoc eſt ſanguinem, pituitam, atram, & flauam bilem aſſumit, & inter ſe commiſcet. Quo in opere à minus perfecto ad perfectius ſemper progreditur. Nam, poſtquam vterus ſemen ſuſcepit, embrio formatur, deinde paulatim epar, cor, cerebrum, cæteræq. corporis partes effinguntur, donec ſemen animal perfectum euadat. Hunc ordinem Conditor in creandis rebus ſeruauit. Primum enim maſſam quandam confuſam, & inordinatam creauit, deinde illam diſtinxit, & inde quatuor rerum elementa eduxit. Prius ſimplicia corpora, quam compoſita eduxit, quia ex illis hæc erant componenda. Demum prius inanimatam naturam, quàm animatam produxit: deinde plantas, poſtea animalia rationis expertia: poſtremo hominem formauit, à minus perfecto ad magis perfectum ſemper progreſſus. Sed iam inſpiciamus, quonam pacto Moſes Diuinæ ſapientiæ ordinem propalarit.

De Maſſa informi. Cap. II.

Gen. 1.

TERRA, inquit, erat inanis, & vacua. Hic Moſes per Terrā nihil aliud intelligit, quàm maſſam illam quatuor elementorum cōfuſam, quam poſtea Abyſſum, & Aquas appellat, cum ait: Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Terram eā nominat, quia Terra corpus eſt opacum, nec lumen, niſi ſuperficie tenus, recipit: Aquam verò, quia, etſi aquæ corpus lumen admittit, difficulter tamen id facit, & eſt ſuapte natura tenebroſum. Quare Moſes non immeritò nunc Terræ, nūc Aquæ nomine vtitur ad Maſſam illam explicandam, quæ Abyſſi, hoc eſt profunditatis, viſui imperuiæ, nomine propriiſſime declaratur. Hanc maſſam Vates dicit fuiſſe inanem, & vacuam; quoniam erat informis, & omni ornatu priuata. inanitas ſiquidem

formæ,

formæ, vacuitas ornatus indicat priuationem. Nolim autem quempiam arbitrari, nos dicere, maſſam illam confuſam formam prorſus caruiſſe: nam id fieri nequit, cum neceſſe ſit, omne, quod actu eſt, formam habere: ſed illud ſciat, nos aſſerere, maſſam illam, diſtinctionis forma priuatam fuiſſe: hanc enim poſtmodum accepit. Maſſa itaque illa habuit formam, qua exiſteret; diſtinctam tamen, vt nunc, non habuit. Tunc enim omnia elementa ſimul erant; neque, quid aqua, quid terra, quid aer, quid cælum eſſet, dignoſcebatur. Quare neque diſtincta forma illic erat. Deinde diſtinctis elementis vnumquodque ſuam formam ſortitum eſt. Ecce, quo modo Moſes declarauit, inordinatam maſſam à Deo creatam præextitiſſe, antequam elementa diſtinguerentur. Deinde diſtinctionis modum, ac ſeriem proſequitur, ita dicens: Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux. *Gen. 1.*

De Opere Primæ Diei. Cap. III.

SEX diebus Deus maſſam illam inordinatam in ordinem redegit. Prima autem Die facta eſt lux; & quidem oportebat ante omnia maſſam illam illuminari, vt paulatim præclarum Creatoris opus appareret: omnia enim, cum lucent, multo ſunt iucundiora. Illa autem lux, quoniam diei per Solis motum faciendi, cui nox ſucceſſura erat, prænuncia fuit, non ſemper chaos illud illuminabat, ſed ſtato quodam tempore illuſtrare deſinebat. Itaque nunc illuminabat, nunc aduenientibus tenebris cedebat, & viciſſim nunc dies erat, nunc tenebræ. Num autem lux illa circumuolueretur, atque ita, veluti modo Sol, illuſtraret, an vero nunc effunderetur, nunc contraheretur, in controuerſiam venit. Nobis videtur probabilior Baſilij, & Damaſceni ſententia, qui, definito à Creatore tempore, illam nunc effuſam, nunc contractam fuiſſe aſſeuerant. Verum, quoniam in ſermonem de Luce incidimus, non ab re erit declarare, quid ſit Lux, quid Tenebræ, & quid inter ſe differant Lux, Lumen, Radius, Splendor, & Illuminatio ſecundum ſuperficiem. Lux, eſt qualitas, tenebrarum expultrix, corpori lucido inhærens, veluti videre eſt in Sole, & igne: Tenebræ verò, ſunt lucis abſentia. Sin *Baſi. exa. homi. 3. Dama. ortho. fi. li. 2. c. 7.*

autem

autem ſcire voluerimus, quid inter Lucem, Lumen, Illuminationem ſecundum ſuperficiem, Radium, & Splendorem interſit, prius quædam corporum differentia a nobis eſt intelligenda. Corporum itaque aliud eſt lucidum, aliud perſpicuum, aliud opacum. Lucidum eſt, quod innatam lucem habet, vt Sol, & ignis. Perſpicuum eſt, quod ſuapte natura eſt tenebroſum, ab alio tamen vel totum illuminari poteſt, cuiuſmodi ſint aqua, aer, cryſtallus, & vitrum. Opacum eſt, quod ſuperficie tenus, non tamen intrinſecus illuminatur, vt terra, cæteraq. corpora ſolida. Qualitas innata in corpore, Lux appellatur: Lumen eſt illuminatio in perſpicuo corpore recepta. Quòd ſi in opacum corpus recipiatur, quia ſuperficie tenus recipitur, Illuminatio ſecundum ſuperficiem nominatur. Si verò lux vnita illuminat, Radius dicitur. Cum autem radius reflexus illuminat, Splendor nuncupatur.

De opere Secundæ Diei. Cap. IV.

CVM Deus confuſam illam maſſam diſtinguere propoſuiſſet, naturæ ordinem ſecutus, primum ſimplicia corpora, ex quibus compoſita conſtant, eduxit. Luce igitur, prima die producta; Secunda Die, cælum, aerem, & aquam; Tertia verò Die, terram in cōſpectum adduxit; eadem Tertia Die, Terram, herbis, plantis, cæteriſq. ad eius ornatũm pertinentibus compleuit; Quarta, Cælum luminaribus exornauit; Quinta, aquas piſcibus, & aerem volatilibus repleuit; Sexta denique, animalia è terra, ac demum hominem produxit. Moſes, Secundæ diei

Gen. 1. opus deſcripturus, ita inquit: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitq. aquas, quæ erant ſub firmamento, ab ijs, quæ erant ſuper firmamentum. vocauitq. Deus firmamentum cælum. Secunda die duo in medium prodiere, cælum, & aqua: & aquæ ita collocatæ ſunt, vt vna earum pars ſupra firmamentum, altera ſub firmamento poneretur. Firmamentum verò locum inter aquas ſortitum eſt. Aquas ſub cælo ſupra terram eſſe omnes conſpicimus: ſed, ſupra cælum eſſe, Scripturæ auctoritate edocemur. Nam hic Moſes id apertè teſtatur: &

Pſ. 148. Dauid inquit: Aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Do

Pſ. 103. mini. Et rurſum: Qui tegis aquis ſuperiora eius. Et apud Danielem

ſcriptum

ſcriptum eſt: Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino. Quales verò illę aquæ ſint, non inter omnes conuenit. Nam Origenes, ad allegoriam, ſuo more, confugiens, Aquas illas, ſpirituales ſubſtantias, ſeu angelicam naturam interpretatur. Alij verius aſſerunt, illas aquas eſſe corporeas. Quo modo verò aquæ naturà fluidæ ſuprà cœlos exiſtant, ſiue ibi congelatæ ſint, ſiue diuina virtute detineantur, ne decidant, ſolùm Deum noſſe arbitramur. Magnum tamen myſterium hic fortaſſe commendatur, aquas ſcilicet ſupra ſidera exaltatas eſſe, vt rationalis creatura iam ab initio intelligeret, homines à peccatis per aquas, Sacramentum ſcil. Baptiſmi, in fine temporum fore abluendos. Inter aquas, quæ ſupra cœlum ſunt, & eas, quæ cœlo ſubſunt, ſitum eſt firmamentum, ſeu cœlum. Quid Firmamenti nomine intelligendum ſit, non omnes eodem modo ſentiunt. Nam (vt allegoricos ſeponamus) per Firmamentum alij cœlum ſidereum, alij ſpatium aeris, in quo nubes denſantur, intelligunt. Nos per Firmamentum, ſeu cœlum, (vt etiam Aug. lib. 3. ſuper Geneſin ad literam innuit) tum cœlum ſidereum, tum aerem ſignificari arbitramur. Nam non ſolum cœlum ſidereum, ſed etiam aer Cœli nomine in Scripturis appellatur: vt ſcriptum eſt: Volucres cœli. Niſi enim ita ſe res haberet, ſequeretur, Moſen ſermonem de aeris creatione prætermiſiſſe: quod à ratione videtur alienum. Neque probabile cenſemus, quod quidam aſſerūt, Aquæ nomine etiam aerem ſignificari, quod aer humidam naturam, vt aqua, obtineat. Nam ſuprema pars aeris humida non eſt. Præterea Scripturarum vſus non habet, vt Aquæ voce Aer intelligatur. Cenſemus itaque, Cœli nomine tum cœlum ſidereum, tum aerem appellari. At, præter dicta, mouet nos Hebræus textus, in quo pro Firmamento habetur vox רקיע quæ nihil aliud ſignificat, quā intermedium quoddam corpus, veluti ſepimentū, diuidens inter aquas, quæ ſunt ſub cœlo, & aquas, quæ ſunt ſupra cœlum. Quod & Chryſoſtomus animaduertiſſe videtur, cum homilia tertia ſuper Geneſim Firmamentum ita interpretatus eſt: Fiat paries quidam, & interſtitium in medio diuidens, & ſeparationem faciens.

Hom. 1. in Gen.

Cap. 1.

Pſalm. 8.

De opere Tertiæ Diei. Cap. V.

Gen. 1. TERTIAE Diei opus ita Moſes deſcripſit: Dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida, & vocauit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellauit maria. & vidit Deus, quòd eſſet bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. & factum eſt ita. & protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Tertia die aquæ in vnum ſunt congregatæ; terra inſuper apparuit, & herbis, virgultis, ac plantis ornata eſt. Aqua, quæ ſub cœlo remanſerat, adhuc terræ commixta erat. Quare oportuit alteram ab altera ſegregari, vt, quale eſſet vtriuſque corpus, appareret. In vnum itaque locum aquæ congregatæ ſunt, hoc eſt, aquæ locus à terræ loco diſtinctus eſt. Nam non vnus tantum locus aquarum eſt. Alius enim eſt locus maris, Alius lacuum, Alius paludum. Neque aliquis facile probabit, mare cum lacubus ſaltem continuari. Immo dubitatur inter Geographos, an omnia maria continuatione vnum ſint. Quare ita accipiendum eſt, aquas in vnum locum congregatas, vt intelligamus, aquæ diſtinctum locum fuiſſe aſſignatum. Idem igitur dictu eſt, aquas congregatas eſſe in vnum locum, ac ſi dicamus, congregatas eſſe in diſtinctum locum. Verum autem eſſe, quod aſſerimus, textus declarat, qui non vnius tantum, ſed plurium congregationum meminit. Nam ita ſcriptum eſt: Congregationeſque aquarum apppellauit maria. Vbi notandum eſt, non ſolum aquarum ſalſarum, ſed etiam dulcium
Matth. 4. congregationem Mare nominari. Vnde in Euangelio lacus Galileæ Mare appellatur. Congregatis aquis apparuit arida, ſeu terra, arida dicta, quoniam inter omnia elementa ſuapte natura ſicciſſima eſt; terra vero, quoniam pedibus teritur. Deus terram, herbas, & plantas germinare iuſſit. Verum de plantis, earumque generatione alias agemus.

De opere Quartæ Diei. Cap. VI.

DE Quartæ Diei opere Moſes ita ſcriptum reliquit: Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, & luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. & factum eſt ita: fecitq. Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti; & ſtellas: & poſuit eas Deus in firmamento cœli, vt lucerent ſuper terrã, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderẽt lucẽ à tenebris. Quarta Die duo luminaria magna, & ſtellæ factæ ſunt. luminaria duo magna ſunt Sol, & Luna. Quãtitate verò Sol, Luna maior eſt: iccirco Luminare maius appellatur. Sed quæret aliquis, cur Luna inter luminaria magna connumeretur, cũ ex aſtrologia liqueat, multas ſtellas Luna maiores eſſe? Reſpondemus, Moſen, rudibus loquentem, ea, quæ oculis apparent, propoſuiſſe. Luna verò, cum omnium ſtellarum infima ſit, ac terris citima, maior cæteris ſtellis apparet. Accedit, quod Luna ob eandem cauſam clarius, quam cæteræ ſtellæ, terram illuſtrat. Quare Moſes ipſam inter luminaria magna repoſuit. Præter duo luminaria magna, ſtellæ creatæ ſunt, quæ an ſint corpora ſolida, & quo modo vnà cum Luna, à Sole lumen recipiant, ſequenti libro exponemus. Solem verò ex luce, quæ prima die emicuit, quamque nunc contractam, nunc effuſam eſſe antediximus, genitum eſſe arbitramur. Quod ratione factum eſt. Nam, licet lux illa mundum illuminaret; quoniam tamen diſperſa erat, neque ſatis amplo fulgore orbem replere, neque cœleſtes globos, quos ſtellas appellamus, ſuæ lucis participes efficere poterat. Ex quo eueniebat, vt ſuus cœlo ornatus deeſſet. Congregata igitur lux illa fuit, & in vnum redacta; & in cœli medio collocata, vt tum commodè mundum illuſtraret, tum cœleſtibus globis, tam ſuperioribus, quam inferioribus, ſuæ lucis radios impartiret. Hunc autem Solem Deus circumagi mandauit, vt terrenum globum omnem, viciſſim, nunc ad nos, nunc ad Antipodas accedendo, ſuo lumine compleret. Moſes Solem diei præfectum eſſe dicit, quia Sol ſuo acceſſu diem procreat. Lunam ait præeſſe nocti, non ſtellas, quoniam, etſi ſtellæ noctu apparent, Luna tamen, cum terris propior ſit, affluentius ſuum lumen in terras diffundit.

Gen. 1.

Q 2 Sol,

Sol, & Luna ſunt in ſigna ſerenitatis, & pluuiæ, vt & Aſtrologi, & Agricolæ obſeruarunt. Sol eſt in tempora, quia ſuo acceſſu, ac receſſu quatuor anni tempora, Ver, Aeſtatem, Autumnum, ac Hiemem diſtinguit. Et in dies, quoniam nunc accedendo, nunc recedendo inter dies diſcrimen apponit. Eſt in annos, quia eius curſu annus definitur.

De opere Quintæ Diei. Cap. VII.

Gen. 1. QVINTAE Diei opus ita à Moſe deſcriptum eſt: Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Quinta die piſces, & aues ex aquis progenitos eſſe, Moſes oſtendit. Quo loco non diſſimulanda dubitatio emergit. Si quidem patet, tum in auibus, tum in piſcibus, terræ elementum aqueo dominari. Liquet quoque, vtraque non ex ſola aqua, ſed ex quatuor elementis, aut ex quatuor humoribus, aut ex ſemine, quod potentia quatuor humores continet, generari. Quo modo ergo ait Moſes, piſces, & aues ex aquis productos eſſe? Quidquid cæteri dicant, hic mihi videtur: Moſes per Aquas non aquæ elementum intelligere, ſed ipſam vniuerſi maſſam, quam ſupra etiam Aquas nominauit, cum dixit: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Ex hac igi-
Gen. 1. tur maſſa, in qua virtute omnia elementa continebantur, ſi piſces, & volucres procreatos fuiſſe dixerimus, facile omnes euitabimus difficultates, in quas incidere ſolent ij, qui per Aquas ipſum aquæ elementum intelligi volunt. Ex hac itaque maſſa, aues, & piſces quos reptilia Moſes vocat, quod per aquam repant, educti fuere. Meminit verò Moſes Ceti magni, quoniam id animal omnium aquatilium maximum eſt. Cetus autem magnus vocatur, quoniam cętera omnia cetacei generis animantia magnitudine excedit. Quot autem Cetaceorum ſpecies ſint, ſuo loco oſtendemus.

De opere Sextæ Diei. Cap. VIII.

DE Sextæ Diei opere ita ſcriptum eſt: Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas: factumque eſt ita. & fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo. Hæc ſcripta ſunt de opere Sextæ Diei, quantum ad irrationalia animantia pertinet. Hæc autem ſunt iumenta, reptilia, & beſtiæ, quæ omnia ex terra facta dicuntur, aut quia ex quatuor elementis, quæ congruenter, vt ſupra diximus, Terra appellantur, progenita ſunt, aut quoniam ipſis terræ elementum dominatur. Per iumenta intelligimus animalia, quæ aut ſuapte natura mitia ſunt, vt Oues, aut arte manſuefieri poſſunt, vt Elephanti. Dicuntur autem iumenta, quod iugo, hoc eſt hominis obſequio ſubdi queant. Reptilia ſunt, quæ aut per terram, cùm pedibus careant, gradiuntur, vt Serpentes, aut prope terram repunt, vt Lacertæ. Beſtiæ ſunt, quæ nunquam miteſcunt, vt Pantheræ. Omnia itaque terreſtria animalia ſexta die producta eſſe, Moſes aſſeuerat. Neque ambigi debet, omnia terreſtria animantia, quæ ex generatione naſcuntur, eo die actu producta eſſe. Id enim omnes admittunt. Verùm in controuerſiam venit, an animalia, quæ ex putredine naſcũtur, ea die actu progenita fuerint. D. Thomas cum Magiſtro reſpondet: Animaliũ, quæ ex putredine naſcuntur, aliqua ex inanimatis, & plantis naſci, vt anguillas, ranas, vermes; aliqua ex corruptis animalibus prodire, vt veſpas, & id genus reliqua. Illa quidem, ait, ſexta die actu produci potuerunt, cum inanimata, & plantæ ſuperioribus diebus producta fuiſſent. Hæc verò actu producta minime fuerunt, cum non dum animantia eſſent, ex quibus produci valuiſſent. Potentia autẽ, & in ſuis ſeminalibus rationibus producta fuere. Facta. n. ſunt ea, ex quibus iſta deinceps oriri poſſent. Atqui, ſi res ita ſe habet; eadem ratione aſſerere poterimus, animalia quoque, quæ ex putridis volatilibus, & aquatilibus procreantur, ſexta die actu producta eſſe, cum iam priori die vtraque progenita fuiſſent. Quid, ſi dicamus, nullum animal ex ijs, quæ ex putredine prodeunt, ea die productum eſſe, ſed omnia in ſuis ſeminalibus rationibus relicta fuiſſe? Duorum igitur alterum mihi probabili ratione affirmandum videtur:

Gen. 1.

Thom. 1. p. q. 92. ar. vni. ad 5.

aut

aut etiam animalia illa, quæ ex aquatilium, & volatilium corruptione prodeunt, ſexta die actu producta fuiſſe, aut omnia ex putredine oriunda in ſuis ſeminalibus rationibus incluſa remanſiſſe, vt tunc demum, cum opus eſſet, ex potentia in actum erumperent. Quærunt etiam quidam, an ea die venenata animalia progenita fuerint. Quidam aiunt, venenata animalia ante peccatum non fuiſſe, ſed poſt peccatum in peccati vindictam facta eſſe. Sed certe concedi poteſt, ea die facta fuiſſe. Dicimus tamen, ante peccatum malum inferre non potuiſſe, & innoxia permanſiſſe. Verum poſt peccatum in peccati vltionem nocere cœperunt.

Humanæ formationis deſcriptio. Cap. IX.

EADEM ſexta die poſtremus homo factus eſt, tanquam omnium corporearum creaturarum perfectiſsimus, cui Deus omnia, quæ cœli ambitu continentur, ſubiecit, quem ad imaginem ſuam effinxit, quem in Paradiſo collocauit, & de omnibus Paradiſi fructibus, (ligno ſcientiæ boni, & mali excepto) comedere dedit, quem maſculum, & fœminam ob propagationem eſſe voluit. Hæc omnia Moſes ſigillatim declarat, his verbis: Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæq. terræ, omniq. reptili, quod mouetur in terra. & creauit Deus hominẽ ad imaginẽ ſuã, ad imaginẽ Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eã, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibns, quæ mouentur ſuper terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terrrm, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, & ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & vniuerſis, quæ mouentur in terra, & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum. Deinde ſequenti capite ſubiungit: Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in

Gen. 1.

Gen. 2.

quo poſuit hominem, quem formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali: & fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phiſon. ipſe eſt, qui circuit omnem terram. Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt: vbi inuenitur bdelium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij ſecundi Geon: ipſe eſt, qui circuit omnẽ terram Aethiopiæ. Nomen vero fluuij tertij Tygris: ipſe vadit contra Aſsyrios. Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ. Adam verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem Adam. Cũq; obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur Virago: quoniam de uiro ſumpta eſt. Hæc Moſes. Verum, vt ea, quæ a vate dicuntur, commodius intelligi queant, nobis de his ſigillatim agendum eſt, videlicet de primi hominis formatione, de imagine, & ſimilitudine diuina, quam Deus homini elargitus eſt, de hominis principatu, de primi hominis cibo, de loco, de ſcientia, de nominum impoſitione, de gratia, de mulieris productione, ac demum de ſtatu, in quo fuiſſet homo, ſi non deliquiſſet.

De primi Hominis formatione. *Cap. X.*

DEVS itaque, primum Hominem formaturis, ipſum ex anima, & corpore conſtare voluit, vt non ſolum ſpirituales creaturæ, & penitus immortales, quales ſunt Angeli, neque ſolum corporeæ, & prorſus mortales, cuiuſmodi ſunt cœteræ omnes creaturæ ſublunares, in rerum vniuerſitate exiſterent: ſed etiã creatura præſto eſſet, quæ tum corporea, tum ſpiritualis, & partim mortalis eſſet, partim immortalis. Hominem igitur effinxit, inter Angelos, & reliquas creaturas medium; cui corpus ſuapte natura caducum, animam verò tribuit immortalem. Hominis corpus ex limo terræ effectum eſſe, Moſes aſſerit, non quod id corpus ex ſola terra conſtet, ſed quoniam terræ quantitas in tali corpore alijs elementis longe excellit. eſt quidem humano in corpore, præter terreſtrem ſubſtantiam, atque atram bilem, cuius natura terrea eſt, bilis, ſanguis, & pituita, quorum bilis igni, ſanguis aeri, pituita aquæ reſpondet, atque ex ijs omnibus humanum corpus componitur: ſed, quia in hoc corpore terræ elementum exuperat; non immerito ipſum ex terra factum eſſe perhibetur. Ac hominis anima non ex aliqua materia facta eſſe dicitur; quoniam ex nihilo creata eſt. Quare Moſes non ait, ipſam ex aliquo productam eſſe, ſed ſimpliciter dixit, Inſpirauit Deus in faciem eius ſpiraculum vitæ.

De imagine, ac ſimilitudine Hominis cum Deo. *Cap. XI.*

In Geneſ. hom. 7.

ANIMAE verò dignitatem oſtenſurus, dixit, Animam ad imaginem, ac ſimilitudinem Dei factam eſſe. Age itaque, imaginem, ac ſimilitudinem hominis cum Deo exponamus. Non me latet, Chryſoſtomum arbitrari, Scripturam dicere, Hominem ad imaginem, ac ſimilitudinem Dei factum eſſe propter principatus cum Deo ſimilitudinem. Nam, quemadmodum

Deo

Deo omnia tum cœleſtia, tum inferiora ſubſunt, ita Deus homini cæteras ſubdit animantes. Atque in eam Chryſoſtomus adductus eſt ſententiam, quoniam Moſes poſt ea verba, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ſtatim ſubiunxit, Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Baſilius verò, Auguſtinus, & omnis Theologorum Schola aliter imaginem, ac ſimilitudinem hominis cum Deo interpretantur. Quorum ſententiæ nos adhærentes, breuiter, quid de imagine, ac ſimilitudine cum Deo ſentiendum eſt, enodabimus. Solus homo inter corporeas creaturas ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt. Inuenitur quidem in illis Dei veſtigium: at imago, & ſimilitudo in ſolo homine relucet. Sed, vt hæc omnia melius percipiantur, primum declaremus, quid inter Veſtigium, & Imaginem interſit: deinde diſcrimen inter Imaginem, & Similitudinem aperiamus. Veſtigium itaque eſt impreſſio, confuſe aliquid ſignificans. Nam, ſi quis pede impreſſionem fecerit, ex ea cognoſcam, illac hominem pertranſiſſe; qui vero homo pertranſiuit, aut nullo modo, aut confuſe admodum ſcire potero. Atque hæc pedum impreſſio proprie Veſtigium vocatur. Verum hæc vox ſimilitudine quadam aptata eſt ad ſignificandum quamlibet rem, quæ nos in alterius cognitionem confusè ducit. Imago vero, eſt ſimilitudo, ab aliquo, aut tanquam à cauſa exemplari, aut actiua expreſſa, rei, cuius imago eſt, vel naturam, vel ſaltem aliquas proprietates referens. A cauſa exemplari imago exprimitur, veluti, cum pictor, ad Herculē, tanquam exemplar, reſpiciens, imaginem eidem ſimilem depingit: ab actiua vero, vt, cum Pater filium ſibi ſimilem gignit. Duo itaque ad vim imaginis pertinent: primum, vt alteri ſit ſimilis; ſecundum, vt ab alio, vel tanquam cauſa actiua, vel exemplari, exprimatur. Quare neque vermis, quamuis ab homine oriatur, hominis eſt imago, cum eo non ſit ſimilis: neque ouum eſt oui imago, licet ouo ſit ſimile, cum ab ouo non exprimatur. Ad perfectionem vero imaginis perfecta repræſentatio requiritur. Quapropter filius Socratis, imagine eiuſdem depicta perfectior eſt, quoniam imago depicta aliquas tantum proprietates refert; filius vero naturam ante oculos conſtituit. Denique filius, qui eandem numero naturam cum patre habet, vt filius in diuinitate, perfectiſſima eſt patris imago, quoniam perfectiſſime patrem refert. Imago vero, & Similitudo differunt, quod Imago in naturalibus, Similitudo in moribus ſpectatur. Quare filius, patris imago dicitur, quia patris naturam re-

Baſilius examē ho. 10.
Aug. 14. de Trinit. cap. 8.

fert; ſimilis verò illi erit, ſi eius mores imitabitur. Certe omnis imago eſt eſt ſimilitudo naturæ, vel proprietatum; ſed non omnis ſimilitudo eſt imago: nam morum ſimilitudo imago non eſt. His ita explicatis, exponamus, quomodo in omnibus creaturis vnitatis, ac trinitatis veſtigiū, in homine verò Dei imago, ac ſimilitudo reperiatur. In omnibus creaturis Dei veſtigium inuenitur. Vnitatis enim veſtigium in omnibus eſt creaturis. Nam omnis creatura, quatenus eſt, vnum eſt. Trinitatis quoque veſtigium in illis apparet. In omnibus enim ſunt hæc tria, modus, ſpecies, & ordo. Namque vnum quodque finitum eſſe neceſſe eſt. Quod autem finitum eſt, modo, ac menſura circumſcribitur. Præterea quodlibet ſub aliqua definita ſpecie continetur. Omnia denique ad aliquod propenſa ſunt, ordinemque habent, quo ferantur. Quare in omnibus ſunt hæc tria,
Sap. 2. modus, ſpecies, & ordo. Quod Sapiens oſtendere volens, dixit: Omnia feciſti in pondere, numero, & menſura. Per Menſuram, modum, ac circumſcriptionem; per Numerum, determinatam ſpeciem; per Pondus, ordinem, atque inclinationem intelligit. At, quomodo, inquies, hæc nos in Deum ducunt? Rerum vnitas eſſentiæ Dei vnitatem te docere poteſt. Rerum modus te admonet, illas eſſe ab aliquo principio, ac potentia, quæ patri tribuitur. Definita ſpecies pulchrum aliquid indicat, & ſplendorem, qui filio aſcribitur. Ordo innuit producentis amorem, qui Spiritui Sancto attribuitur. At in in homine, præter hæc, reperitur aliquid, quod clarius in Dei cognitionem nos adducit. Quapropter in homine nō ſolum eſt Dei veſtigium, ſed etiam imago. Vis videre Dei imaginem in homine? Eius mentem contemplare. Eſt in homine mens, quæ vna tantum eſt: Mentis verò tres ſunt potentiæ, intellectus, memoria, & voluntas. Mens vna diuinæ eſſentiæ vnitatem demonſtrat. Potentiæ tres perſonarum Trinitatem oſtendunt. Sed, qui plura de hac hominis imagine contemplari voluerit, Auguſtinum in libris de Trinitate adeat, vel ſaltem Magiſtri tertiam d. primi. libri perlegat. Nunc illud ſatis ſit ſcire, hominem ad imaginem Dei factum eſſe, quia eius animus ſpiritualis eſt, quia rationalis, quia immortalis, quia vnus, quia tres habet potentias. Ad ſimilitudinem verò Dei factus dicitur, quia bonus creatus eſt. An vero homo cum aliqua gratia creatus fuerit, infra oſtendemus. Sed, ſiue tunc aliquam gratiam habuerit, ſiue non habuerit, illud certiſſimum eſt, hominem Dei ſimilitudinem peccando admittere, ſed poſſe eandem per pænitentiam recuperare. At imago Dei ſemper permanet, quam-

uis peccato deformari queat. Non enim gratiæ donum eſt, ſed naturæ.

De Hominis principatu. Cap. XII.

HIC Homo, ad imaginem Dei factus, omnium corporearum rerum principatum adeptus fuit. Etenim ei datum eſt, vt piſcibus maris, volatilibus cœli, beſtijs, reptilibus, & vniuerſæ terræ dominaretur. & certe decebat eum, qui ratione vtebatur, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus fuerat, cuius prudentia omnia recte diſponi poterant, præeſſe alijs animantibus, quæ diuinæ imaginis, ac ſimilitudinis participes non ſunt, atque inſtinctu naturæ, non ratione ducuntur. Nam minus perfectum perfectiori, & minus dignum digniori ſubeſſe iure debet. ei autem, cuius imperio animantes ſubiectæ fuere, par erat, vt inanima quoque ſubijcerentur. Quapropter, præter animantes, vniuerſæ quoque terræ dominatio ad hominem peruenit. Ipſius erant arbores, ipſius herbæ, ipſius virgulta, ipſius metalla, ipſius gemmæ, ipſius denique erat quidquid in omni terra reperitur. Sed, qualis hic hominis dominatus in animalia fuit? Omnia, dum homo in obedientia perſtitit, eius imperio obtemperabant: natura enim duce admonebatur, ſe obedientiam præſtare debere illi, qui ſibi natura præerat. At poſt hominis tranſgreſſionem tam præclarum imperium in peccati vindictam deformatum eſt. Nanque animalia, hominis inobedientiam imitata, homini obedire recuſarunt; &, quemadmodum homo à Dei obedientia ſe ſubtraxerat, ita ipſa ab homine deſciuerunt. Poſt peccatum itaque, hominis principatus adeo imminutus eſt, vt pauca admodum animalia, niſi vi, aut arte, illi pareant. Quid verò mirum eſt, animalia ab homine poſt peccatum defeciſſe, cum in eodemmet homine ſenſus, qui prius rationi obſequebantur, aduerſus eandem ſe armarint? tantæ pro peccato pœnæ expetebantur. Tunc caro cœpit concupiſcere aduerſus ſpiritū, atq; eam excitare pugnam, quam etiam nunc omnes homines, quantū vis Deo chari, aſſiduè experiūtur. Neq; ſolū animalia, ſed etiā terra, aqua, atq; aer ſe ab homine alienarunt. Terra carduos, tribulos, ſpinas gignere cœpit: triticum nunc in viciam, nunc in lolium commutari cœptum eſt. Inde ſterilitates, atq; arbor interitus ſubſecuti, inde vitia, quæ in terra procreari cernimus, eruperunt. Mare, quod trāquillum antea erat, tumeſcere incepit, & homini excidium minari. *Galat. 5.*

Aer grandinibus, ventis, tonitruis, fulguribus, cometis homini, cui natura prius obſecundabat, terrorem incuſſit. Nihil itaque relictum eſt, quod ab homine aliqua ex parte non abalienarit. Atque ita pulcherrimus ille principatus ex optimo deterrimus euaſit.

De primi Hominis cibo. Cap. XIII.

PRIMI verò hominis cibi fuere herbæ, fructuſque omnium lignorum, quæ in Terra, ac Paradiſo erant: ſolius ligni ſcientiæ boni, & mali eſus ei interdictus fuit. Verum inter ligna, quæ Deus homini ad veſcendum præparauerat, præcipuum erat Lignum vitæ, quod in medio Paradiſi collocatum eſt. Hæc omnia ita ſe habere, Moſes oſtendit, his verbis: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. Et paulo poſt: Produxit Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignũq; ſcientiæ boni, & mali. Et paulo inferius: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Hic tria breuiter explicanda ſunt. Primum, an homo in ſtatu innocentiæ cibis indiguiſſet: Secundum, quid eſſet Lignum vitæ, & quæ eius vires: Tertium, quid eſſet Lignum ſcientiæ boni, & mali. Dicimus itaque, hominem in ſtatu innocentiæ cibis indiguiſſe. Nam illud omnium animalium proprium eſt, vt aſſidue in ipſius caloris naturalis actione aliquid innati humoris depereat. Neceſſe igitur eſt, illud noui alimenti appoſitione reparari: Primus homo, etſi eius corporis temperies perfecta admodum fuit, animal tamen erat. Quare eius natiuus calor continue ſua actione innati humoris, quo indiuiduum ſeruabatur, aliquid conſumebat. Qnod ſi homo ſibi alimento non ſuccurriſſet, certe breui vitam cum morte commutaſſet. Quapropter herbis, omnibuſq. lignis terræ, ac paradiſi veſcebatur. Verum, licet humidum naturale aſſiduo alimento repararetur, non tamen homo immortalis perſtitiſſet, niſi peculiari Dei dono, ſingulari, præter vim quandã ſupernaturalem animæ inditam, quopiam cibo præmunitus eſſet, qui corporis diſſolutionem prohibere prorſus potuiſſet. etenim ea eſt extranei alimenti natura, vt humido præexiſtenti adiunctum ſemper

vim

vim actinam ſpeciei imminuat. Nam, etſi principio vis agens adeo valida eſt, vt externum alimentum in aliti naturam conuertat, atque id non ſolum, vt deperditum reparetur, ſed etiam, vt corpus augeatur; progreſſu tamen temporis tum ad reparationem, tum ad auctionem inepta redditur. Vnde ſenium, ac tandem interitus ſubſequitur. Quare, ne hæc incommoda primum hominem comitarentur, ei peculiaris quidam cibus, qui Lignum vitæ in Geneſi vocatur, à Deo paratus eſt, ex quo ipſe ſtatis temporibus comedens, & ſenectutem, & mortem euitare poterat: tantaque huius ligni vis erat, vt, ſi homo poſt peccatum illo vti permiſſus eſſet, immortalis permanere potuiſſet. Vide, quid Deus, primum hominem a Paradiſo eiecturus, dixerit: *Gen. 3.* Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. Hanc ſententiam declarans Aug. in lib. de quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti, ita ait: Guſtus arboris vitæ corruptionem inhibebat. Denique, & poſt peccatum potuit homo incolumis manere, ſi permiſſum illi eſſet edere de arbore vitæ. Atque hanc vim ligno vitæ inditam fuiſſe, conſtat. Cuius vero magnitudinis, ac figuræ arbor illa fuerit, Scriptura non meminit. Quare nos nihil temere definire audemus. Lignum etiam ſcientiæ boni, & mali quale fuerit, affirmare nemo poteſt. Dictum verò eſt Lignum ſcientiæ boni, & mali, ab euentu. Nam homo, qui antea ſolum bonum expertus erat, poſt huius ligni eſum, qui ſibi interdictus fuerat, experientia nouit, à quanto bono per inobedientiam cecidiſſet, & in quantum malum incurriſſet.

De primi Hominis Loco. Cap. XIV.

LOCVS autem, in quo primus homo poſitus eſt, fuit Paradiſus terreſtris, à quo poſt peccatum eiectus eſt. Paradiſi nomen, hortum ſignificat. Is autem hortus, locus erat amœniſſimus, in quo miræ erant tum pomorum, tum aquarum deliciæ. Ibi enim erat omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; ibi erat lignum vitæ; ibi lignum ſcientiæ boni, & mali; inde ad irrigandum eundemmet Paradiſum egrediebatur fluuius, qui inde in quatuor capita diuiditur, & per ſubterraneos incidens meatus, tandem, in diuerſis terræ locis erumpens, quatuor ex ſe flumina maxima gignit, Nilum, quem Moſes Geon

vocat,

uocat, Tigrim, Euphratem, & Gangem, qui à Moſe Phiſon appellatur. Horum fluuiorum verum initium cum neſcirent Coſmographi, ad loca, è quibus exeunt, reſpicientes, dixerunt, Nilum in Aethiopia, Tigrim, & Euphratem in Armeniæ montibus, Gangem in Scythia oriri. Huius Paradiſi amœnitatem, ac ſitum Auguſtinus ad Oroſium ſcribens depingit, his verbis: Paradiſus in Oriente ſitus eſt, interiecto Oceano, & à noſtro Orbe longe remotus, & in altiſſimo loco conſtitutus, ad Lunarem vſque circulum pertingens. Item Da-
Cap. 11. maſcenus ſecundo orthodoxæ fidei libro Paradiſum ita deſcribit: Ipſe eſt diuinus Paradiſus, Dei manibus in Eden plantatus, lætitiæ, & voluptatis omnis promptuarium. Eden enim Voluptas interpretatur. In Oriente vero omni terra excelſior collocatus eſt, optima temperie, & aere ſubtiliſſimo, atque puriſſimo ſplendidus, plantis ſemper virentibus inſignis, odoris ſuauitate refertus, plenuſque lumine, omnis ſenſibilis venuſtatis, & pulchritudinis ſuper excellens intelligentiam. Hæc Damaſcenus. Non deſunt, qui ſub circulo æquinoctiali, tāquam loco temperatiſſimo, Paradiſum poſitum eſſe credant. Sed alij repugnant, dicentes, regionem illam ob nimium calorem eſſe inhabitabilem. Verum ii toto cœlo aberrant. Nam, licet magna ad hoc vſque tempus cōtrouerſia fuerit inter Aſtrologos, an regio ſub æquinoctiali incolatur: noſtris tamē temporibus re ipſa compertum eſt, plagam æquinoctialem habitari, & in ea perpetuam eſſe temperiem. Quare (horum pace dixerim) probabilis admodum mihi videtur ſententia eorum, qui aſſerunt, Paradiſum ſub æquinoctiali ſitum eſſe. Nū negarim tamen, vt Auguſtino, & Damaſceno placet, ad Orientē ſpectare. In hoc amœniſſimo loco primus homo, poſtquam factus eſt, collocatus fuit. Non enim in Paradiſo formatus eſt, ſed in terra, extra Paradiſum: deinde vero in Paradiſum translatus fuit, vt intelligeret, ſe quidem natura terrenum eſſe, verum Diuino beneficio ad tam
Gen. 2. præclaram ſedem aſcendiſſe. Id ita ſe habere, Moſes oſtendit, cū ait: Tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo. Primus vero homo in Paradiſo collocatus eſt, vt operaretur, & eum cuſtodiret. Ita enim
Gen. 2. ſcriptū eſt: Poſuit Deus hominē in Paradiſo voluptatis vt operaretur, & cuſtodiret illū. At, quæ nā fuit hæc hominis operatio? qualis cuſtodia? Non mihi videtur hæc operatio corporea fuiſſe: terra enim, & præſertim Paradiſus cultura non indigebat, ſed ex ſe ipſa fructum afferebat, cū nondū tremebundū illud decretum pronunciatū eſſet, Maledi-
Gen. 3. cta Terra in opere tuo. Sed volebat Deus, hominē, in Paradiſo voluptatis exiſtentē, tā varia, & admiranda plantarū genera, tā perſpicuum fluuium, tā amœnū aerē contemplari, vt ex harum rerū contemplatio

ne in

ne in ſuũ Creatorem aſcenderet; illiuſq; potentiã, ſapientiam, ac bonitatem admiratus, innumeras eidem gratias ageret. Hæc, meo iudicio, operatio hominis in Paradiſo fuit. Cuſtodia vero Paradiſi homini data eſt, non vt à latronibus illum cuſtodiret, ſed vt ſibi cuſtodiret, hoc eſt ꝑ obediẽtiã efficeret, ne tãquã indignus ab illo depelleretur.

De Primi Hominis Scientia. Cap. XV.

PRIMVM Hominẽ in Paradiſo collocatũ abſolutã rerũ ſcientiã habuiſſe, putandũ eſt. Decebat enim, eũ qui Diuina manu formatus eſt, multo perfectiori ſcientia ornatũ eſſe, quam eius poſteros, qui ex ſeminũ mixtione naſcũtur. Adde, quòd aureus ille innocentiæ ſtatus puriſsimum animũ, & à perturbationibus prorſus alienum depoſcebat. Quare mens ſui compos ipſum verũ, ad quod ſuapte natura reſpicit, abſque difficultate & deceptione aſſequebatur. Difficultas enim, & deceptio, in intellectu peccati pœnæ ſunt. Quod cũ ita ſit, iure fateri debemus, Primo Homini datã eſſe ſcientiã omniũ, quæ naturali ratione inueſtigari, & acquiri poſſunt, quęq; aut contemplationẽ perficiũt, aut ad gubernationẽ neceſſaria ſunt. Quare tũ Dei maieſtatem, tum *Rom. 1.* cæterarũ rerũ conditionẽ norat. Nã Deus ex ijs, quæ facta ſunt, vt teſtatur Paulus, cognoſcitur. Et in Geneſi ſcriptũ eſt, Adã omnibus ani- *Gen. 2.* malibus nomina impoſuiſſe. Quod facere nequiſſet, niſi rerũ naturas calluiſſet. Neq; negandũ eſt, Primũ Hominẽ cœli, aeris, aquæ, ac terræ notas habuiſſe naturas: quas nobis in peccato conceptis, atq; iccirco ignorantiæ tenebris obductis, noſſe denegatur. Inſuper credendum eſt, primum hominẽ non ſolum ſciuiſſe ea, quæ ad corporis gubernationẽ ſpectabant, (hæc enim, vel natura admonente, cognoſcebat) ſed etiã diuinitus ſibi reſerata fuiſſe quæcunque animum quauis ratione perficere poſſunt. Primus itaq; Homo nihil, quod ſibi in illo ſtatu neceſſarium eſſet, ignorauit. At, ſi qua ſunt, quæ multa ſunt, quæ neque naturali ratione cõparari queunt, neq; ad gubernationẽ quidquã faciunt, ea quidẽ Primus Homo neſciuit. Non. n. cordiũ cogitationes, nõ futura contingentia, non arenarũ, non lapillorũ in littore exiſtentiũ numerum ſciebat. Hòrum enim partim naturali ſtudio cognoſci nequeunt, partim ad gubernationem inutilia ſunt. Nõ reticebo mihi nõ ſatis probatã Gregorij Nyſſeni, viri alioqui egregij, ſentẽtiam. Nanq; *Cap. 1.* in primo ſuæ Philoſophiæ libro arbitratur, Primum Hominem veluti

in ex-

in extaſi fuiſſe, & ſuam condicionem ignoraſſe; idque à Deo factum fuiſſe, ne homo, ſe multis indigentem cognoſcens, corporis neceſſitatis curam haberet, animæ vero curam negligeret. Quare, ait, vetitus eſt, ne de ligno ſcientiæ boni, & mali veſceretur. Vis, inquit, noſſe rem ita ſe habere? Homo factus eſt nudus, neque prius ſe nudum eſſe cognouit, quam vetitum lignum guſtauit. Sed (tanti viri pace dixerim) aliter ſentiendum eſt. Quid igitur primus homo nouit ante peccatum? omnia, quæ expoſuimus, nouit contemplatione; ſed quædam experimento nondum nouerat. Contemplatione ſciuit bonum, & malum, ſed experientia bonum ſolum modo cognouit. Poſtquam verò Dei dicto inobediens fuit, malum, quod contemplatione norat, experientia didicit, quale eſſet. Tunc cognouit, ſe nudatum eſſe diuina gratia; tunc caro a ſpiritu defecit; tunc inordinatus membrorum motus apparuit, & ex motu rubor ſubſecutus eſt. Quapropter homo, vt membra tegeret, perizomata ſibi pa-
Gen. 3. rauit. Non igitur primus homo in extaſi ante peccatum fuit, ſed perfectiori multo, quam poſt peccatum, omnium rerum ſcientia præditus erat.

De nominum impoſitione. *Cap. XVI.*

QVANTA autem fuerit primi hominis ſcientia, vel illud nos docere poteſt, quod Deus omnia animalia ad eum adduxit, vt ſuis illa nominibus vocaret. Paruit Adam, & eis nomina impoſuit: tantaque id ſcientia, ac prudentia effecit, vt Deus iuſſerit animalia appellari iis nominibus, quæ ab Adam impo-
Gen. 2. ſita fuerant. Ita enim ſcriptum eſt: Formatis igitur, Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ. Ex iis facile ſolui poteſt dubitatio philoſophorum inter ſe altercantium, num nomina natura, vel ad placitum, ſeu ex inſtitutione ſignificent. Plato in Cratylo cenſuit, quædam nomina natura, quædam ad placitum ſignificare; & ea, quæ diuinam naturam commonſtrant, natura; ea vero, quæ cæteris rebus accommodata ſunt, ex inſtitutione ſignificare. Nam, vt ipſe arbitratus eſt,

rerum

rerum ſemper eodem modo permanentium, naturalia; vtpote permanentia, ſunt nomina, fluxibilium verò fluxibilia, & ex inſtitutione. Quare illa natura, hæc ad placitum ſignificant. At Peripatetici, diuerſarum gentium diuerſa idiomata eſſe conſiderantes, omnia nomina ad placitũ ſignificare contendunt. Nobis vero videtur, omnia nomina, quæ non temere, ſed conſiderate impoſita ſunt, partim natura, partim ex inſtitutione ſignificare. Nam, quæ rite impoſita ſunt, ex rei natura ſumpta eſſe, non dubitamus; veluti, qui primus Latina voce rationalem in terris creaturam indicare voluit, atque illam Hominẽ nominauit, non fortuito id fecit, ſed illius naturam contemplatus, vel quod eius corpus ex humo formatum erat, vel quod animus ὁμὸς, hoc eſt ſimilis Deo factus fuerat; huiuſmodi creaturã Hominem appellauit. Quare iure optimo dicemus, hanc vocem natura ſignificare. At, quoniam in primi inſtituentis arbitrio ſitũ erat, vt hanc ipſam creaturam alia voce congruenti inſinuaret, iccirco maxima cum ratione dicemus, hoc nomen ad placitum ſignificare. Si igitur naturas, ex quibus nomina fluxerunt, ſpectes, non aberrabis, cum dixeris, illa natura ſignificare. Sin autem ad imponentis arbitrium te conuertas, meri to iudicabis, illa ad placitum ſignificare. Hæc vero eſſe ita, contẽplare. Deus primũ hominem Adam, hoc eſt, Rufum vocauit, quoniam illũ ex terra, quæ ſuapte natura rufa erat, formauerat. Adã rebus nomina impoſuit; ſed prius rerũ naturas intellexit. Mulierẽ appellauit Viraginem, quoniam animaduerterat, vt ait Scriptura, illam de Viro ſumptam eſſe. Eandem vocauit Euam, hoc eſt omnium viuentium matrem. In Scripturarum campo excurre: paſſim inuenies, nomina ex rerum naturis, ac proprietatibus, originem duxiſſe. Nomina itaque, ſi res, vnde ſumuntur, conſideres, natura; ſi inſtituentis voluntatem ſequare, ad placitum ſignificant. Gen. 2. Gen. 3.

De Iuſtitia, Gratia, & virtutibus Primi Hominis. Cap. XVII.

PRIMO Homini, tantis donis naturalibus ornato, ſupernaturalia quoque adhibita fuerunt, quibus munitus, tum ſpiritualibus hoſtibus facile reſiſtere, tum beatitudinem, ad quam creatus fuerat, mereri, & conſequi poterat. Ac primum

quidem illi data eſt Iuſtitia originalis, cuius munere corpus animæ, inferiores uires rationi,& ratio Deo ſine vlla repugnantia ſubijciebātur. Originalis verò, hæc Iuſtitia appellatur, quoniam cum primo homine innata eſt. &, quamuis in primo homine quædam ſenſibiles paſſiones eſſent, vt amor gaudium, ſpes, deſiderium; non tamen aliqua in ſenſu erat perturbatio, ſed anima, omnium perturbationum expers, pudice amabat, decenter gaudebat, ordinate ſperabat, quietè deſiderabat. Aberat à ſenſu timor, aberat æſtuans cupiditas, aberat ſpes affligens, & (vt omnia ſimul comprehendam) aberant omnes turbidi animæ motus, qui noſtrum ſenſum angunt.& in diuerſas partes trahunt. Vnde fiebat, vt inferiora omnia ſuperioribus facile obſequerentur. Verum non hic gradū ſiſtit Diuina bonitas; ſed, ne quid homini deeſſet, donum dono adiecit, & gratiam cum originali iuſtitia coniunxit. At, qualis nam hæc gratia fuerit, Theologi altercantur. Magiſter ſiquidem Sentētiarum lib. 2. diſt. 23. aſſerit, Homini datum fuiſſe auxilium, quo ſtare poterat, ſed ipſum eo vitam æternam neque mereri, neque conſequi potuiſſe, niſi Deus nouam gratiam appetiuiſſet, qua adiutus, gloriam meritus, & adeptus eſſet. At S. Thom. in Summa prima p. q. 95. ar. 1. cenſet, hominem creatū fuiſſe in gratia, qua non ſolum ſtare, ſed etiam mereri, & ad vitam æternam peruenire valebat. Hæc ſententia mihi ſemper probabilior viſa eſt. Nam, cū Angelus, & homo æque ad gloriam creati fuerint, & Angelus in gratia gratum faciente ſit creatus, vt ſupra ex Baſilij auctoritate oſtendimus, cur negabimus, hominem quoque cum eadem gratia creatum fuiſſe? Probabiliorem itaque S. Thomæ ſententiam arbitramur. Sed, ſi quis Magiſtro adhærere voluerit, eū arguere non audebimus. Inſuper putandum eſt, primum hominem virtutibus omnibus, quæ in innocenti illo ſtatu neceſſariæ erant, præditum fuiſſe. Hæ autem ſunt, quæ aut nihil imperfectum præſeferunt, aut, ſi aliqua ex parte imperfectæ ſunt, illi tamen ſtatui non repugnabant. Primi ordinis ſunt Iuſtitia, & Charitas: hæ enim virtutes perfectæ omnino ſunt. Secundi ordinis ſunt Spes, & Fides: nam hæ imperfecti aliquid præſeferunt: illa enim ad ea, quæ non poſſidentur, animo tendit: hæc autem, quæ non videntur, intellectu apprehendit. Verum, quod hoc modo imperfectum eſt, primo illi ſtatui non aduerſatur. Quapropter cenſendum eſt, primum hominem non ſolum virtutibus illis, quæ perfectæ omnino ſunt, ſed etiam ijs, quæ aliqua ex parte imperfectæ ſunt, dummodo primo ſtatui non obſiſterent, decoratum eſſe, & non modo ita diſpoſitum fuiſſe, vt illis ornaretur, ſed etiam ornatum fuiſſe. At, ſi quæ ſunt virtutes, quæ ſtatui illi non conuenirent, vt pote, quæ

Lib. 4. Cap. 11.

dolorem,

dolorem, & miſeriam includunt, primus homo illarum actus non habuit, vt ſunt pœnitentia, & miſericordia. Quorſum enim de peccato doleret, qui peccatum non admiſerat? cuius miſertus fuiſſet, qui nullius miſeriam intuebatur. Actus itaque huiuſmodi virtutum in primo homine non fuerunt. Verum habitus earum inerant. Primus enim homo adeo diſpoſitus erat, vt, ſi peccaſſet, dolendi propoſitum habuiſſet; &, ſi alterius miſeriam conſpexiſſet, illius miſertus fuiſſet.

De Mulieris productione.
Cap. XVIII.

CVM Deus Primum Hominem formaſſet, noluit illum eſſe ſolum, ſed Mulierem, quæ ipſius tum comes, tum adiutrix eſſet, ei adiunxit. Comitem dedit, vt homini foret leuamento; adiutricem adhibuit, vt humanum genus propagari poſſet. Solitaria enim vita iniucunda eſſe ſolet: neque mas abſque muliere concipere poteſt. Quare, vt homo iucundam vitam viueret, vtque hominum genus propagaretur, Mulier effecta eſt. Rem ita ſe habere, Moſes declarat, cum inquit: Dixit Deus, Non eſt bonum, *Gen. 2.* hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Cum dicit, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, iniucunditatem ſolitariæ vitæ oſtendit: cum ait, Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, Mulieris neceſſitatem ad generandum deſignat. *Gen. 2.* Quomodo verò affecta ſit Mulier, Moſes declarat, his verbis: Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea; & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in Mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hæc vocabitur, Virgo, quia de viro ſumpta eſt. Hæc Moſes. Animaduertat hic Catholicus, ne ſe à Caietano decipi permittat. Hic enim *In Cõmẽ.* negat Euam productam fuiſſe è coſtâ Adæ, & ſomniat hoc dictum *in Geneſim.* eſſe per ſolum myſterium. Itaque, dum myſterium comminiſcitur, negat hiſtoriæ veritatem. Sed nos alia incedamus via. Hiſtoriæ veritatem teneamus, & myſterium in hiſtoria requiramus: Mulier ex viri dormientis coſta facta eſt, ex viro facta eſt, vt, aliquod ſui principium in viro cognoſcens, intelligeret etiam aliquem in illum princi-

patum eſſe, ſeque natura viro ſubijci; atque iccirco debere ſe ei reuerentiam exhibere. At, ne vir ſupra modum ſe extolleret, ne ve ſe principem prorſus eſſe arbitraretur, mulierem ex eius coſta formauit, vt intelligeret, illam, quæ ex ſe producta erat, cuiuſq. princeps conſtitutus fuerat, ſibi ſociam, non ſeruam datam eſſe. Iam vero magnum animaduerte myſterium. Mulier ex dormiente viro facta eſt. Cur non ex vigilante? An fortaſſe, ne vir doleret? nullum innocentiæ ſtatus dolorem norat. Dolor enim peccati pœna eſt. Magnum itaque, & excellens aliquid ſub hiſtoria latet.
Eph. 5. Quale igitur illud eſt? Adam Chriſti figura fuit, Eua Eccleſiæ, vt Paulus, Epheſijs ſcribens, docet: Eua ex viri dormientis coſta facta eſt: Eccleſia ex Chriſti latere in Cruce dormientis effluxit. Adam mulieri ex ſe productæ adhæſit: Chriſtus Eccleſiam ſibi per-
Pſal. petuo coniunxit. Adam igitur Chriſtum indicat. Adæ ſomnus, Chriſti mortem, quæ Somnus a Propheta dicitur, ſignificat: Adæ coſta, Chriſti latus eſt: Mulier, Eccleſiæ figura eſt: Mulieris productio, Eccleſiæ ortum oſtendit.

Qualis Hominis ſtatus fuiſſet, quantum ad corpus attinet, ſi ipſe non peccaſſet. Cap. XIX.

A

DEMVM conſiderandum eſt, qualis nam ſtatus Hominis fuiſſet, ſi ipſe non peccaſſet. At, quoniam homo corpore, & anima conſtat, de vtriuſque ſtatu differendum eſt. Quantum igitur ad corpus attinet, de puerorum generatione, de virtute corporea, ac ſexu, diſpiciendum eſt. De animæ ſtatu poſtea agemus. Dicimus itaque, Pueros in ſtatu innocentiæ non aliter, quam per generationem, procreatos fuiſſe. Quapropter viro, ac mulieri, antequam peccaſſent, dixit Deus:
Gen. 1. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. generatio autem per coitum fuiſſet. Cur enim Deus maſculum, & fœminam creauit, niſi, vt coire poſſent? Verum coitus ille libidinis incendio caruiſſet, & thorus ille ſanctus, & immaculatus fuiſſet. Ita ſenſit Au-
Cap. 16. guſtinus 14. de Ciuitate Dei libro, in quo hæc verba ſcripta reli-

quit:

quit: Abſit, vt ſuſpicemur, non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo, ſed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra, quo cætera, & ſine ardore, & illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animæ, & corporis. Cæterum Greg. Nyſſenus in libro de creatione hominis ait, quod multiplicatio humani generis aliter, quam per coitum, facta fuiſſet. Nam, dum homines in paradiſo habitabant, Angelis ſimiles erant, ſicut etiam poſt reſurrectionem erunt. Poſt reſurrectionem verò nuptiæ non erunt. Quare neque in Paradiſo nuptiæ fuiſſent. Non itaque hominum multiplicatio per coitum fuiſſet; ſed, quemadmodum Deus Angelos multiplicauit, ita & homines multiplicaſſet. Sin autem ab illo quæras, cur vterque ſexus factus fuerit, reſpondet; id à Deo humani peccati præſcio effectum fuiſſe; vt vterque iſte ſexus poſt peccatum generationi deſeruiret. Sed Auguſtini ſententia tenenda eſt: Virtus verò puerorum corporea non ſtatim ab initio perfecta fuiſſet: ſed incrementa quotidie ſuſcepiſſet: nihil tamen defuiſſet; quod cuilibet ætati fuiſſet neceſſarium. Pueris itaque, iuuenibus, & ſenibus pro ætatis ratione perfecta virtus corporea tributa eſſet; neque defectus aliquis vnquam eorum aliquem perturbaſſet: non autem omnes maſculi nati fuiſſent, ſed alij maſculi, aliæ fœminæ; vt genus humanum propagari poſſet. Quæ quidem propagatio tunc defeciſſet, cum humanum genus ad numerum à Deo præfinitum perueniſſet.

Cap. 18.

Matt. 22.
Luc 20.

An pueri in ſtatu innocentiæ perfecti, in iuſtitia, & ſcientia nati fuißent.

Cap. XX.

QVANTVM vero ad animam attinet, inueſtigemus; an pueri in ſtatu innocentia cum iuſtitia, & ſcientia nati fuiſſent? Iuſtitiam hic appellamus rectitudinem rationalem animam perficientem. Hæc autem iuſtitia duplex eſt; altera originalis, altera actualis. Iuſtitia originalis, vt ſupra quoque diximus, eſt rectitudo quædam in anima exiſtens, qua

vires

vires inferiores rationi, & ratio Deo abſque vlla controuerſia ſubijcitur: Iuſtitia actualis, eſt rectitudo animi, qua meremur; quam gratiam gratum facientem nominamus. Iuſtitia originalis data fuit Adæ, tanquam donum naturæ: Iuſtitia actualis tanquam donum perſonæ. Cum itaque quæritur, an pueri in ſtatu innocentiæ cum iuſtitia nati fuiſſent, ſi dubitatio de iuſtitia originali proponatur, nemo ambiget, Pueros in illo ſtatu cum iuſtitia originali natos fuiſſe. Nam, cum hæc iuſtitia donum ſit naturæ, in totum genus humanum transfuſa eſſet. Neque hæc tranſmiſſio ex traduce fuiſſet, cum animi dona, ſicut neque animus, ex traduce prouenire nequeant, ſed vim habuiſſet ex Dei pactione, quam Deus cum homine confecit, qua ſancitum fuerat, vt, ſi homo perſtitiſſet, iuſtitia originalis, cum primum animus in pueros infuſus eſſet, in omnem Adæ poſteritatem tranſmitteretur. Sin autem dubitatio de iuſtitia actuali intelligatur, quidam, inter quos eſt Sanctus Thomas, aiunt, Pueros non ſolum in originali, ſed etiam in actuali iuſtitia natos fuiſſe. Nam, vt ipſe ſentit, cum iuſtitia actualis ſit radix iuſtitiæ originalis, fieri non poterat, vt iuſtitia originalis ſine actuali conferretur. Quare, quemadmodum primus homo, ita etiam poſteri cum vtraque iuſtitia nati fuiſſent. Alij vero, qui iuſtitiam actualem donum perſonæ, non naturæ eſſe animaduertunt, Pueros cum illa natos fuiſſe negant; neque concedunt, iuſtitiam actualem originalis radicem eſſe. Sed certè, ſi dixerimus, primum hominem cum gratia gratum faciente factum fuiſſe, veluti probabiliter exiſtimandum eſt, minime negandum videtur, idem donum in ſuos poſteros collatum fuiſſe. Cur enim nobis perſuadeamus, Deum voluiſſe, peiorem eſſe filiorum, quam parentum conditionem? cum præſertim vtrique æque ad gratiam, & gloriam creati eſſent? Quamuis autem Adæ poſteri in tali iuſtitia nati fuiſſent, in illa tamen non ſubito, ſed poſt eorum dignas operationes confirmati per apertam Dei viſionem fuiſſent. Non enim præmium meritum, ſed meritum præmium antecedit. Quapropter decebat, eos primum mereri, deinde ita confirmari. Cæterum in ſcientia non ſtatim perfecti nati fuiſſent, ſed eam progreſſu temporis, ſine vlla difficultate, vel inueniendo, vel addiſcendo aſſecuti eſſent. At dices: Cur pueri primo parenti æquales in iuſtitia nati fuiſſent, ſcientia verò inferiores? Primus homo in ſcientia perfectus fieri debuit, quia ipſius munus erat, reliquos ex ſe progenitos continuo inſtituere; ſed eius poſteri non ea neceſſitate coarctabantur; ſiquidem, antequam ad virilem

T.p.q.95 art.1.

ætatem,

ætatem, qua filij generandi erant, perueniſſent, in ſcientia perfici
poterant; animi vero gratuitam rectitudinem non à parente
accipere, neque addiſcendo acquirere, ſed Dei mune-
re conſequi valebant. Quare in iuſtitia perfecti na-
ti fuiſſent, ſed ſcientiam per temporum inter-
ualla adepti eſſent. Quapropter neque
perfectum rationis vſum
ab incunabilis
habuiſſent.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER SEXTVS.

DE COELO.

BIBLIOTECA A. ROMA VITTORIO EMAN

An Ignis elementum ſub concauo Lunæ exiſtat. Cap. I.

POST HÆC de ſingulis Mundi partibus differendum eſt.Has autem mihi perſuaſum habeo, non eſſe plures , quam quatuor , Cœlum, Aerem, Aquam, ac Terram.Nam de igne illo,quem Peripateticorum non nulli Auerroi adhærentes ſub concauo orbis Lunæ inter cœlum, & aerem inueniri tam conſtanter aſſeuerant,cæteri diſputationem aggrediantur. Ego enim , ſi uerum fateri licet,ambigo, an ibi ignis vllus exiſtat, cum neque ſenſu, neque demonſtratione à ſenſibus accepta , neque ſacrorum librorum auctoritate ad id credendum compellar.Neque ipſemet Ariſtoteles,vt ego ſentio,id vnquam ſomniauit. Nam ipſe ignem, qui cœlum contingit, nihil aliud exiſtimat eſſe,quam ſupremam aeris partem, aſſiduo cœli motu exagitatam, & accenſam : quam & ſi Ignem appellat, proprie tamen Ignem eſſe negat.Clara ſunt eius verba Meteororũ primo. Ex quibus facile intelligitur,ipſum inter aerẽ,& cœlũ nullũ corpus conſtituiſſe,Ignemq; vocare ſupremã aeris portionẽ cœlũ contingentẽ,ex conſuetudine ſolitam Ignem nuncupari . Eius uerba ſunt hæc: Quod & grauiſſimũ eſt,& frigidiſſimũ,terra videlicet,& aqua, in medio, & circa mediũ ſecretũ eſt.Circa hæc autẽ ea,quæ illis hærẽt, Aer, & id, quod ex cõſuetudine Ignem,cum tamen nõ ſit,nuncupamus: ſiquidẽ

Matt. 1. c. 1.

caloris

caloris eſt exuperatio, & veluti feruor. ſed intelligendum eſt, eius quod a nobis Aer dicitur, & vocatur, partem terræ circumfuſam quia vapor veluti ſit, & terræ halitum habeat, quaſi humidam, & calidam eſſe: eam autem, quæ ſuperior hac eſt, calidam, & ſiccã. Et paulo inferius: Primum quidem ſub conuerſione calidum illud, ac ſiccum eſt, quod Ignem nominamus. Nam, quod fumidæ omni ſecretioni commune eſt, nomine vacat. Sed, quoniam, quod eiuſmodi eſt, ſuccendi natura poteſt, nominibus hoc modo vtamur neceſſe eſt. Hæc Ariſtoteles. Ex quibus liquet, nullum aliud ignis elementum ex eius ſententia eſſe, quàm ſupremam aeris partem, cœli agitatione ſuccenſam. Neque aliter ſenſere optimi Ariſtotelis interpretes Alexander, & Olympiodorus: quos demum ex recentioribus Vicomercatus ſequitur. Hæc lectorem admonuiſſe voluimus, ne tam facile ijs Peripateticis credat, dum dicunt, Ariſtotelem cenſuiſſe, dari Ignis elementum ab Aere ſeiunctum. Verum, quidquid ſtatuerit Ariſtoteles, oſtendamus, hanc eorum opinionem non omnino probandam eſſe. Veriſimilis quidem horum Peripateticourm ratiocinatio videtur. Nam inquiunt: Quemadmodum ſupra terram aqua, ſupra aquam aer ſitus eſt: ita rationi conſentaneum eſt, ignis elementum ſupra aerem collocari. Sed certe, ſi ibi ignis aliquis extat, mirum eſt, cur non conſpiciatur, cum quælibet eius pars innatam lucem habeat. Dicere autem, id, cuius ne minimam quidem partem lucis expertem natura eſſe voluit, non lucere, aut ſub aſpectum non venire, & abſurdum, & incredibile mihi videtur. Non potui aliquando riſum continere. cum enim quærerem à quodam, qui Peripateticam profitebatur philoſophiam, quamobrem ignis ille non videatur, reſpondit, Igni peculiare eſſe, vt in propria ſphæra non ſplendeat. Alij accuratius reſpondent, Ignem illum non videri, quòd rara ſit eius materia. Exemplum adducunt de aere, qui, quamquam Solis lumine illuſtratur, quoniam tamen eius materia rara eſt, cerni nequit. Si igitur, aiunt, aer illuminatus videri non poteſt, multo minus ignis ille, qui raritate aerem ſuperat, videbitur. Hæc defenſio, etſi arguta admodum eſt, mihi tamen non plenè ſatisfacit. Nam, licet verum ſit, raram materiam per ſe omni luce orbatam, qualis eſt aerea, cum à lucido aliquo corpore illuminatur, aſpectu non percipi; non tamen inde ſequitur, ſubiectum rarum ingenita luce præditum non videri. Cauſa etenim, quare corpus rarum per ſe omni luce carens ab alio illuminatum cerni nequeat, ea eſt, quod lumen ab ipſo receptum perfecte in ipſo vniri non poteſt. luminis enim vnio præcipua cauſa eſt, vt corpus aliquod

 videatur.

videatur. Quòd ſi reperiatur corpus rarum, cuius particulæ omnes ingeneratam, atque iccirco vnitam lucem habeant, (nihil enim aliud eſt, lucem in aliquo corpore, ſiue illud ſit denſum, ſiue rarum, vnitam eſſe, quàm eius quamlibet vel minimam particulam illuſtratam eſſe) non intelligo, cur illud videri non poſſit. Aeris quidem corpus rarum eſt; ſed, tanquam ab alio illuminatum, lumen in ipſo perfectè non vnitur. Quare videri nequit. At igneum corpus, quoniam lux in eo vnita eſt, non ſolum noſtrum obtutum non effugit, ſed etiã oculis ſe ſe ſponte offert. Licet igitur aer non videatur, non tamen conſequitur, ignem videri non poſſe. Si itaque ſub concauo orbis Lunæ ignis elementum exiſteret, probabiliter putandum eſſet, ipſum videri. Cum verò non videatur, probabilis ratio perſuadet, nullum ibi ignem extare. Ne igitur mihi Peripatetici ſuccenſeant, ſi in dubium reuoco, an ſub concauo orbis Lunæ ignis aliquis reperiatur. Sed nullibi, inquies, eſt ignis elementum. Fortaſſe ignis iſte in terris diſperſus eſt elementũ ignis, qui ſupra aerem ſitus non fuit, ne ſua vi omnia conſummaret, & in nihilum redigeret: immo ob eãdem cauſam in multas partes diuiſus eſt. Sicut enim ſollers natura ignem fecit, vt vſui eſſet; ita prouidit, ne is quippiam detrimenti rerum vniuerſitati importaret: quorum alterum diſpertitus præſtat, alterum vnitus attuliſſet. At ſupra aerem ſatis erat poni aliquod corpus, quod igni proportione reſponderet, vt vniuerſum conſeruaretur. Huiuſmodi eſt accenſa aeris ſuprema portio: quam ſuccenſam eſſe, Cometæ, trabes, cæteraq. talia Phænomena apertè oſtendunt. Quid, ſi dicamus, Solem eſſe ignis elementum? an fortaſſe errabimus? Verum id ſequenti capite ſuſius exponetur. De Ignis elemento, vbi vbi illud ſit, noſſe ſufficit, ipſum eſſe calidum, & ſiccum, & natura aut ſurſum tendere, aut ſurſum conſiſtere.

De Cœli natura. Cap. II.

VERVM non minus, immo multo magis addubito, quænam ſit Siderei cœli natura. Nullã enim, vt aperte dicam quod ſentio, de cœli natura firmam habeo demonſtrationem. Neque mirum eſt, me hærere, vbi variæ ſunt philoſophorum, ac theologorum opiniones. Atque, vt à philoſophis ordiar, Anaxagoras opinatus eſt, cœlum ignem eſſe. Cuius opinioni in Timæo aſ-

ſentiri

ſentiri videtur Plato, dum, quatuor elementa à Deo diſpoſita eſſe affirmans, ignem ſupremo in loco ponit: etſi in eodem libro (neſcio, an Palinodiam canens) quintæ eiuſdem naturæ, veluti per tranſennam, meminit. Ariſtoteles verò quintam, præter quatuor elementa, excogitauit naturam, quam ab alteratione omni ſemotam eſſe aſſeueraiut. Anaxagoras cenſuit, cœlum ignem eſſe, ob eam, vt reor, cauſam, quòd videbat cœlum illuminare, calefacere, exiccare, & comburere: quæ omnia igni competunt. Verum hanc opinionem multa incommoda ſequuntur. Nam, ſi cœlum eſſet ignis, omnia ſua vi combuſſiſſet. Præterea, non circumuolueretur, ſed ſurſum ferretur: ignis enim proprio motu non circumducitur, ſed ad ſuperiora feſtinat. Accedit, quod more cæterorum elementorum aliquæ eius partes interdum alterationem expertæ fuiſſent. Ad hæc, non nullæ ipſius portiones, tàm rapido, ac perenni motu agitatæ, cum ſint alterationi obnoxiæ, diſſociatæ eſſent. At cœlum neque inferiora elementa conſumit, neque ſurſum pergit, neque alteratur, neque diſrumpitur. Quare par eſt exiſtimare, ipſum non eſſe igneæ naturæ. His forte rationibus adductus Ariſtoteles, quintum illud introduxit corpus, quod, vt ipſe putat, neque calidum eſt, neque frigidum, neque corrumpi, neque alterari poteſt; quod in gyrum mouetur; quod ſummam aeris portionem, Ignem ab eo nominatam, perpetua agitatione fatigat, circumducit, & accendit; quod Solis lumine, ac proprio quoque motu, inferiora calefacit, atque in eadem influit. Verum hæc ſententia, licet probabilibus rationibus innitatur, non tamen ab omni falſitatis ſuſpicione eſt aliena. Eſto: non corrumpatur, non alteretur cœlum, ſupremamq. aeris portionem circumuoluat: quo modo id, quod calidum non eſt, quodq. neque tritu, neque conflictu, neque vlla alia ratione caliditatem adipiſci poteſt, lumine, quod ſua natura calore omni deſtitutum eſt, aliquo pacto calefaciet? An radius, qui calore nudatus eſt, caliditatem producet? Reflexus, inquit Peripateticus, calefacit. At ego, Peripatetice, è contrario dicam, prius tibi probandum fuiſſe, radium non calidum calefacere poſſe; atque ita crederem, reflexum calefacere. Concedam equidem, calidi radij, qualis eſt ignis, calorem ex reflexione augeri: at, radium non calidum, etiam reflexum, calefacere poſſe, infitiabor. Hoc incommodo cum ſe vrgeri Vicomercatus intelligeret, neque oſtendere poſſet modum, quo radius non calidus, quamuis reflexus, caliditatem producere queat, occulta quadam vi id fieri reſpondet. Dubitationem quoque facit illud, quod Ariſtoteles dixit, motu, inquam, cœli aerem calefieri, & ſuccendi.

de c. li. 1.

T 2 Nam,

Nam, cum id aut conflictu, aut tritu fieri neceſſe ſit, aerque, propterea quod eius partes facillime diſſociantur, ac diſtrahuntur, tum ad tritum, tum ad conflictum ſit ineptiſſimus, ratio reddi nequit, quomodo cœli motu accendatur. Non ſatis enim fuit dicere, aerem confricatum motu accendi, ſed etiam declarandum erat, quomodo aer tritu calefieri poſſit. Quod neque Ariſtoteles, neque eius interpretes hucuſque, quod ſciam, præſtitere. Nam exemplum de plumbea ſagitta in aere lata, quæ motu calefit, nihil ad rem attinet, cum plũbum denſum ſit corpus, aer rarum, & contrarium in denſo, ac raro corpore eueniat. Corpora enim denſa motu calefiunt; at rara motu diſſipantur, neque illo calefieri poſſunt. Quare, cum plumbea ſagitta fertur, non exiſtimandum eſt, aerem à ſagitta calefieri, vt putauit Ariſtoteles: ſed ipſa tantum ſagitta motu caleſcit. Atque id ipſum Alexander quoque opinatus eſt, vt Simplicius ſecundo de cœlo libro refert. Nec magis Theologi inter ſe conſentiunt. Nam Scholaſtici ferè omnes Ariſtoteli ſubſcribunt. Antiqui verò patres, & grauiſſimi, inter quos Auguſtinum reperies, putarunt, cœlum ignem eſſe. Sin autem ab ijs quæras, quare cœlum inferiora non abſumat, reſpondent, id euenire, quoniam ſuper cœlos ſitæ ſunt aquæ, quarum frigiditate, ac repugnantia, cœli calor temperatur, atque impeditur, quo minus ſua vi inferiora deſtruat. Sed certè hanc opinionem, vt hoc tollatur, alia circumueniunt incommoda, quæ ſupra enumerauimus. Scholaſticorum vero opinio, in ijs, quæ Peripateticos premunt, anguſtijs detinetur. Aliquando mihi in mentem venit opinari, Solem eſſe ignis elementum, cæterum verò cœlum ex inalterabili materia conſtare. Nam, cum viderem, Soli ignis proprietates ineſſe, veriſimilis ratio ſuadebat, ipſum ignem eſſe. Sed, quoniam, niſi quid impedimento fuiſſet, cuncta ſua vi erat abſumpturus, duo, ratiocinabar, à natura effecta fuere; alterum, vt materia ipſum contingens impatibilis eſſet; alterum, vt ipſe medio in cœlo collocaretur. Nam, ſubiecto Soli propinquo impatibili permanente, cæteris verò elementis ab ipſo longè diſtantibus, inferiorum corporum conſumptio prohibetur, & interim eadem moderato Solis calore fota conſeruantur. Sed, num in hac ſententia mihi permanendum eſſet, addubitaui, vt nunc etiam addubito. Nam abſurdum videtur, ſi ſtatuamus, aliam eſſe Solis, aliam Orbis materiam. Cur enim idem de cæteris Planetis, atque Orbibus ſentiendum non eſſet? Cum autem eadem ſit cæterorum Planetarum, atque Orbium materia, iure dicendum videtur, Solem, atque ſuum Orbem ex eadem materia conſtare. At contra, niſi fateamur, Solem

Aug. in Gen. lib. 2. cap. 3.

lem

lem eſſe ignis elementum, difficulter cauſa reddi poteſt, cur ſuprema aeris portio ſuccenſa ſit, & qua ratione fiat, vt Sol ſuo lumine inferiora calefaciat. Nam, ſi neque aer cœli motu caleſcere, neque radius natura nullo calore præditus calefacere poteſt, neceſſe eſt, vt aer, cæteraq. omnia calido tantum radio calefiant. Quod non eueniret, niſi Sol igneam naturam obtineret. Hæc omnia afferre volui, vt indicarem, me nihil certi de cœli natura adhuc aſſequi potuiſſe, atque vt alios ad cœleſtes res indagandas excitarem. fortaſſe enim non deerunt, qui aliquando veritatem conſequentur. Sed iam de quatuor Mundi partibus, ac primū de Cœlo verba faciamus.

An ſint Plures Cœli. Cap. III.

ANTE omnia autem declarandum eſt, vnum ne, an plures ſint Cœli. Ioannes Chryſoſtomus homilia 3. in Geneſim vnum tantum Cœlum eſſe tueri conatur: immo reprehendit eos, qui plures Cœlos eſſe affirmant. Quanti eius rationes pendendæ ſint, cæteri viderint. Nos certe, cum Baſilio, & Damaſceno, cenſemus, plures eſſe Cœlos. Nam, cum Paulus aſſerat, ſe raptum eſſe vſque ad tertium cœlum, quis negare audebit, plures eſſe cœlos? Auguſtinus 12. ſuper Geneſim ad literam, glo. ſuper 1. c. Geneſis, & Beda in libro de rerum natura, Baſilio adhærent. Communis denique Theologorum ſchola huic ſententiæ ſubſcribit: atque horum cœlorum infimum ſidereum, medium cryſtallinum, ſupremum empyreum appellat. Hos omnes cœlos innuiſſe videtur Propheta, cum ait: Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. Per cœlos intelligimus cœlum ſidereum, per cœlos cœlorum empyreum, per aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, cryſtallinum, ſiue aqueum. Vides ne, vt Apoſtolicum dictum cum Prophetico conueniat, atque vt vterque tres cœlos inſinuet? Quis itaque infitiabitur, plures, atque illos tres eſſe Cœlos? Nos igitur, Baſilij ſententiæ inhærentes, de tribus cœlis, ac primum de ſidereo, verba faciamus.

Baſil. hexameron bo. 3. de orth. fi. li. 2. cap. 6. Cap. 4.

Pſ. 148.

An

An Cœlum, & Sidera ſint animata. *Cap. IV.*

ILLVD autem in primis exponamus, an cæleſtes orbes, & ſidera animata ſint, vel inanimata. Peripatetici neque orbibus, neque ſtellis animas tribuunt, verum pro numero orbium ponunt intelligentias, à quibus orbes moueri exiſtimant. Has verò non putant orbium formas eſſe, ſed tantum orbibus aſſiſtere, eosq. ciere. Hæc opinio negligenda non eſt, cum præſertim à S. Thoma, & Scholaſticis Theologis paſſim recipiatur. At Platonici, & Cœlum, & Sidera animata eſſe, concedunt. Quorum ſententiæ Origenes adhærere non dubitauit. Cæterum Catholici doctores, ſicut Ariſtotelis non improbant ſententiam, ita hanc, vt aniles fabulas, & derident, & damnant.

in lib. de principijs.

Baſilius namque Hexameron hom. 3. ita ſcriptum reliquit: Atque etiam, ſi quando aquarum illæ, quæ ſuper cœlos ſunt collocatæ, cõmunem omnium dominum laudare tradantur, non naturas ratione præditas ob id illas eſſe decernimus. Neque enim cœli anima vlla informantur, quia gloriam narrant Dei: neque firmamentum animás ſenſu præditum eſſe cenſemus; quod effictionem manuum ipſius itidem annunciat, vt aſtruat aliquis, & interpretetur, hoſce cœlos virtutes eſſe quaſdam contemplationi concreatas, firmamentum verò facultates, quæ operoſe admodum, & efficaciter fungantur officio, nempe operatrices. Nos ſanè eiuſmodi definitionem, vt arguta quadam, ſcitaq. acrimonia adornatam, non negamus: at eandem non continuo veram eſſe concedimus. Hieronymus quoque, etſi primo ſuper Eccleſiaſten veluti dubius incedere videtur, tamen libro 13. ſuper Eſaiam redarguit eos, qui ſtellis ſenſum, rationemve ineſſe putabant, his verbis: Illud, quod ſcriptum eſt; Ego omnibus ſtellis præcepi, occaſionem quibuſdam tribuit, quòd aſtra rationalia ſint, & animam, ſenſumq. habeant. Neque enim, aiunt, præciperet, niſi intelligentibus, non recordantes, quod in Iona ſcriptum ſit: Præcepit Dominus Spiritui comburenti.

Ion. 4.

In eadem ſententia eſt Damaſcenus ortho. fi. lib. 2. c. 6. ita dicens: Nullos animatos cœlos, & luminaria exiſtimet: inanimati enim ſunt, & inſenſibiles. Quin

etiam

etiam Auguſtinus libro 13. c. 16. de Ciuitate Dei, licet nihil definiat, eidem ſententiæ tacite fauere videtur: ita enim ait: Neque continuo concedendum eſt, globos iſtos luminum, ſiue orbiculos luce corporea ſuper terras ſeu die, ſeu nocte fulgentes, ſuis quibuſdam proprijs animis viuere. Hæc Auguſtinus. At noſtris temporibus, qui ſentirent, Stellas eſſe animatas, velut Origenes cum Platonicis exiſtimat, hoc eſt animas ſtellis, vt formas, copulari, profectò hæreſis vitio non carerent. In quinta etenim vniuerſali Synodo, Conſtantinopoli, temporibus Agapiti Pont. & Iuſtiniani Imperatoris, celebrata, hic Origenis error condemnatus eſt. Sacro ſanctæ verò Synodi verba hæc ſunt: Si quis dicit, cœlum, & ſolem, & lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, animatas quaſdam eſſe, & immateriales virtutes, anathema ſit.

Manichæorum hæreſeos confutatio. *Cap. V.*

IMPIVM ſanè eſt Origenis de Stellis commentum: ſed Manichæi de Sole deliratio eſt impijſſima. Hic enim, vt Aug. ſuper Io. auctor eſt, cen- *Tract. 34*
ſuit, vel ſomniauit potius, Solem hunc viſibilem, qui primi mobilis impetu continenter circumfertur, quò præſente mundus illuſtratur, quo abſente idem tenebris oppletur, cuius acceſſu, & receſſu tum temporum viciſſitudines proueniunt, tum animalium ſoboles propagatur, nihil aliud eſſe, quàm D. N. Ieſum Chriſtum. Legerat Ioannem, dicentem, Ieſum eſſe lucem, qui illuminat om- *Io. 1.*
nem hominem venientem in hunc mundum. Legerat verba eiuſdē *Io. 8.*
D. N. dicentis, Se eſſe lucem mundi. Quare humilis, ſapiens, atque excors in eam adductus eſt ſententiam, vt arbitraretur, Chriſtum Solem eſſe, non intelligens, aliam quandam ſuper cœleſtem lucem eſſe Chriſtum, qui venit in hunc mundum, vt noſtri intellectus tenebras depelleret, & ſpirituale cordibus infunderet lumen, quo homines adiuti, veritatem ipſam contueri poſſent. Quid inquis, Manichæe, Iſte Sol eſt Chriſtus. Te legiſſe exiſtimo, Solem iſtum factum *Gen. 1.*
eſſe. Legiſti inſuper, Verbo Domini cœlos firmatos eſſe. Si igitur *Pſal. 32.*
Sol factus eſt, iam ipſe non eſt Chriſtus. Hic enim, ſi naturam, quam

à patre

à patre habet, reſpicias, Deus eſt, æternus eſt. Quod vero æternum eſt, non poteſt eſſe idem cum eo, quod eſſe cœpit. Rurſus, quo modo Ieſus poteſt eſſe Sol, ſi Sol per Ieſum factus eſt? Tu, Manichæe, Io. 1. qui apud Ioannem legeras, Verbum Dei (ipſum enim, vt ſcis, eſt Ieſus) eſſe lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ex præcedentibus Euangeliſtæ verbis noſſe poteras, quæ nam eſſet hæc lux, & quemadmodum per hanc lucem omnia facta fuerint. In principio, inquit Ioannes, erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt. Paulo poſt idem Euangeliſta dicit, Verbum eſſe lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si igitur per hanc lucem facta ſunt omnia, ex neceſſitate ſequitur, Solem etiam per ipſum factum eſſe. Quo modo igitur erit idem Sol, & Ieſus? Niſi fortaſſe, inſaniens, pronuncies, Dominum, & ſeruum, cauſam, & effectum, Deum, & creaturam, idem eſſe. Rurſus, conſidera Regij Prophetæ verba, quæ attulimus, Verbo ſ. Domini cœlos firmatos eſſe: ſtatim cognoſces, aliud eſſe Solem, aliud Ieſum. Nam, vt patet, Sol cœli pars eſt. Qui igitur fecit Cœlum, fecit & Solem, qui Cœli pars eſt. At Verbum Cœlum fecit. ergo Solem quoque fecit. Non eſt igitur idem Sol, & Ieſus. Duo ex hac Manichæi deliratione ſequuntur incommoda; alterum, quod filius Dei ſecundum diuinam naturam eſſet creatura; altera, quod verum hominem non aſſumpſiſſet: quæ quam abſurda ſint, alibi explicatum fuit. Nunc ſatis ſit, lectorem huius hæreſis admonuiſſe. Sed iam Siderei cœli hiſtoria exponatur.



De Figura Cœli. Cap. VI.

MVNDVS Sphæræ ſimilis eſt. Sphæra autem eſt corpus ſolidum, vna tantum ſuperficie contentum, in cuius medio eſt punctum, à quo omnes lineæ ad circumferentiam ductæ ſunt æquales. Punctum vero Sphæræ centrū appellatur. Mundus itaque Sphæræ ſimilis eſt: eſt enim corpus ſolidum, longitudine, latitudine, & profunditate terminatum, nihilq; intra ipſum vacui reperitur. eius centrum terra eſt, quæ licet ſenſibilem magnitu-

dinem habeat, ſi tamen cum mundo comparetur, veluti punctum quoddam eſt. Per medium mundi corpus à Septétrione ad Auſtrum lineam quandam pertranſire Aſtrologi confingunt, ſupra quam cœlum voluatur, eamq Axem vocant. Huius axis puncta extrema duo, Poli, ſeu Cardines, ſeu Vertices nominantur: atque horum alter in Septemtrione, alter in Auſtro locatus eſt: atque ille polus Arcticus, hic Antarcticus nuncupatur. Huius mundi ſuprema pars dicitur Cœlum, quod totius inſtar globoſum eſt, & cætera omnia ſuo ambitu concludit. Illi enim corpori, quod omnia ſuo complexu contenturum erat, ea debebatur figura, quæ maximè capax eſſet. Figurarum autem maximè capax eſt rotunda. Quapropter Cœlo, quod omnia comprehenſurum erat, figura rotunda potiſſimum conueniebat. Rationi quoque conſentaneum erat, vt nobiliſſimo corpori figurarum nobiliſſima tribueretur. Figura verò rotunda, ex ſolidis cæteras omnes nobilitate præcellit, quemadmodum circularis inter planas principatum obtinet, vt & Philoſophi, & Mathematici fatentur. Par igitur erat, vt cœlo figura rotunda aſcriberetur.

De Circulis. *Cap. VII.*

COELVM autem in multas diuiditur partes, quas Orbes, quòd rotundæ ſint, appellamus. Sed, priuſquam de orbibus agamus, cœleſtium circulorum numerus explicandus eſt. Horum enim notitia orbium cognitioni maximopere conducit. Hoc verò inter Circulum, & Orbem diſcrimen eſt, quòd Circulus aut linea, aut ſuperficie alicuius latitudinis, veluti faſcia quædam, deſcribitur; Orbis autem ſuperficie Sphæræ modo omni ex parte ambitur: neque alia eſt differentia inter Orbem, & Sphæram, niſi, quod Sphæra vna tantum ſuperficie, conuexa, inquam, concluditur, Orbis verò duplici ſuperficie, conuexa, & concaua terminatur. Multos itaque circulos aſtrologi in cœlo reponunt: præcipui autem inter eos vndecim enumerantur. Horum decem ſunt imaginarij, vnus verus, qui Circulus lacteus nuncupatur. Imaginariorum quidam ſunt maiores, quidam minores. Maiores ſunt, qui cœlum in duas partes æquales ſecant, & ſunt numero ſex, Æquinoctialis, Zodiacus, Coluri duo, Meridianus, & Horizon. Quatuor primi, Mobiles vocantur, quoniam vna cum primo mobili moueri finguntur:

guntur: duo poſtremi, Immobiles dicuntur, quoniam vt ſtabiles comprehendendi ſunt, ſi aliquam ex illis vtilitatem percipere velimus. At minores ſunt, qui cœlum in duas partes inæquales partiuntur, & ſunt quatuor, Tropicus æſtiuus, Tropicus hiemalis, Arcticus, & Antarcticus. Hi vero circuli ad res aſtronomicas intelligendas vtiles ſunt, & neceſſarij. De ipſis itaque, ac primum de æquinoctiali ſermonem faciamus.

De Aequinoctiali circulo. Cap. VIII.

ÆQVINOCTIALIS eſt circulus diuidens cœlum in duas partes æquales, à mundi polis æque diſtantes. Definitur verò linea ab oriente per occidentem in orientem rurſus redeunte ducta. Vocatur autem Æquinoctialis, quoniam, cum Sol illum attingit, (quod bis in anno, in principijs ſcilicet Arietis, & Libræ contingit) noctes diebus in vniuerſa terra inter mundi polos contenta æquantur. Quamobrem & Æquator, & Æquidialis appellatur. Dicitur quoque Cingulum primi motus, quòd primum mobile in duas æquales portiones à mundi polis æquè diſtantes diſſecat. Iure itaque, primi motus, ac temporis menſura, & regula nuncupatur. Hic circulus diſtinguit æquinoctia; eſt terminus, à quo omnium declinationum principia initium ſumunt; (quid ſit autem Declinatio, infra oſtendemus) motus Zodiaci irregularitatem, quæ ipſi propter obliquum ſitum ineſt, veluti certa norma dirigit; quantitatem diei artificialis, noctiſq. vbique locorum præfinit; Coſmographis, Geographiſq. mirum in modum deſeruit. Nam hi, ad ipſum reſpicientes, longitudines, latitudineſq. ciuitatum, atque aliorum locorum dimetiuntur.

De Zodiaco. *Cap. IX.*

ZODIACVS, eſt circulus, qui oblique interſecat Aequinoctialem, & ab eo interſecatur in duas partes æquales. Hic circulus non linea, vt reliqui circuli, ſed ſuperficie, veluti faſcia quadam, deſcribitur; eiuſque latitudo in duodecim diuiditur partes, ſeu gradus, vt mox oſtendemus. Ipſius poli à polis mundi quadrantem, & amplius, hoc eſt 23. gradus, & 30. minuta diſtant. Dicitur autem Zodiacus vel ἀπὸ τῆς ζωῆς, hoc eſt a vita, quoniam inceſſus planetarum in illo generationis cauſa exiſtit, vel ἀπὸ τῶ ζῴου, hoc eſt ab animali, quoniam ſigna, in quæ hic circulus diuiditur, præter libram, animalium quorundam effigiem referunt. ſunt autem hæc ſigna duodecim, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. Latini hunc circulum ſigniferum vocant. Ariſtoteles ſecundo libro de generatione circulum obliquum nominauit. Ariſtotelem Virgilius imitatus videtur, cum dixit Georg. I.

Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.

Is circulus obliquus factus eſt, vt Sol, cæterique Planetæ illum peragrantes ſuo acceſſu, & receſſu, tum temporum viciſſitudines, tum effectuum varietates producere poſſent. Diuiditur Zodiacus, ſi eius longitudinem reſpicias, pro ſignorum in eo exiſtentium numero, in duodecim partes, & cuique ſigno vna pars ex his tribuitur. Quodlibet autem ſignum in triginta ſecatur particulas, quas Gradus appellant. Has ſi in duodecim duxeris, inuenies totum Zodiacum in 360. gradus diſtinctum. Rurſus quiſque gradus in 60. minuta diuiditur, & quodque minutum in totidem ſecunda, & ſic deinceps vſq; ad decem progrediēdo. Eadē ratione cæterorū omniū circulorū ſiue maiorum ſiue minorū longitudo in 360. gradus diſtinguitur. Verum eiuſdem Zodiaci latitudo (quod cæteris circulis non conuenit, cum nulla definiantur latitudine) in duodecim diuiditur gradus. Medium Zodiacum, vt Aſtrologi confingunt, perpetuo ductu linea quædam in duas partes æquales ſecat. Hanc lineam Eclipticam vocant, quòd Solis, & Lunæ eclipſes, ſeu defectus, de quibus ſuo loco agemus, tunc eueniant, cum ſub ipſa Sol, & Luna aut coniunguntur, aut opponuntur. Huius circuli altera medietas ad Auſtrum, altera ad Septem-

trionem

trionem vergit, & prima Auſtralis, ſecunda Septemtrionalis nuncupatur. Quare ſigporum in Zodiaco exſtentium ſex ſunt Septemtrionalia, ſex Auſtralia. Setemtrionalia ſunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo: Auſtralia ſunt, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornns, Aquarius, Piſces. Hic circulus eſt menſura ſecundi motus, qui fit ab occaſu ad ortum. Eius enim ope ſcimus, quãto tempore Planetæ proprios motus ab occidente in orientem abſoluant. Quare non deſunt, qui ipſum cingulum ſecundi motus appellent.

De duodecim ſignis, & eorum characteribus, & natura. Cap. X.

DVODECIM Zodaici ſigna, quorum ſex Borealia, ſex Auſtralia eſſe diximus, his characteribus ab Aſtrologis notari ſolent, Aries ♈, Taurus ♉, Gemini ♊, Cancer ♋. Leo ♌, Virgo ♍, Libra ♎, Scorpius ♏, Sagittarius ♐, Capricornus ♑, Aquarius ♒, Piſces ♓ Horum ſignorum quædã igneæ, & quædam terreæ, quædam aereæ, quædam aqueæ naturæ eſſe perhibent. Igneæ naturæ ſunt, Aries, Leo, & Sagittarius: Terreæ, Taurus, Virgo, & Capricornus: Aereæ, Gemini, Libra, & Aquarius: Aqueæ, Cancer, Scorpius, & Piſces.

Ignea,	Terrea,	Aerea,	Aquea,
♈	♉	♊	♋
♌	♍	♎	♏
♐	♑	♒	♓

Quoniam igitur ex ijs duodecim ſignis tria igneæ, tria terreæ, tria aqueæ ſunt naturæ, hanc in eadem natura conuenientiã Aſtrologi Triplicitatem vocant. Quam ſi nullo labore inuenire volueris, hac arte incedito. Erigito quatuor digitos, & primo Arietem, ſecundo Taurum, tertio Geminos, quarto Cancrum tribuito: & rurſus primo Leonem, ſecundo Virginem, tertio Libram, quarto Scorpium aſcribito: & demum primo Saggitarium, ſecundo Capricornum, tertio Aquarium, quarto Piſces aſſignato: reperies in primo digito omnia ſigna ignea, in ſecundo terrea, in tertio aerea, in quarto aquea collocata.

Duodecim Signorum quædam eſſe mobilia, quædam fixa, quædam communia. Cap. II.

QVIN etiam ex ſignis quædam mobilia, quædam fixa, quædam communia, Aſtrologi, anni viciſſitu nes conſiderantes, appellarunt. Nam,cum in anno quatuor ſint tempora, Ver, Æſtas, Autumnus, & Hiems,& cuique tempori tres menſes aſcribantur, & ſingulis menſibus ſignum vnum tribuatur, atque Aſtrologi intelligerent, non æque frigidum, aut calidum, aut humidum, aut ſiccum initium temporis, & medium, & finem eſſe, pronuntiarunt, ſigna, quæ menſibus deſtinantur, non eiuſdem prorſus conſtitutionis eſſe. Quapropter ſignum, in quo Sol primo menſe fertur, Mobile vocarunt, quod ex illo in aliud tempus tranſitus factus fuerit. Id vero, in quo Sol ſecundo menſe exiſtit, Fixum nominarunt, quod peculiarem illius temporis naturam præſeferat. Illud autem, in quo Sol tertio menſe vagatur, Commune dixerunt, quòd præteriti, & futuri temporis qualitatum ſit particips. Exempli gratia: Ver, calidum, & humidum eſt: Æſtas, calidas, & ſicca: Autumnus, frigidus,& ſiccus: Hiems, frigida,& humida: ſed non æque hæc tempora calida, & frigida, humida, & ſicca ſunt. Nam non æque humidum, & calidum eſt Veris principium, medium,ac finis. Quamobrem ſicca, in quibus Sol hoc tempore inuenitur, non eiuſdem omnino temperamenti eſſe ſtatuuntur. Sed Aries primi menſis ſignũ Mobile vocatur, quoniam, cum Sol illud ingreditur, ex Hieme Ver eſſe incipit. Taurus vero ſecundi menſis ſignum Fixum appellatur, quoniam, dum Sol ſub ipſo mouetur, temporis conſtitutio firma eſt, & fixa. At Gemini tertij menſis ſignum Commune dicitur, quoniam, dum Sol ſub ipſo incedit, tempus partim Ver, partim Aeſtatem refert. Hoc eodem pacto in reliquis quoque temporibus facile quorumlibet ſignorum habitudines cognoſces.

Mobilia,	Fixa,	Communia.
♈	♉	♊
♋	♌	♍

♎ ♏ ♐
♑ ♒ ♓

Sin autem breuiter ſcire voles, quæ ſigna mobilia, quæ fixa, quæ communia ſint, ita nullo negotio aſſequere. Erigito tres digitos, & duodecim ſigna ab Ariete ad Piſces progrediendo in illis ſtatuito, ita, vt in primo ſit Aries, in ſecundo Taurus, in tertio Gemini, & rurſus in quarto Cancer; atque ita ad Piſces vſque ordinatim ſequentia ſigna collocato; tum, quæ in primum digitum ceciderint, mobilia reputato; quæ in ſecundo locabuntur, fixa eſſe ſcito; quæ in tertio reponentur, communia iudicato. Reperies autem, ex ſignis, quatuor mobilia, quatuor fixa, quatuor communia eſſe.

De oppoſitione duodecim ſignorum in Zodiaco. Cap. XII.

HAEC duodecim ſigna in Zodiaco inuicem opponuntur. Nam Septemtrionalia Auſtralibus è regione aduerſantur, vt Aries Libræ, Taurus Scorpio, Gemini Sagittario, Cancer Capricorno, Leo Aquario, Virgo Piſcibus, vt in infra ſcripta figura videre licet.



De Coluris. *Cap. XIII.*

SVNT etiam duo alij circuli maiores, ac mobiles in cœlo, qui Coluri dicuntur, ita dicti, quòd imperfecte à nobis videantur. ſunt enim quædã eius partes, quæ in Sphæra obliqua ſemper occultantur. Horum Colurorum alter ſolſtitia, alter æquinoctia deſcribit. Colurus itaque diſtinguens ſolſtitia, per polos mundi, & polos Zodiaci, & maximas Solis declinationes, hoc eſt principia Cancri, & Capricorni tranſit: in quibus cum Sol reperitur, ſolſtitia fiunt. Nam, cum Sol eſt in Cancro, fit Solſtitium æſtiuum; cum vero eſt in Capricorno, fit Solſtitium hibernum. Quare primum punctum Cancri,

punctum

punctum ſolſtitij æſtiui, & primum punctum Capricorni, punctum ſolſtitij hiberni appellatur. Colurus vero, diſtinguens æquinoctia, per polos mundi, & prima puncta Arietis, & Libræ tranſit: in quibus cum Sol inuenitur, æquinoctia fiunt. nam, cum Sol eſt in Ariete, fit æquinoctium vernum; cum autem eſt in Libra, fit æquinoctium autumnale. Quamobrem horum ſignorum prima puncta æquinoctiorum puncta vocantur. Hi autem duo Coluri ſuper polis mundi ſe inuicem ad angulos rectos interſecant.

De Meridiano. *Cap. XIV.*

MERIDIANVS eſt circulus ex maioribus immobilis, qui per polos mundi, & noſtri capitis verticem, quem Zenith appellant, tranſit. Dicitur autem Meridianus, quoniam, cum Sol ad illum peruenerit, nobis ſemper Meridies efficitur, quocunque in loco nos eſſe contigerit. In hoc circulo dum Planetæ reperiuntur, cum maximam obtineant altitudinem, atque iccirco angulos magis rectos, ſeu minus obliquos faciant, ſuam vim vehementer intendunt, veluti in Sole videre eſt. Meridianus tempus ſemidurnum, ac ſeminocturnum definit. Quare Aſtrologi à meridiano diei initium ſumunt. eo Coſmographi vtuntur non minus, quàm æquinoctiali, ad ciuitatum longitudines, ac latitudines inueſtigandas. Ptolemæus Meridianos 180. ponit. Nam in quolibet æquatoris gradu meridianum ſtatuit vnum, qui per polos mundi, & duos æquatoris gradus oppoſitos tranſeat. Cum autem æquator in gradus 360. ſecetur, & quilibet Meridianus duos gradus comprehendat, conſequitur, vt Meridiani ſint 180. At in globis, qui Mappæ mundi vocantur, duodecim tantum inuenies meridianos, qui totum terræ ambitum in 24. partes æquales diuidunt, eam, opinor, ob cauſam, vt inter duos quoslibet Meridianos 15. gradus, qui vnam horam conſtituunt, intercipiantur: atque ita ex Meridianis facile dignoſci poſſit, quot nam horis prius meridies in vna, quàm in altera ciuitate efficiatur. Quot enim meridianis ortum verſus vna ciuitas ab altera remouetur, totidem horis prius illa meridiem habebit. Proclus vero, ſenſibilem mutationem reſpiciens, ait, ſenſibilem Meridiani mutationem 300. ſtadiorum, ſeu 37. millium paſſuum, & ſemis ſpatio fieri: Quam-

obrem ex eius ſententia tot ſunt meridiani, quot ſunt ſenſibiles meridiani mutationes. Si hanc ſequamur opinionem, 300. ex neceſſitate in Cœlo collocabimus meridianos, qui terram in 600. partes æquales diuidunt. Ab vno autem Meridiano ad alterum 36. minutorum erit diſtantia: tot enim æquatoris minuta 300. terræ ſtadijs reſpondent. Sumatur itaque tota æquatoris circumferentia, quæ 21600. minuta continet: (nam tot minuta prouenient, ſi gradus 360. in 60. multiplicentur) ducantur rurſus per duo minuta oppoſita circuli, quorum alter ab altero 36. minutis diſtet, prouenient meridiani 300. qui terram in 600. ſecabunt partes æquales, quarum quælibet 300. ſtadia comprehendet. Hæ ſunt de meridiano opiniones. ſed, re vera, ſi vel paulūlum aut ortum, aut occaſum verſus progreſſus fueris, alius ſemper meridianus occurret. Quapropter innumerabiles meridiani exiſtunt.

De Horizonte. *Cap. XV.*

HORIZON eſt circulus ex maioribus, ipſe etiam immobilis, hemiſphærium viſum à non viſo diſtinguens, qui à quibuſdam Finitor, à M. Tullio Finiens appellatur. Nam, *De Diu. lib. 2.* ſublatis vallibus, & montibus, cæteriſq. impedimentis, ſemper cœli medietas, quæ ſupra terram eſt, conſpicitur, vbicunque homo reperiatur; quam medietatem, Hemiſphærium viſum, ſeu ſuperius nominamus: altera verò medietas, quæ eſt ſub terra, quoniam ab oculo cerni nequit, Hemiſphærium non viſum, ſeu inferius nuncupatur. Superior autem medietas, licet non tota videatur, ſenſus tamen iudicat, partem illam à ſe viſam cœli medietatem eſſe. Rem autem ita ſe habere, facile dignoſces, ſi conſiderabis, partem cœli ſupra terram exiſtentem ab oculo videri; partem verò illam, quæ à ſuperficie terræ ad eiuſdem medietatem extenditur, minime conſpicuam eſſe. Quare oculus Cœli totam medietatem videre nequit. Sed, quoniam hæc pars non viſa, habita ad cœlum ratione, minima eſt, homines, ſenſus iudicium ſecuti, partem illam viſam, etſi exactum Hemiſphærium non eſt, Hemiſphærium appellare conſueuerunt. Quare duplex Horizon eſt, alter rationa-

lis,

lis, alter ſenſibilis. Rationalis eſt circulus ille, qui adamuſſim cœlum in duas partes diuidit, ratione potius conceptus, quàm ſenſu diſtinctus. Senſibilis eſt circulus ille, qui à ſenſu percipitur, partem viſam à non viſa ſecundum ſenſum diſtinguens. Vtrumque verò in hoc ſchemate facile cognoſces.



PRÆTEREA, Horizon duplex eſt, rectus, & obliquus. Rectus eſt, qui æquinoctialem ad angulos rectos diuidit. Obliquus eſt, qui æquinoctialem ad angulos impares, & obliquos diſſecat. Quapropter illi tantum, qui ſub æquinoctiali degunt, rectum Horizontem habent: apud cæteros Horizon ſemper eſt obliquus.





De Quatuor Circulis minoribus. Cap. XVI.

MINORES Circuli quatuor ſunt, Tropicus Cancri, ſiue Aeſtiuus; Tropicus Capricorni, ſiue Hiemalis; Arcticus; & Antarcticus. Tropicus Cancri eſt circulus à Sole raptu firmamenti deſcriptus, cum Sol in primo Cancri gradu reperitur: &, quoniam, cum id euenit, æſtas incipit, iccirco is Circulus Tropicus æſtiuus à quibuſdam appellatur. Tropicus Capricorni eſt circulus à Sole raptu firmamenti ſignatus, cum Sol primum Capricorni punctum attingit: &, quia eo tempore hiemis fit initium, ideo Tropicus Hiemalis vocatur. Horum circulorum vterque ab æquatore gra. 23. minu. 30. fere diſtat. Arcticus eſt circulus, à Polo ſuperiori Zodiaci raptu Firmamenti circa mundi Polum ſuperiorem deſcriptus: è cuius regione alter circulus eſt ab inferiori Polo Zodiaci, Firmamenti raptu circa mundi Polum infimum deſignatus, qui Antarcticus dicitur. Horum vterque à Polo mundi ſibi viciniori tantum diſtat, quantum Tropicus vterque ab æquatore, gradibus. ſ. 23. minu. 30. Interuallum verò inter Tropicos, & hos circulos hinc inde graduum eſt 43.

De Circulo Lacteo. Cap. XVII.

PRAETER decem hos imaginarios circulos, vndecimus eſt, Lacteus appellatus, qui non intellectu cõcipitur, ſed re ipſa exiſtit, & ſuperficie lata definitur. Lacteus autem à candore vocatur, & noctu, cum ſudum eſt, aſpectu clare percipitur. Hic, vt quilibet facile viſu inueſtigare poteſt, non eandem vbique obtinet latitudinem, ſed in quibuſdam locis arctiorem, in quibuſdam ampliorem; neque vbiq; æquè candidus eſt, ſed alicubi magis, alicubi minus. Candoris cauſa non eadem ab Ariſtotele, & à Ptolemæo aſſignatur. Nam Ariſtoteles cenſet, Lac nihil aliud eſſe, quam exhalationem in ſuprema aeris parte ignitam; neque aliter, quam crinitam ſtellam, lacteum circulum fieri arbitratur. Verum Ptolemæus multorum ſiderum lumen candoris illius cauſam eſſe affirmat. Sunt in illo circulo ſtellæ multæ, & illæ quidem perlucidæ, etſi paruæ, quæ hunc efficiunt candorem. Incedit enim hic circulus per Caſſiopæam, Cycnum, Aquilam volantem, Sagittam Sagittarij, caudam Scorpij, Centaurum, Argonauem, Pedes Geminorum, Aurigam, & Perſeum. De hoc circulo qui plura ſcire deſiderat, Ptolemæum dicti. 8. c. 2. magnæ conſtructionis legat. Mihi Ptolemæi ſententia probabilior videtur. Nam, ſi is candor exhalatio ignita eſſet, & in aere conſiſteret, nõ ſemper tãta eſſet, ſed nunc maior, nunc minor, pro exhalationis quãtitate, conſpiceretur. Præterea, non ſemper per eaſdem ſtellas euagaretur. Denique rationi eſt conſentaneum, vt, quemadmodum crines in crinitis tandem euaneſcunt, ita hæc exalatio in hac ſaltem parte aliquando exareſceret. Verum contrarium videmus: nam & eadem candoris quantitas perſeuerat; neque vnquam vel minima ex parte deficit, & circulus ipſe nunquam ab eadem ſemita, eiſdemue ſtellis recedit. Hunc circulum poetæ fabulantur eſſe viam, qua ad Iouem ſuperi aſcendebant. Vnde illud Ouidianum:

Ari. Mete. c. 8. *Ptol. Almag. dict. 8. c. 2.* *Met. 1.*

Eſt via ſublimis, cœlo manifeſta ſereno,
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.
Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta Tonantis.

De Zo-

De Zonis. *Cap. XVIII.*

De Som. Scip.

QVATVOR circulis minoribus quinque in cœlo diſcernuntur regiones, quæ & Zonæ, & Faſciæ, & Cingula, & Plagæ, & à M. Tullio Maculæ appellantur. Harum quæ media eſt, inter Tropicos collocatur, ac Torrida eſſe perhibetur. Duæ verò huic proximæ, Tropicis, Arctico, & Antarctico clauduntur, ac temperatæ ſunt. At duæ poſtremæ, altera inter Arcticum, ac polum mundi ſuperiorem, altera, inter Antarcticum, & polum mundi inferiorem continetur: & ambæ frigidæ exiſtunt. Verum non ita accipiendum eſt, Zonas eſſe frigidas; vel calidas, vel temperatas, quaſi cœlum alicubi frigidum, alicubi calidum ſit, alicubi temperatum: ſed, quod terræ loca illis Zonis ſubiecta, aut calida ſint, aut frigida, aut temperata. Quæ varietas à Solaris reflexionis diſſimilitudine oritur. Vbi enim eſt recta Solarium radiorum reflexio, ibi calor vehementer intenditur; vbi verò obliqua nimis eſt, ibi calor mirum in modum remittitur. In media Zona reflexio recta eſt, in duabus extremis obliquiſſima, in reliquis duabus medio modo ſe habet. Quare Zona media torrida eſt, extremæ frigidæ, aliæ duæ temperatæ. Cum itaque Zonæ calidæ, frigidæue, aut temperatæ ratione ſubiectæ terræ dicantur, non immerito totidem terræ aſcribuntur Zonæ, quot in cœlo eſſe dicimus. Zonarum in cœlo diſtinctiones oſtendit Virgilius Georgicorum primo libro, his verſibus:

Quinque tenent cœlum Zonæ: quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni:
Quam circum extremæ dextra, læuaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ diuum: & via ſecta per ambas;
Obliquus qua ſe ſignorum verteret ordo.

Totidem vero Zonis terram cœlo ſubiectam ſecerni, Ouidius Metam. 1. demonſtrat, cum ait:

Vtque duæ dextra cœlum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem

Cura Dei: totidemque plagæ tellure premuntur.
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtranque locauit:
Temperiemq. dedit, mixta cum frigore flamma.

Atque hoc pacto tam in cœlo, quàm in terra, Zonæ diſtinguntur. Quod autem poeta aſſerit, mediam, & extremas inhabitabiles eſſe, purum eſt figmentum, licet veteres quoque Philoſophi, Aſtronomi, & Geographi idem ſenſerint. nam ex Hiſpanorum, Luſitanorumque nauigationibus compertum habemus, æquinoctialem terram habitari. Septemtrionalem quoque terram habitabilem eſſe, Olaus Magnus Gothus, affirmat. Immo Io. Magnus aſſerit, Biarmiam, quæ Aquilonio polo ſubiacet, habitari. Quamobrem eadem ratione aſſerendum videtur, ſub Antarctico eſſe homines, qui terram illam incolant. Num autem habitatio ſub æquatore ſatis calida ſit, an vero temperata, non inter omnes conuenit. Verum huius dubitationis ſolutionem ad Geographeos reijcimus.



De numero Orbium cœleſtium. *Cap. XIX.*

TRANSGREDIAMVR iam ad orbes cœleſtes explicandos. Cœlum ſimilitudinem gerit cœpæ, in qua videmus orbes ita eſſe locatos, vt alter ab altero contineatur, & maior minorem concludat. In cœlo itaque, veluti in cœpa, multi ſunt orbes, quorum maior minorem ſemper comprehendit. Quot nam verò cœli orbes ſint, diuerſi diuerſa ſenſere, cum alii octo, alii nouem, alii decem orbes eſſe cōtendant. Nos autem ſingulorum opiniones recenſebimus, approbatamque hodierna die ab Aſtrologis ſententiam in medium proferemus. Plato, & Ariſtoteles octo orbes in cœlo eſſe cenſuerunt, Orbem ſtellarum fixarum, quem arbitrati ſunt eſſe primum mobile, & Orbes ſeptem Planetarum. Nam, cum vidiſſent, ſtellas fixas ſemper

eandem

eandem inter ſe diſtantiam ſeruare, vnum illarum orbem eſſe ſtatuerunt. Cumque animaduertiſſent, ſeptem Planetas varijs motibus ferri, diuerſos quoque orbes illis tribuerunt. At verò multis poſt ſæculis Ptolemæus, Aſtrologorum princeps, cum obſeruaſſet, primum mobile ab ortu ad occaſum moueri, orbem verò ſtellarum fixarum contrario motu, licet admodum tardò, agi, deprehendit, ipſum non eſſe primum mobile. Quapropter, præter orbem ſtellarum fixarum, ſuperiorem alium poſuit orbem, quem primum mobile eſſe conſtanter affirmauit; atque hanc ſententiam Io. de Sacroboſco in Sphæra ſecutus eſt. Verum Alphonſus Hiſpanorum Rex, cui adhærent Purbachius, & Io. de Regiomonte, cum accuratius rem perpendiſſet, adinuenit, ſtellarum fixarum orbem motu acceſſus, & receſſus, ſeu trepidationis à Septemtrione in Auſtrum, & ab Auſtro in Septemtrionem moueri; cumque iudicaret fieri non poſſe, vt idem orbis diuerſis motibus ferretur, aſſerere non dubitauit, ſtellarum fixarum orbi motum ab occaſu ad ortum non conuenire; & firmiſſime aſſeuerauit, orbem illum, qui ab occaſu ad ortum cietur, eſſe quendam alium orbem. Quare decem numero orbes eſſe confirmauit, decimum, nonum, ſtellarum fixarum, & ſeptem orbes reliquorum Planetarum. Atque hæc ſententia hodie in Aſtrologorum ſcholis paſſim recipitur.

De ordine Orbium Cæleſtium. Cap. XX.

DE ordine verò Orbium Cœleſtium varij varia ſenſere. Nam Ariſtarchus, quem ſecutus eſt Copernicus, hunc ordinem inter Orbes confingit, vt Sol in centro, ſeu mundi medio immobilis permaneat. Circa hunc orbem Mercurij; deinde orbem Veneris; poſt orbem magnum, terram vna cum elementis, & luna continentem; circa hunc orbem Martis; deinde Sphæram Iouis, poſtea Saturni globum, poſtremo tandem ſtellarum fixarum cœlum exiſtere contendit. At Plato, & Ariſtoteles infimum locum Lunæ, ſecundum Soli, tertium Mercurio, quartum Veneri, quintum Marti, ſextum Ioui, ſeptimum Saturno, octauum ſtellarum fixarum orbi aſſignant. Verum Aſtrologorum ſchola his opinionibus refragatur, & Lunam in primo, Mercurium in ſecundo, Vene-

rem in tertio, Solem in quarto, Martem in quinto, Iouem in ſexto, Saturnum in ſeptimo, Stellarum fixarum orbem in octauo, Nonam Sphæram in nono, Primum mobile in decimo loco collocauit.

De motu Orbium Cœleſtium, & eorum periodis. Cap. XXI.

PRIMVM mobile ab Oriente in Occidentem ſuper mundi polis agitur, & ſuo motu omnes inferiores orbes rapit. Nunc motum in duas æquales partes diuidit æquator, quem primi motus menſuram eſſe, ſupra oſtendimus. Nona Sphæra, præter motum primi mobilis, ab occaſu in ortum ſuper polis Zodiaci, à polis mundi gra. 23. & minu. 30. diſtantibus fertur. Octaua Sphæra, in qua ſunt ſtellæ fixæ, præter motum Primi mobilis, & Nonæ Sphæræ, nunc ab Auſtro ad Septemtrionem, nunc à Septemtrione ad Auſtrum motu acceſſus, & receſſus mouetur. Septem Planetæ, præter iam dictos motus, proprijs motibus ab occaſu ad ortum feruntur. Nonæ Sphæræ, & Planetarum motum in duas æquales partes ſecat Zodiacus, quem ſecundi motus regulam eſſe demonſtrauimus. Primum mobile 24. horis ſuum motum abſoluit. Nona Sphæra ex Ptolemæi ſententia 100. annis gradum vnum complet; vt verò Alphonſo placet, 200. annis gradum vnum, & min. 28. conficit. Totum autem curſum, ſi Ptolemæo credimus, 36000. annis; ſi cum Alphonſo ſentimus, 49000. perficit. Atque id ſpatium vocatur Annus Platonicus, in quo ſomniauit Plato, res numero eaſdem redituras. Octauæ Sphæræ periodus 7000. annos complectitur. Saturnus 29. annis, diebus 155. horis 7. min. 36. Iupiter annis 11. diebus, 313. horis 17. min. 14. Mars anno vno, diebus 321. horis 22. min. 35. Sol, Venus, & Mercurius anno vno ſuum ambitum explent. Luna 27, diebus, & horis 8. totum Zodiacum peragrat: verum, antequam Solem aſſequatur, dies duos, & horas 4. conſumit. licet itaque ſuũ motum diebus 27. horis 8. peragat, non tamen ante 29. diem, & horas ferè 12. cum Sole coniungitur.

De ambitu Orbium Cœleſtium. *Cap.* XXII.

AMBITVS verò Orbium Cœleſtium ab Aſtrologis tanti definiuntur, quanti in ſubiecta tabella deſcribuntur.

Ambitus concaui Lunæ continet miliaria	758250.
Ambitus conuexi Lunæ, vel concaui Mercurij continet mil.	1443750.
Ambitus conu. Mercurij, vel conc. Veneris cont. mil.	3772500.
Ambitus conu Veneris, vel conc. Solis cont. mil.	25230375.
Ambitus conu. Solis, vel conc. Martis cont. mil.	27361875.
Ambitus conu. Martis, vel conc. Iouis cont. mil.	199209375.
Ambitus conu Iouis, vel conc. Saturni cont. mil.	323512500.
Ambitus conu. Saturni, vel conc. Firmament con. mil.	508781250.
Ambitus conu. Firmamenti cont. mil.	1017562500.

De diſtantia Orbium Cœleſtium à terra. *Cap.* XXIII.

DENIQVE diſtantia cœlorum à terra tanta ſtatuitur, quanta in præſenti tabella præfinitur.

Concauum Lunæ continet miliaria	120630 $\frac{15}{44}$
Conuexum Lunæ, vel concauum Mercurij cont. mil.	229687 $\frac{1}{2}$
Conu. Mercurij, vel conc. Veneris cont. mil.	600167 $\frac{24}{33}$
Conu. Veneris, vel conc. Solis cont. mil.	4013923 $\frac{18}{44}$
Conu. Solis, vel conc. Martis cont. mil.	4353025 $\frac{25}{44}$
Conu. Martis, vel conc. Iouis cont. mil.	31692406 $\frac{15}{44}$
Conu. Iouis, vel conc. Saturni cont. mil.	51467897 $\frac{8}{11}$

Conu. Saturni, vel con. firmamenti cont. mil.	80942471 $\frac{10}{11}$
Conuexum firmamenti cont. mil.	161884943 $\frac{1}{11}$

De Planetarum characteribus. *Cap. XXIV.*

HISCE de Cœleſtibus Orbibus conſtitutis, de ſeptem Planetis, ſeu ſideribus errantibus, quæ orbibus fixa feruntur, ſermonem aggrediamur. Planetæ autē, Sidera errantia vocātur, non quòd certo ordine non incedant, (ordinate enim mouentur, & ad ſuorum orbium motum aguntur) ſed quoniam non eandem ſemper neque inter ſe, neque cum cæteris ſtellis diſtantiam ſeruant, ipſorumq. motus multo velociores reliquarum ſtellarum motu exiſſunt. Id autem euenit, quia non omnium orbium ijdem motus ſunt, vt ſupra oſtenſum fuit. Reliquis verò in ſtellis aliter ſe res habet. Nam omnes ſemper & inter ſe æqualiter diſtant, & æquo curſu impelluntur. Cuius rei ea cauſa eſt, quòd omnes in eodem orbe, octaua ſ. Sphæra, figuntur. Accedit, quod motu tardiſſimo, motu, inquam, nonæ Sphæræ circumaguntur. Quare non Errantes, ſed Fixæ vocantur. Planetæ verò his characteribus notari ſolent.

☉	Sol.
♄	Saturnus.
☽	Luna.
♃	Iuppiter.
♂	Mars.
♀	Venus.
☿	Mercurius.

De Planetarum magnitudine. *Cap. XXV.*

HORVM Planetarum quidam terra maiores, quidam minores exiſtunt. Nam Sol, Saturnus, Iuppiter, & Mars, maiores extant; Venus, Mercurius, & Luna, minores. Nam Sol 166. partibus, & 3. octauis terra maior eſt. Saturnus magnitudinem terræ nonagies, & ſemel, & paulo amplius; Iuppiter nonagies quinquies cum dimidia parte continet. Mars terra paulo maior eſt. Nam ipſam dimidia parte ſuperat. Venus, Mercurius, & Luna terra minores exiſtunt. Nam terra magnitudinem Veneris tricie, ſepties, & paulo amplius, Mercurij vicies millies, etiam ſemel, ac nongenties quinquagies bis, Lunæ tricies nouies cum tertia vna includit: vt in hoc exemplo quiuis clare videre poterit.

Sol in ſe continet terræ magnitudinem. —— 166 [illegible]

Saturnus. —— 91 [illegible]

Iuppiter. —— 95 [illegible]

Mars. —— 1 [illegible]

Terra in ſe continet magnitudinem Veneris. —— 3727

Mercurij. —— 21952

Lunæ. —— 39 [illegible]

De motu Planetarum ſub Zodiaco.
Cap. XXVI.

HI, quos diximus, Planetæ omnes ſub Zodiaco, ſed non eadem prorſus via inceaunt. Nam Sol ſemper ſub ecliptica fertur; neque vmquam ad dexteram, aut ſiniſtram deflectit. At reliqui Planetæ, quamuis aliquando ſub ecliptica iter faciant, tamen nunc ad Septemtrionem, nunc ad Auſtrum declinant. Quare modo Septemtrionales, modo Auſtrales vocantur. Verum extra Zodiaci latitudinem nunquam vagantur, præter Venerem, & Martem; quos ad octo fere gradus ab ecliptica, hoc eſt, ad duos fere gradus extra Zodiacum tendere, deprehenſum eſt. Quonam verò pacto is eorum ab ecliptica receſſus compertus fuerit, breuiter indicabo. Notarunt Aſtrologi, Solem in eodem climate ſemper prope idem Horizontis punctum oriri, & occidere, dum in eodem ſigno, & Zodiaci gradu, verbi gratia, in primo Arietis, vel Capricorni gradu reperitur. Præterea, animaduerterunt, ſtatis anni temporibus vmbram Solis meridianam numquam longiorem eſſe. Quin etiam adnotarunt, Solem in maximis declinationibus, ſeu in Capricorno, ſeu in Cancro exiſtentem, quotannis æqualiter ab æquatore dimoueri. Quamobrem concluſerunt, Solem eadem ſemita ſemper progredi, & ſub ecliptica vehi. At in cæteris Planetis contrarium obſeruarunt. Quapropter aſſeruere, Planetas omnes ab ecliptica nunc ad dextram, nunc ad ſiniſtram remoueri.

Quid

Quid ſit, Planetas eſſe ſub aliquo ſigno. Cap. XXVII.

OMNES autem Planetæ ſub aliquo Zodiaci ſigno eſſe dicuntur. Signum verò multa apud Aſtrologos ſignificat. At nos vnam tantum afferemus ſignificationem, quam ſatis eſſe duximus ad cognoſcendum, quidnam ſit, Planetas eſſe ſub aliquo ſigno. Diuidatur itaque Zodiacus in 12. partes æquales, ita, vt linea quælibet diuidens à polo vno Zodiaci exeat, & in cœli ſuperficie per ſignum aliquod tranſiens in oppoſitum polum terminetur: iam Zodiacus cum toto cœlo in 12. æquales partes diſſectus erit. Si harum quælibet ſignum appelletur, ita non ſolum planetæ, ſed etiam omnia, quæ in rerum vniuerſitate reperiuntur, ſub aliquo ſigno eſſe dicentur. Sed res exemplo demonſtretur. Contemplare peponem in 12. partes tot lineis diuiſum. Conſtat, quamlibet partem diſtingui linea, quæ, à ſumma parte incipiens, & ſuperficiem ambiens, in ima parte deſinit. Pone, has omnes partes per obliquum faſcia quadam circumdari: iam liquet, peponem cum faſcia in 12. æquales partes diuiſum eſſe. Idem quoque in cœlo ratione aſſequere. Sume totum cœlum in 12. partes diuiſum, ita, vt linea quælibet ab altero Zodiaci polo egrediatur, & in cœli ſuperficie per ſignum aliquod tranſiens in alterum polum terminetur; deinde Zodiacus has omnes partes ambiens per medium ſecet: certe apparebit, Zodiacum cum toto cœlo diſtinctum eſſe in 12. æquales partes, quæ peponis inſtar, in polis arctæ ſunt, & in medio latæ. Harum quælibet vni ſigno tribuatur, & ſignum vocetur: certe, quicquid eſt, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſub aliquo ſigno eſſe dicetur.

De Domibus, & Detrimentis Planetarum. Cap. XXVIII.

CETERVM duodecim ſignorum quædam domus planetarum vocantur, quia Planetæ, dum in illis exiſtunt, ſuam vim in hæc inferiora vehementer exercent. Quilibet enim planta duo ſigna pro domibus habet, Sole, & Luna exceptis, quibus ſingulis ſingula ſigna pro domibus tribuuntur. ♌ domus eſt Solis, ♋ Lunæ; ♍, & ♊ domus ſunt Mercurij: ♎, & ♉ Veneris; ♏, & ♈, Martis: ♐, & ♓ Iouis: ♑, & ♒ Saturni, Quamuis autem ſingulis ex ijs Planetis binas obtineant domos, altera tamen principalis magis eſt, altera minus principalis. Maiores enim vires in illa, quam in hac, oſtendunt. Verbi gratia: Domus ☿ principalis eſt ♏, minus principalis ♊: Domus ♀ principalis eſt ♉, minus pricipalis ♎: Domus ♐ magis principalis eſt ♏, minus principalis ♈: Domus ♃ principalis eſt ♐, minus princpalis ♓: Domus ♄ principalis eſt ♒, minus principalis ♑.

Planetarum Domus.

☉	♌	
☽	♋	
☿	♍	principalis.
	♊	minus principalis.
♀	♉	principalis.
	♎	minus principalis.
♂	♏	principalis.
	♈	minus principalis.
♃	♐	principalis
	♓	minus principalis.
♄	♒	principalis.
	♑	minus principalis.

M Signa

Signa verò domibus oppoſita Detrimenta Planetarum dicuntur, vt ♒. ♌ oppoſitus dicitur detrimentum Solis: ♃ detrimentum Lunæ. Idem de reliquis oppoſitis ſignis iudicato. Verum hæc omnia in ſubſcripto ſchemate demonſtrantur.

Planetarum	Domus	Detrimenta
☉	♌	♒
☽	♋	♃
☿	♍ ♊	♓ ♐
♀	♉ ♎	♏ ♈
♐	♏ ♈	♉ ♎

Planetarum	Domus	Detrimentum
♃	♐ ♓	♊ ♍
♄	♒ ♄	♌ ♋

De exaltationibus, et caſibus Planetarum. Cap. XXIX.

QVÆDAM autem ſigna Planetarum Exaltationes appellãtur, quoniam, Planetis in illis exiſtentibus, eorum vires augeſcere, vt ♈ eſt, exaltatio Solis, ♉ Lunæ, ♍ Mercurij, ♓ Veneris, ♑ Martis, ♋, Iouis, ♎ Saturni. Signa verò ijs oppoſita caſus Planetarum nuncupantur, vt in infraſcripto exemplo perſpicuum eſt.

Planetarum	Exaltationes,	Caſus.
☉	♈	♎
☽	♉	♏
☿	♍	♓
♀	♓	♍
♂	♑	♋
♃	♋	♑
♄	♎	♈

De aſpectibus Planetarum, & coniunctione. *Cap.* XXX.

VERVM Planetæ ſeſe ſuper Zodiaco non ſemper eodem ordine aſpiciunt. Id autem euenit, quoniam ipſorum motus varius eſt. Planetarum vero aſpectus, (qui nihil aliud ſunt, quam diſtantia, qua Planetæ ſe inuicem reſpiciunt) quatuor ſunt, Sextilis, Quadratus, Trinus, & Oppoſitus. Sextilis eſt, quando Planeta à Planeta ſexta Zodiaci parte, hoc eſt, 60. gradibus diſtat. Si autem Planetæ inter ſe quarta parte, hoc eſt, 90. gradibus diſtent, Aſpectus Quadratus appellatur. Quod ſi diſtantia erit tertiæ partis, hoc eſt 120. graduum, Aſpectus Trinus nuncupatur. Sin autem fuerit 180. graduum, ſeu medietatis Zodiaci, Aſpectus Oppoſitus, ſiue Oppoſitio vocatur. Sin autem contingat Planetas in eodem gradu, & minuto Zodiaci reperiri, tunc Planetæ inter ſe conuenire dicuntur: atque is eorum concurſus Coniunctio nominatur.



…BLIOTECA NA… ROMA …TTORIO EM…

De longitudine, declinatione, & latitudine. Cap. XXXI.

CONSIDERANTVR quoque in Planetis, ſicut in quauis Stella, longitudo, declinatio, & latitudo. Longitudo ſtellæ, ab Ariete verſus ſigna orientalia; Declinatio, ab æquatore; Latitudo, ab ecliptica Auſtrum, vel Septemtrionem verſus dinumerari ſolet. Tanta itaque erit longitudo Stellæ, quanta erit eius diſtaatia ab Ariete ſigna orientalia verſus: tanta declinatio, quãta diſtantia ab æquatore; tanta latitudo, quanta diſtantia ab eclip-

tica

tica. Et, quoniam omnes Planetæ ab Ariete, & æquatore diſtant, iccirco omnes longitudinem, & declinationem habent. Quia verò Sol ſemper eſt ſub ecliptica, quod cæteris Planetis non accidit; iccirco omnes Planetæ, excepto Sole, latitudinem habent. Si enim Sol latitudinem haberet, aliquando ab ecliptica polos verſus deflecteret: quod faſum eſſe, ſupra declaratum eſt. Non negarim tamen, apud Aſtronomos Latitudinis, & Declinationis voçem nonnumquam confundi, & harum alteram pro altera vſurpari. Coſmographi verò terræ longitudinem ac latitudinem ab alijs mundi partibus ſumunt. Verum hæc alias, cum de Terra agemus.

De quatuor Anni temporibus. *Cap. XXXII.*

HIS ita de Planetis expoſitis, quædam, quæ ex Solis, Lunæque conuerſionibus eueniunt, pertractanda ſunt. Ea vero ſunt, quatuor Anni tempora, Dies, & Nox, Solis, & Lunæ defectus. Ex Solis itaque annua conuerſione, quatuor Anni temporum inæqualitas, & viciſſitudo prouenit. Nam, quanto propius Sol circulum obliquum percurrens ad noſtri capitis verticem, quem Zenith vocant, acceſſerit, tanto validius calor intenditur; & quanto longius Sol ab eodem receſſerit, tanto magis calor remittitur. Sole itaque pūcta æquinoctialia, Arietem ſcilicet, & Libram peruagante, temperata ſunt tempora, Ver, & Autumnus: quorum Ver, eſt calidum, & humidū; Autumnus, frigidus, & ſiccus. Cum verò Sol noſtri capitis verticem rectius ferit, & in cancro puncto ſolſtitiali æſtiuo reperitur, tum calor maximè intenditur, & fit Æſtas, quæ calida, & ſicca eſt. At, cū Sol ad Capricornum punctum ſolſtitiale Hibernum receſſerit, calor admodum remittitur, & fit Hiems, quæ frigida, & humida eſt. Hæ autem temporum viciſſitudines nullo pacto fierent, ni Sol continue circa terram reuolueretur. Neque id ſatis eſſet, niſi oblique circūferretur. ſi enim recto motu per æquatorem circumduceretur, aut perpetuus æſtus, aut ſempiterna temperies ſub illo eſſet; Auſtralia vero, & Septemtrionalia loca aſſiduo frigore rigerent. Quare non ſatis amplum terræ ſpatium ad habitandum idoneus eſſet. Quod ne eueni-

eueniret, ſollers natura obliquum fabricata eſt circulum, per quem Sol ſub ecliptica latus, maiorem terræ partem, & fortaſſe omnem habitabilem redderet.

De Die, ac Nocte. Cap. XXXIII.

EX eadem Solis conuerſione Dies, ac Noctes fiũt, & diſtinguuntur. Duplex verò eſt Dies, alter naturalis, alter artificialis. Dies naturalis eſt primi mobilis periodus, hoc eſt 24. horarum ſpatiũ, cùm tanta inſuper parte, quantum Sol proprio motu contra primum mobile euectus pertranſijt. Verbi gratia: Dum primum mobile 24. horarum ſpatio ab oriente per occidentem in orientem ad idem punctum reuertitur, Sol gradum fere vnum, hoc eſt 59. minuta Zodiaci aduerſo motu peragrauit. Quapropter, antequam Sol rurſus ſupra horizontem emergat, neceſſe eſt, tantam Zodiaci aſcendere partẽ, quanta illis 59. minutis reſpondet. Verum aſcenſionis 59. minutis quatuor fere horarum minuta tribuuntur. Quare 24. horarum ſpatium cum quatuor fere minutis erit dies naturalis. Sed, quoniam, ſi 24 horas reſpicias, hæc quatuor minuta pæne nihil videntur, iccirco dicere conſueuimus, diem naturalem eſſe 24. horarum ſpatium, etſi re vera quatuor fere minuta ſunt adijcienda. Quod autem dicimus, primi motus, & diei naturalis differentiam eſſe quatuor fere minutorum, ſine liuore eſt dijudicandum. Nam propter Solaris motus, irregularitatem hæc differentia interdum quatuor minutis minor eſt, interdum eſt quatuor minutis maior. Verum, ſi media quadam via inter exceſſum, ac defectum gradiaris; &, quod vni detraxeris, alteri attribuas; facile hanc inæqualitatem ad æqualitatem rediges, ac reperies, eam quatuor fere minutorum eſſe, hoc eſt minuta tria, & ſecunda quinquaginta ſex. Dies artificialis eſt mora Solis ſupra Horizontem, eiuſdemque mora ſub Horizonte Nox appellatur. Non me latet, à multis alias Dierum diſtinctiones, à Macrobio, & Cenſorino ſumptas, afferri. Verum diuiſio à nobis propoſita apud Aſtrologos celebris eſt, & nullo refragante ab omnibus recipitur. Quamobrem nos hanc præ ceteris complectendam exiſtimamus. Dies verò tam naturales, quam artificiales inæquales ſunt. Naturales quidem ſunt inæquales ob Zo-

ob Zodiaci obliquitatem, ex qua euenit, vt eius aſcenſiones ſint inæquales, vt infra patebit. Exiſtentibus autem Zodiaci aſcenſionibus inæqualibus, neceſſe eſt, dies quoque naturales inæquales eſſe. Artificiales quoque dies in ſphæra obliqua, in qua nos degimus, inæquales eſſe, aperte ſenſus deprehendit, cum videat, illos nunc prolixiores, nunc breuiores eſſe. In ſphæra autem recta dies ſemper noctibus æquantur. ſed huius rei cauſa exponenda eſt. Sol à Capricorno per Arietem in Cancrum pergens 182. circulos paralellos, vel potius ſpiras, & ſemis deſcribit, totidemque definit, cum à principio Cancri per Libram in Capricornum tendit. Harum ſpirarum altera pars ſub Horizonte mergitur, altera ſupra Horizontem extollitur, atque illa arcus noctium, hæc arcus dierum artificialium vocatur. Cum itaque horizon has ſpiras æqualiter diuidit, dies noctibus exæquantur: cum verò inæqualiter ſecat, dies, noctesque ſunt inæquales. Quoniam igitur ſub Æquatore ſemper, vbicumque Sol reperiatur, Horizon haſce ſpiras æqualiter diſcriminat, ſemper etiam dies noctibus ibi æquantur. At ijs, qui obliquam ſphæram incolunt; quia contingit, vt ſemper, præterquã Sole in punctis æquinoctialibus exiſtente, Horizon prædictas ſpiras inæqualiter partiatur, ex neceſſitate ſequitur, ſemper, excepto æquinoctiorum tempore, apud ipſos dies noctibus inæquales eſſe. Cauſa itaque, cur dies artificiales in ſphæra obliqua ſint inæquales, eſt, quoniam Horizon dictas ſpiras in partes diſpertit inæquales. Maiores verò ſunt dies circa polum conſpicuum, cum Sol eſt in ſignis Septemtrionalibus; minores autem, cũ eſt in Auſtralibus. Nam, quanto magis polus extollitur, tanto maiores in æſtate ſunt arcus diurni: quanto verò magis polus deprimitur, tanto arcus diurni ſunt minores. Cum autem maiores exiſtunt dies, noctes minores eſſe, neceſſe eſt. Verum, cum Sol in ſignis Auſtralibus fertur, circa eundem polum contrarium euenit. Tunc etenim noctes ſunt maiores, dies vero minores. At circa polum Antarcticum commorantibus idem contingit, cum Sol in ſignis Auſtralibus inuenitur. Tunc enim apud illos dies ſunt maiores, noctesque minores; quemadmodum, cum Sol eſt in ſignis Septemtrionalibus, dies ſunt minores, noctes maiores.

De

De partibus die minoribus. Cap. XXXIV.

DIEBVS aliquæ partes ſunt minores, aliquæ maiores. Minores ſunt, hora, minuta, ſecunda, tertia, & vſque decem, quæ Fractiones ab Aſtrologis vocantur. Maiores ſunt, hebdomada, menſis, annus, luſtrum, indictio, ſæculum, & æuum. Hora eſt 24. pars diei naturalis, ſeu ſpatium, quo 15. æquatoris gradus eleuantur. Cum verò æquatoris gradus ſint 360. ſi in 24. partes diſtribuantur, cuilibet parti 15. gradus aſcribentur: cumque ij gradus æqualiter aſcendant, omnes horæ ex neceſſitate erunt æquales. Atque hæ horæ communes dicuntur. ſunt verò, præter has, horæ, quas Planetarias appellant, quæ nihil aliud ſunt, quam 12. pars diei artificialis, ſeu 12. pars noctis. Qui has excogitarunt horas, non Æquatoris, ſed Zodiaci aſcenſus reſpexerunt. Nam, cum animaduertiſſent, vt infra oſtendemus, quolibet die artificiali, ſiue longus ille ſit, ſiue breuis, medietatem Zodiaci aſcendere, & alteram medietatem qualibet nocte, ſiue illa producta, ſeu contracta ſit, efferri, vtramque medietatem in 12. partes diſſecuerunt, & 12. diei, 12. nocti tribuere horas; & Planetas ijs viciſſim dominare cenſuere. Vnde ipſas Planetarias nuncuparunt. Harum horarum tàm diurnæ, quàm nocturnæ, inter ſe ſunt æquales. Verum diurnæ, præterquam in punctis æquinoctialibus, nocturnis impares exiſtunt. Sunt alij, qui alias horas ſtatuerunt Planetarias, quarum tam nocturnæ, quàm diurnæ inter ſe ſunt inæquales. Volunt enim, horam eſſe medij ſigni aſcenſum. At, cum ſigna, vt ſuo loco exponemus, inæqualiter aſcendant, haſce quoque horas neceſſe eſt eſſe inæquales. Secatur verò hora in 60. minuta, & hæc in 60. ſecunda, ad decem vſque progrediendo.

De partibus die maioribus. *Cap. XXXV.*

PARTES die maiores ſunt, hebdomada, menſis, annus, luſtrum, indictio, ſæculum, & æuum. Hebdomada, eſt ſpatium ſeptem dierum. Menſium, alius eſt Solaris, alius Lunaris, alius Vſualis. Solaris, eſt ſpatium, in quo Sol ſignum vnum peragrat. quod fit ſpatio fere 30. dierum. Lunaris eſt poſt Lunæ à Sole receſſum eiuſdem ad Solem reuerſio. hic 29. diebus, & horis 12. conſtat. Vſualis eſt, qui in Kalendario reperitur. Horum menſium alij 30. alij 31. dies continent. Solus Februarius 28. dies habet. Huic in anno biſextili vnus dies ſuperadditur. Annorum alius proprius, alius communis, alius vſualis. Annus proprius, eſt temporis ſpatium, quo quilibet Planeta totum Zodiacum abſolute peragrat. Communis, eſt temporis ſpatium, in quo Planetæ omnes vna cum ſtellis fixis vniuerſis ad loca, quæ in prima origine tenuerunt, reuertuntur. Hic, Annus magnus, ſeu Platonicus appellari conſueuit, vt ſupra dictum eſt. Vſualis, eſt temporis ſpatium, quo Sol totum Zodiacum abſoluit, qui 365. diebus, horis 5. minutis fere 49. conſtat. Luſtrum, eſt ſpatium quinque annorum. Nam Romanæ vrbis luſtrandæ cauſa quinto quoque anno, cum cenſus peragebatur, ſue, oue, ac tauro litabant. Hinc vſus obtinuit, vt quinque annorum ſpatium Luſtrum vocaretur. Indictio, eſt ſpatium 15. annorum, ad recipienda extraneis indicta tributa inſtitutum. Romani enim quinto quoque anno tributa exigebant, primo quinquennio aurum, ſecundo argentum, tertio æs, & ferrum. Quoniam igitur hæc exactio quindecim annis perficiebatur, quindecim annorum ſpatium Indictio nuncupatum eſt. Sæculum, eſt ſpatium centum annorum. Æuum, mille annis conſtat.

Quemque diem à Planeta aliquo denominari. Cap. XXXVI.

PRAETEREA Aſtrologi quemque hebdomadæ diem ab aliquo Planeta denominarunt, & ſingulis diei horis ipſorum vnum præfecerunt. Primo igitur diei, qui Dominicus dicitur, Solis; ſecundo, Lunæ; tertio, Martis; quarto, Mercurij; quinto, Iouis; ſexto, Veneris; ſeptimo, Saturni nomen impoſuerunt. Quin etiam primam primi diei horam Soli, primam ſecundi Lunæ, primam tertij Marti, primam quarti, Mercurio, primam quinti Ioui, primam ſexti Veneri, primam ſeptimi Saturno dicarunt. ex quo contingit, vt non eo, quo Planetæ in cœlo ſiti ſunt, ordine dies ab ipſis appellentur. Nam, ſi primam primi diei horam Soli, ſecundam Veneri, tertiam Mercurio, quartam Lunæ, quintam Saturno, ſextam Iouis, ſeptimam Marti tribueris, & rurſus, à Sole incipiendo, eodem ordine progreſſus fueris, inuenies, primam ſecundi diei horam Lunæ aſcribi. Eadem ratione, ſi ſecundi diei primam horam Lunæ tribueris, eundemque, veluti in Sole diximus, ordinem ſeruaueris, reperies, primam tertij diei horam Marti eueniſſe. Quapropter alio, quàm. Planetæ collocati ſunt, ordine, hebdomadarum dies ab ipſis denominantur.

De Eclipſi Solis, & Lunæ. Cap. XXXVII.


HVNC Solis, & Lunæ defectuum ratio reddenda eſt. Iam ſupra à nobis dictum eſt, Solem ſemper ſub ecliptica vagari. Lunæ autem orbis, qui Lunæ deferens appellatur, eclipticam duobus ſecat in locis, quorum alter ad Auſtrum, alter ad Septemtrionem vergit. Hæc loca Interſectiones nuncupantur. Spatium inter has interſectiones collocatum, ſerpentis inſtar in medio latum eſt, in extremis partibus anguſtum. Quare Draco ab Aſtrologis vocatur; eaq. pars, quæ ad Auſtrum ſita eſt, Draconis caput; quæ autem locata

cata eſt ad Septemtrionem; Draconis cauda nominatur. Cum itaque euenit, vt Sol in vna, Luna in altera harum interſectionum reperiatur, tunc terra inter Solem, & Lunam interponitur, & Luna à Sole illuſtrari nequit; atque ita, lumine, quod à Sole accipit, deſtituta, obſcuratur. Quòd ſi exactè Sol, & Luna in hiſce ſint interſectionibus, tunc Luna tota occultatur: ſin autem earum aliquam partem occupent, tunc Luna ex parte lumen amittit. Lunæ autem deliquium omni in terra, etſi non eodem temporis momento, conſpicitur. Verum, ſi contingat, Solem, & Lunam in vna, eademq. harum interſectionum inueniri tunc Luna ſub Sole exiſtente, cum Solis lumen lunare corpus permeare nequeat, partes mundi inferiores minime illuminantur. &, ſi Luna tota ſub Sole ſit, nulla ſolaris luminis pars ad nos peruenit ſi verò ex parte ſub Sole collocator, tunc Sol ex parte tantum celatur. Solis defectus non omni in terra apparet, ſed pro aſpectus diuerſitate alibi videtur, alibi cerni nequit. Cum hæc ita accidunt, Luna quidem, cum ſuapte natura omni lumine careat, obſcuratur: at Sol nequaquam lumine priuatur; ſed tantum partes ſub Luna exiſtentes Solis lumine illuſtrari non poſſunt. Luna, cum Soli, vt dictum eſt, opponitur, deficit: Solis verò deliquium in coniunctione eiuſdem cum Luna contingit.


Quapropter, cum in Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti die, quæ Luna quintadecima fuit, Sol obſcuratus eſt, id totum miraculo, non naturæ, eſt tribuendum. Iccirco ferunt, Dionyſium Areopagitam, cum in oppoſitione Solis, & Lunæ Solem defeciſſe animaduertiſſet, in hæc verba prorupiſſe: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluetur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ECLIPSIS SOLIS.



ECLIPSIS LVNÆ.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De numero Stellarum fixarum. Cap. XXXVIII.

POST Orbium, Planetarumq. contemplationem, non ab re futurum exiſtimauimus, ſi Stellarum fixarum, ex quibus 48. cœli ſigna conſtituuntur, numerum, ac magnitudinem leuiter perſtringeremus. In octaua itaque Sphæra, quæ ſtellas fixas continet, longa obſeruatione ab Aſtrologis excogitata ſunt 48 ſigna, quæ & Aſteriſmi, & Conſtellationes, & Imagines, appellari conſueuere: quorum vnumquodque ex pluribus ſtellis conſtat. Eſt autem ſignum multitudo quædam ſtellarum alicuius animalis, aut cuiuſuis alius rei effigiem ſua poſitione, ac ordine referentium. Horum verò ſignorum quædam in Zodiaco, quædam extra Zodiacum reperiuntur; & horum quædam ad ſeptemtrionem, quædam ad Auſtrum vergunt. Primum itaque de illis, quæ in Zodiaco exiſtunt; deinde de ijs, quæ ad Septemtrionem ſitæ ſunt; poſtremo de illis, quæ ad Auſtrum collocantur, agemus. In Zodiaco, vt ſupra diximus, duodecim ſigna ſunt, Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces: Aries ex 18. ſtellis conſtituitur, quarum quinque ſunt informes. Informes appellamus ſtellas, quæ ſigni formam non conſtituunt, ſed potius circa ipſum exiſtunt. Taurus ſtellas habet 43. ex quibus 11. ſunt informes. Gemini ſtellas habent 25. quarum ſex ſunt informes. Cancer habet ſtellas 13. ex quibus quatuor ſunt informes. Leo ſtellas habet 35. ex quibus octo ſunt informes, & ex ijs duæ ſunt obſcuræ. Virgo 32. ſtellas habet, ex quibus ſex ſunt informes. Libra 17. ſtellas habet; ex quibus nouem ſunt informes. Scorpius 24. ſtellas habet, ex quibus tres ſunt informes, & ex ijs vna eſt nebuloſa. Sagittarius 31. ſtellas habet, quarum vna eſt nebuloſa. Capricornus 28. ſtellas habet. Aquarius 45. ſtellas habet, ex quibus tres informes. Piſces 38. ſtellas habet, ex quibus quatuor ſunt informes. In Zodiaco itaque ſtellæ 350. reperiuntur. extra Zodiacum in ea parte, quæ Aquilonem ſpectat, 21. ſigna ſunt, Vrſa maior, Vrſa minor, quæ & Helice dicitur, Draco, Cepheus, Bootes, ſeu Arctophilax, Corona Bo-

rea,

rea, Hercules, ſeu Engomaſis, Lyra, ſeu Vultur cadens, Olor, Caſſiopea, Perſecus, Auriga, qui & Crichotonius, Ophincus, ſeu Serpentarius, Serpens ophiuci, & Sagitta, Aquila, Delphinus, Equiculus, Equus alatus, ſeu Pegaſus, Andromeda, Triangulum. Vrſa minor 7. ſtellas habet, ex quibus vna eſt informis. Vrſa maior 35. ſtellas habet, ex quibus octo ſunt informes, & ex ijs quatuor ſunt obſcuræ. Draco 31. ſtellas habet. Cepheus 13. ſtellas habet, ex quibus duo ſunt informes. Bootes 23. ſtellas habet, ex quibus vna eſt informis. Corona 8. ſtellas habet. Hercules 30. ſtellas habet, quarum vna eſt informis. Lyra decem ſtellas habet. Olor 19. ſtellas habet, ex quibus duæ ſunt informes Caſſiopea 13. ſtellas habet. Perſeus 29. ſtellas habet, quarum vna nebuloſa eſt, & tres informes, & ex ijs vna eſt obſcura. Auriga 14. ſtellas habet. Ophiucus 29. ſtellas habet, quarum quinque ſunt informes. Serpens ophiuci 18. ſtellas habet; ſagitta 5. Aquila 15. ſtellas habet; quarum ſex ſunt informes. Delphinus 10. ſtellas habet. Equiculus 4. ſtellas habet, omnes obſcuras. Equus alatus 20. ſtellas habet, Andromeda 23. Triangulum 4. ſunt itaque in ſeptemtrionali regione ſtellæ 360. At in ea parte, quæ ad Auſtrum collocata eſt, quindecim conſtellationes inueniuntur, Cetus, orion, fluuius, lepus, canis, Canis minor, Argus, ſeu Nauis, Hydra, Crater, Coruus, Centaurus, lepus, Thurribulum, Corona Auſtrina, Piſcis Auſtrinus. Cetus 22. ſtellas habet, orion 38. ex quibus vna eſt nebuloſa. Fluuius 34. ſtellas habet, lepus 12. Canis 29. ſtellas habet, quarum 11. ſunt informes. Canis minor 2. ſtellas habet, Argus 45. Hydra 27 ſtellas habet, quarum 6. ſunt informes Crater 7. ſtellas habet, Coruus totidem, Centaurus 37. lupus 19. Thurribulum 7. Corona 13. Piſcis 17. ſtellas habet, quarum 6. ſunt informes. ſtellæ itaque Auſtrum verſus trans Zodiacum conſtitutæ ſunt 316. omnes igitur ſtellæ ad 48. ſigna pertinentes ſunt numero 1026. In circulo etiam lacteo innumerabilis pænè ſtellarum multitudo conſpicitur; inordinata penitus, & confuſa. Harum contemplatio quoniam Aſtrologis nulli vſui eſſe poteſt, ab eis conſulto pretermittitur.

De magnitudine Stellarum. *Cap. XXXIX.*

AT verò Aſtrologi non ſolum Stellarum numerum, ſed etiam quantitatem perquiſiuerunt, &, quænam maior, quæue minor ſit, longo vſu, atque experientia deprehenderunt. Ac primum quidem ab omnibus conceditur, Stellarum fixarum quamlibet terra maiorem eſſe. Quanta verò ſit terræ magnitudo, ſuo loco oſtendemus. Verum Aſtrologi non modo norunt, quamlibet Stellarum fixarum terra maiorem eſſe, ſed etiam declarant, quot partibus quælibet Stella terræ magnitudinem excedat. Sex itaque gradus, ſeu differentiæ magnitudinis Stellarum ab Aſtrologis enumerantur, ex lucis proportione excogitatæ. quo enim ſtellas magis, minusve luminoſas eſſe repererunt, eo maiores, minoresve dijudicarunt. ſtatuerunt itaque, aliquas ſtellas eſſe primæ magnitudinis, aliquas ſecundæ, quaſdam tertiæ, quaſdam quartæ, nonnullas quintæ, nonnullas ſextæ. Primæ magnitudinis ſtellæ ſunt, quæ centies ſepties terræ magnitudinem continent. Secundæ magnitudinis ſtellæ ſunt, quæ nonagies terræ magnitudinem includunt. Tertiæ magnitudinis ſtellæ ſunt, quæ ſeptuagies bis terræ magnitudinem comprehendunt. Quartæ magnitudinis ſtellæ ſunt, quæ quinquagies quater terræ magnitudinem includunt. Quintæ magnitudinis ſtellæ ſunt, quæ terræ magnitudinem tricies ſexies complectuntur. Sextæ magnitudinis ſtellæ ſunt, quæ terræ magnitudinem decem, & octo partibus exuperant. Minutiæ quædam huic, quam diximus, magnitudini addi ſolent, vt in hoc exemplo facile cuiuis perſpicuum eſſe poteſt.

Stellæ primæ magnitudinis continent terræ magnitudinem.

$$107 \frac{1}{6}$$

Stellæ ſecundæ magnitudinis continent terræ magnitudinem.

$$90 \frac{1}{8}$$

Stellæ tertiæ magnitudinis continent terræ magnitudinem.

$$72\frac{1}{3}$$

Stellæ quartæ magnitudinis continent terræ magnitudinem.

$$54\frac{11}{12}$$

Stellæ quintæ magnitudinis continent terræ magnitudinem.

$$36\frac{1}{8}$$

Stellæ ſextæ magnitudinis continent terræ maguitudinem.

$$18\frac{1}{10}$$

Stellas primæ magnitudinis in Zodiaco quinque reperies, primã in Tauro, ſecundam, & tertiam in Leone, quartam in Virgine, quintam in Aquario. extra Zodiacum Septemtrionem verſus tres primæ magnitudinis ſtellæ ſunt, prima in Boote, ſecunda in Lyra, tertia in Auriga. In plaga vero Auſtrali ſeptem primæ magnitudinis ſtellæ exiſtunt, Prima, & ſecunda in Orione, tertia in Fluuio, quarta in Cane, quinta in Procyone, ſexta in Argo, ſeptima in Centauro. Sunt itaque ſtellæ omnes primæ magnitudinis quindecim. Secundæ verò magnitudinis ſtellas nouem in Zodiaco inuenies, Primam, & ſecundam in Geminis, tertiam, & quartam in Leone, quintam,& ſextam in Libra, ſeptimam in Scorpio, octauam,& nonam in Sagittario. Extra Zodiacum in parte Aquilonia 18. ſtellæ 2. magnitudinis exiſtunt, duæ in Vrſa minori, ſex in Vrſa maiori, 9. eſt in Corona, 10. in Olore, 11. & 12. in Perſeo, 13. in Auriga, 14 in Aquila, reliquæ quatuor in Equo alato. In regione verò Auſtrali totidem ſtellæ 2. magnitudinis videntur, quatuor ſunt in Orione, duæ in Cane, ſex in Argo, 1. in Hydra, quinque poſtremæ in Centauro. Sunt igitur ſtellæ omnes 2. magnitudinis 45. Cæterum ſtellæ tertiæ magnitudinis in Zodiaco ſunt 64. tres in Ariete, ſex in Tauro, quinque in Geminis, ſex in Leone, ſex in Virgine, vna in Libra, tredecim in Scorpio, nouem in Sagittario, quatuor in Capricorno, nouem in Aquario, duæ in Piſcibus. extra Zodiacum Aquilonem verſus ſunt ſtellæ tertiæ magnitudinis 84. vna in Vrſa minori, nouem in Vrſa maiori, octo in Dracone, vna in Cepheo, quatuor in Boote, ſex in Hercule, duæ in Lyra, quinque in Olore, quatuor

in Caſſiopea, quinque in Perſeo, duæ in Auriga, quinque in Ophiueo, quinque in Serpente ophiuei, octo in Aquila, quinque in Delphino, quatuor in Equo alato, ſeptem in Andromeda, tres in Triangulo.. At in parte Auſtrali ſunt ſtellæ tertiæ magnitudinis 60. 10. in Ceto, 8. in Trione, quinque in Fluuio, duæ in Lepore, quinque in Cane, octo in Argo, quinque in Hydra, quinque in Coruo, ſeptem in Centauro, duæ in Lupo, tres circa Piſcem Auſtrinum. Sunt itaque ſtellæ omnes tertiæ magnitudinis 208. Ex ſtellis autem quartæ magnitudinis 132. ſunt in Zodiaco, quinque in Ariete, duodecim in Tauro, totidem in Geminis, nouem in Cancro, totidem in Leone, ſex in Virgine, nouem in Libra, quinque in Scorpio, nouem in Sagittario, totidem in Capricorno, vna, & viginti in Aquario, ſex, & viginti in Piſcibus. Verum extra Zodiacum in parte Septemtrionali ſunt quartæ magnitudinis 174. ſtellæ, quinque in Vrſa minori, decem in Vrſa maiori. ſexdecim in Dracone, octo in Cepheo, nouem in Boote, quinque in Corona, decem & ſeptem in Hercule, ſeptem in Lyra, vndecim in Olore, ſex in Caſſiopea, ſexdecim in Perſeo, ſeptem in Auriga, decem & octo in Ophiueo, duodecim in Serpente ophiuei, vna in Sagitta, duæ in Aquila, totidem in Delphino, nouem in Equo alato, duodecim in Andromeda, vna in Triangulo. At in plaga auſtrali 168. quartæ magnitudinis ſtellæ adſunt, octo in Ceto, quindecim in Orione, viginti ſeptem in Fluuio, ſex in Lepore, quatuordecim in Cane, vna in Procyone, viginti duæ in Argo, decem & nouem in Hydra, ſeptem in Cratere, vna in Coruo, ſexdecim in Centauro, vndecim in Lupo, quinque in Lare, totidem in Corona, vndecim in Piſce Notio. Omnes itaque ſtellæ quartæ magnitudinis ſunt 474. Has ſequuntur ſtellæ quintæ magnitudinis, quarum in Zodiaco ſunt 106. nouem in Ariete, viginti tres in Tauro, ſex in Geminis, tres in Cancro, nouem in Leone, quindecim in Virgine, quatuor in Libra, totidem in Scorpio, octo in Sagittario, nouem in Capricorno, tredecim in Aquario, tres in Piſcibus. Extra Zodiacum Septemtrionem verſus ſunt 58. ſtellæ quintæ magnitudinis, ſex in Vrſa maiori, quinque in Dracone, quatuor in Cepheo, nouem in Boote, vna in Corona, tres in Hercule, duæ in Olore, vna in Caſſiopea, quatuor in Perſeo, duæ in Auriga, ſex in Ophiueo, vna in Serpente, tres in Sagitta, quatuor in Aquila, tres in Equo alato, quatuor in Andromeda. Sed in regione Auſtrali 53. ſtellæ quintæ magnitudinis extant, quatuor in Ceto, tres in Orione, vna in Fluuio, quatuor in Lepore, ſeptem in Cane, totidem in Argo, vna in Hydra, vna in Coruo, octo in Centauro, ſex in Lepore,

duæ

duæ in Lare, ſex in Corona, tres in Piſce Notio. Sunt ergo ſtellæ quintæ magnitudinis 217. Demum ſtellæ ſextæ magnitudinis ſunt in Zodiaco 27. vna in Ariete, vna in Tauro, quatuor in Leone, totidem in Virgine, vna in Libra, duæ in Sagittario, ſex in Capricorno, vna in Aquario, ſeptem in Piſcibus. Ad Aquilonem ſunt ſtellæ ſextæ magnitudinis 13. duæ in Dracone, vna in Corona, tres in Hercule, duæ in Caſſiopea, vna in Auriga, vna in Sagitta, tres in Delphino. Ad Auſtrum nouem ſextæ magnitudinis ſtellæ poſitæ ſunt, quinque in Orione, vna in Argo, vna in Hydra, duæ in Corona. Sunt igitur ſtellæ ſextæ magnitudinis omnes 49. Prædictæ itaque omnes Stellæ ſunt numero 1022. quarum quindecim ſunt primæ magnitudinis, 45. ſecundæ, 208. tertiæ, 474. quartæ, 217. quintæ, 49. ſextæ. Quinetiam ex ijs ſtellis quinque ſunt nebuloſæ, & nouem obſcuriores: vt in hoc exemplo perſpicuum eſt:

Stellarum magnitudo	numerus.
Stellæ primæ magnitudinis	15
Secundæ	45
Tertiæ	208
Quartæ	474
Quintæ	217
Sextæ	49
Nebuloſæ	5
Obſcuræ	9.

Extra hunc numerũ ſunt ſtellæ quatuor informes circa Leonem, quas Berenices comam appellant, quarum magnitudinem Aſtrologi non deſcribunt.

idem ſignum eodem anni tempore tum oriri, tum occidere dicunt. Hinc Ouidius dixit, Autumni tẽpore Pleiades oriri,cum tamen Virgilius dixerit, illas occidere. Ouidij verſus primo de Pontohic eſt:

Quatuor Autumnos Pleias orta facit.

Nam Ouidius de ortu veſpertino, Virgilius de occaſu matutino loquitur. De ortu veſpertino eſt verſus Ouidij allatus. De occaſu autem veſpertino idem Faſto. ſecundo ſic ait:

Quem modo cælatum ſtellis Delphina videbas,
Is fugiet viſus, nocte ſequente, tuos.

Loquitur de Delphino, qui tunc temporis vna cum Aquario ſub Solis occaſum ex occidentis parte demergitur. Solaris ortus eſt,cum ſignum à Solis radijs ſubductum videri poteſt: quod ſi adeo ſit Soli propinquum, vt aſpici nequeat, huius ſigni occaſus ſolaris eſt. De hoc ortu ita Ouidius Faſto. ſecundo:

Iam leuis obliqua ſubſedit Aquarius vrna:
Proximus æthereos excipe, Piſcis, equos,

Nam Februarij menſis initio Aquarius vicino Solis lumine impeditur,quo minus conſpici poſſit. Cum verò Sol Piſces ingreditur; Aquarius noſtris oculis ſeſe offerre incipit, atque ita Solari ortu oritur. De occaſu vero Solari locutus eſt Virgilius Georg. primo, cum ait:

--Et aduerſo cedens Canis occidit aſtro.

Nam, cum Canis maior ſit in Geminis, Sole exiſtente in Tauro Solari occaſu occidit, quoniam ab Solarium radiorum propinquitatem cerni minime poteſt.

De ortu, & occaſu Aſtronomico, ſeu de aſcenſionibus, & deſcenſionibus. *Cap. XLI.*

AT verò ortus, & occaſus Aſtronomicus,ſeu Aſcenſio, & Deſcenſio ſigni nihil aliud eſt, quam illam partem æquatoris ſupra Horizontem oriri, vel ſub Horizonte mergi, quæ cum aliquo ſigno oritur, vel occidit. Vt hæc deſcriptio recte percipiatur, notandum eſt, Æquatorem, ſiue in recta, ſiue in obli-

obliqua ſphæra ſemper vniformiter oriri. Nam, cum Æquator ſit primi mobilis menſura, & primi mobilis motu ſuper eiſdem polis æque diſtantibus moueatur, neceſſe eſt, ipſum vniformiter, non ſecus, ac primum mobile, moueri. Præterea anguli Aequatoris cum Horizonte omnibus in locis æquales ſunt: ſi quidem Aequator cum Horizonte recto rectos, cum obliquo obliquos angulos facit. Quare Aequatoris motus vniformis eſt, & ipſe vniformiter ſemper aſcendit, ac deſcendit. At Zodiaco contrarium euenit. Nam, cum Zodiacus motu diurno ſuper alienis polis, nempe, mundi, feratur à quibus non æque diſtat, neceſſe eſt, quaſdam eius partes velocius, quaſdam tardius moueri. Quod cum ita ſit, non vna ſemper quælibet Aequatoris partes cum Zodiaci partibus aſcendunt, vel deſcendunt. Nam qualibet hora 15. Æquatoris gradus aſcendunt. Sed Zodiaci modo plures, modo pauciores. Verbi gratia: Romæ ſigno Arietis aſcendente, dum 30. gradus Zodiaci aſcendunt, Aequatoris 17. gradus, & 21. minuta aſcendunt. Quare maior Zodiaci pars, quam Aequatoris aſcendit. Contra, cum Libræ ſignum aſcendit, dum 30. gradus Zodiaci aſcendunt, Aequatoris 38. gradus, & minuta 27. aſcendunt. Quapropter maior Aequatoris, quam Zodiaci pars aſcendit. Vniformis igitur èſt Aequatoris aſcenſus, ſed Zodiaci difformis. Verum hæ aſcenſiones tam in recta, quam in obliqua ſphæra æquantur; in recta quidem æquato quadrante quolibet, ſiue a punctis ſolſtitialibus, ſiue æquinoctialibus incipias; ſed in ſphæra obliqua, æquata medietate, incipiendo tamen à ſignis æquinoctialibus, aſcenſiones æquantur? Verbi gratia: Quadrans Aequatoris eſt 90. gradus: totidem gradus in Zodiaci quadrante reperiuntur. Nam quilibet circulus ab Aſtronomis in 360. partes, quas gradus vocant, diſſecatur. Quadrãs igitur, ſeu quarta pars circuli erit 90. gradus. Aequator quacunque in ſphæra ſex horarum ſpatio gradus 90. aſcendit, ita vt qualibet hora quindecim gradus vniformiter aſcendat. Zodiacus quoque in ſphæra recta ſex horarum ſpatio 90. gradus aſcendit, ac tria ſigna eleuat. Verum non quælibet Zodiaci pars vniformiter aſcendit. Nam in eleuatione vnius ſigni tardius, in eleuatione alterius velocius aſcendit.. Sed in fine quadrantis tot gradus Zodiacus, quot æquator eleuauit, Accipe quadrantem Zodiaci à puncto æquinoctiali verno, hoc eſt, Arietem, Taurum, & Geminos: Zodiacus, dum Arietem extollit cum 27. gradibus, & minu. 54. æquatoris aſcendit; dum Taurum eleuat, cum 29. grad. & min. 54. Æquatoris aſcendit; dum Geminos effert, cum grad. 32. & min. 12. Aequatoris aſcendit. Ecce huius quadrantis partes non eadem ratione, qua Aequatoris partes aſcẽ-

dunt:

dunt: at in fine quartæ tantum Aequator, quantum Zodiacus aſcendit. Nam, ſi has partes coniungas, inuenies eſſe 90. gradus, quot itidem Aequator aſcenderat. Quapropter, licet Zodiacus irregulariter aſcenderit, in fine tamē quadrantis Aequatoris aſcenſionem coæquat. Quod de vno quadrante dictum eſt, in reliquis obſerua. In Sphæra quoque obliqua aſcenſiones æquabis, ſi medietatem Zodiaci à puncto æquinoctiali accipies. Sume Zodiaci partes à principio Arietis vſque in finem Virginis, inuenies Romæ Arietem cum gra. 17. & 21. minu. Aequatoris aſcendere, Taurum cum gra. 21. & minu. 6. Geminos cum gra. 28. minu. 30. Cancrum cum gra. 35. & minu. 54. Leonem cum gra. 38. & minu. 42. Virginem cum gra. 38. & minu. 27. Rurſus accipe medietatem Aequatoris, hoc eſt gra. 180. reperies in fine huius medietatis aſcenſionem Zodiaci cum Aequatoris aſcenſione coæquari. Idem eueniet, ſi medietatem Zodiaci à principio Libræ ad finem Piſcium accipies. Hinc facile dignoſci poteſt, quid ſit Aſcenſio, & Deſcenſio ſigni. Aſcenſio enim definitur eſſe aut eleuatio partium Aequatoris ſupra Horizōtem cum aliquo ſigno, aut eleuatio ſigni cum aliquibus partibus Aequatoris. Deſcenſio verò erit earundem partium infra Horizontem occultatio.

De aſcenſione recta, & obliqua. Cap. XLII.

NON autem omnia ſigna eodem modo aſcendunt, vel deſcendunt, ſeu rectam, ſeu obliquam Sphæram ſpectes. In vtraque enim quædam ſigna recte, quædam oblique aſcendunt, & deſcendunt. Illa ſigna recte aſcendunt, vel deſcendunt, quæ cum maiori Aequatoris parte aſcendunt, vel deſcendunt. oblique verò aſcendunt, vel deſcendunt, quæ cum minori Aequatoris parte aſcendunt, vel deſcendunt. Dicuntur vero illa recte, hæc oblique aſcendere, vel deſcendere, quia, cum illa aſcendunt, vel deſcendunt, Zodiacus cum Horizonte rectiores angulos efficit; cum vero hæc aſcendunt, vel deſcendunt, Zodiacus cum Horizonte angulos efficit obliquiores. Sed res ipſa exemplo demonſtretur. Romæ Cancer 30. Zodiaci gradus aſcendit cum 35. gra. & 54. minu. Aequatoris, dico Cancrum recte aſcendere; rurſus reperio idem ſignum

gnum cum minori parte Aequatoris, hoc eſt cum gra. 28. & min. 30. Æquatoris deſcendere, pronuntio, Cancrum oblique deſcendere. Præterea Taurus cum gra. 21. & minu. 6. Aequatoris aſcendit. Quare oblique aſcendit. Rurſus idem ſignum cum gra. 38. & minu. 42. Aequatoris deſcendit. Ergo rectè deſcendit. In Sphæra recta quatuor ſigna rectè, & octo oblique aſcendunt. Rectè Gemini, Cancer, Sagittarius, & Capricornus, cætera oblique. Gemini, Cancer, Sagittarius, & Capricornus cum gra. 32. & minu. 12. Aequatoris aſcendunt. Aries, Virgo, Libra, & Piſces cùm gra. 27. & minu. 54. Taurus, Leo, Scorpius, & Aquarius cum grad. 29. & minu 54. In hac Sphæra recta deſcenſiones aſcenſionibus ſunt æquales. Quot itaque partes Aequatoris cum Zodiaco aſcendunt, totidem quoque deſcendunt. At in Sphæra obliqua ſex ſigna oblique, ſex recte aſcendunt, & deſcendunt. oblique aſcendunt, Capricornus, Aquarius, Piſces, Aries, Taurus, & Gemini: recte aſcendunt, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, & Sagittarius. oblique deſcendunt, quæ recte aſcendunt. recte deſcendunt, quæcunque oblique aſcendunt. Quare aſcenſio ſigni oppoſiti erit propoſitæ deſcenſioni æqualis, & contra. Exemplum. Aries eſt ſignum Libræ oppoſitum. Aſcenſio Arietis eſt graduum 17. & minu. 21. Aſcenſio Libræ eſt gradu. 38. & minu. 27. Quapropter deſcenſio Arietis erit gra. 38. & minu. 27. & deſcenſio Libræ gra. 17. & minu. 21. Aſcendunt Romæ Aries, & Piſces cum gra. 17. & minu. 21. Aequatoris. Taurus, & Aquarius cum gra. 21. & minu. 6. Gemini, & Capricornus cum grad. 28. & minu. 30. Cancer, & Sagittarius cum gra. 35. & minu. 54. Leo, & Scorpius cum gra. 38. & minu. 42. Virgo, & Libra cum gra. 38. & minu. 27. Vt autem, quæ dicta ſunt rectius percipiantur, duo appoſui ſchemata, in quorum altero habebis ortum ſignorum in Sphæra recta, in altera eorundem ortum in Sphæra obliqua.

Signa aſcendunt in Sphæra recta cum æquatoris gra. minu.

♈	♍	♎	♓	27	54
♉	♌	♏	♒	29	54
♊	♋	♐	♑	32	12

Romæ

Romæ in Sphæra obliqua		gra.	mi.	Romæ in Sphæ.ob.		gra.	minu.
♈	♓	17	21	♋	♐	35	54
♉	♒	21	6	♌	♏	38	42
♊	♑	28	30	♍	♎	38	27

EX ijs, quæ diximus, conſtat, ſigna, quæ recte oriuntur, plus temporis in aſcenſu conſumere, quàm quæ oblique oriuntur: quanto enim minor pars Æquatoris cum aliquo ſigno aſcendit, tanto citius partes illius ſigni partibus Aequatoris aſcendunt. Vt puta: Aries oblique oritur, quia cum gra. 17. minu. 21. Aequatoris aſcendit. Dum igitur 30. gradus Arietis aſcendunt, Aequatoris 17. tantum gra. cum minu. 21. aſcendunt. Quare patet, arcum Zodiaci, in quo eſt Aries, velocius arcu ſimili Aequatoris moueri. Contra, Libra recte aſcendit, quoniam cum gra. 38. & minu. 27. Aequatoris aſcendit. Dum igitur 30. gra. Libræ aſcendunt, Aequatoris gra. 38. & minu. 27. aſcendunt. Ex quo liquet, arcum Zodiaci, in quo eſt Libra, tardius æquali arcu Aequatoris moueri. Quæ itaque Zodiaci partes recte oriuntur, tardius aſcendunt; quæ oblique, velocius: immo ex ijs, quæ oblique aſcendunt, illa, quæ obliquius aſcendunt, concitatius mouentur; & ex ijs, quæ recte aſcendunt, illa, quæ rectius aſcendunt, lentius feruntur.

Hic lectorem admonitum volumus, Aſtronomos in tabulis aſcenſionum vocare Aſcenſionem rectam, quæ fit in Sphæra recta, & obliquam, quæ fit in Sphæra obliqua.

Cc De

De Cœlo Cryſtallino. Cap. XLIII.

SVPRA cœlum Sidereum collocatum eſt cœlum Cryſtallinum, ſiue aqueum, quod nihil aliud eſt, quàm aquæ illæ, quæ ſuper cœlos ſunt, de quibus ſuperiori libro egimus, oſtendimusq. ex diuinis ſcripturis, eas ſupra cœlum ſidereum reponi. Hæ aquæ cœlum Cryſtallinum à Theologis ſcholaſticis vocantur, quòd inſtar Cryſtalli, quod re ab aqua congelata non diſtat, perſpicuæ ſint. Quare Beda in libro de rerum natura has aquas glaciales appellat. Ibi autem, vt idem auctor eſt, alij cenſuerunt ſitas fuiſſe ad ignem ſidereum temperandum: alij affirmarunt ad terræ inundationẽ, quæ Noe temporibus facta eſt, ſeruatas fuiſſe. Quicquid ſit, illud ex Scripturæ, ſanctorumq. Patrum auctoritate conſtat, ſupra cœlum ſidereum locatum eſſe cœlum Cryſtallinum, quod ſiue ſuper cœleſtes aquas, ſiue glaciales nomines, nihil refert.

De Cœlo Empyreo. Cap. XLIV.

VERVM ſupra Cryſtallinum ſitum eſt tertium cœlum, quod Empyreum, ſeu Igneum appellare conſueuimus. Id putamus eſſe tertium cœlum, in quod Paulus raptus eſt, & nihil aliud eſſe, quàm paradiſum. Quod ipſius Apoſtoli verba innuere videtur: ita enim ipſe ait: Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. & ſcit huiuſmodi hominem (ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit) quod raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hic mihi videtur pro eadem re tertium cœlum, & paradiſum accipi. Hunc autem verũ eſſe Apoſtoli ſenſum, Io. Chryſoſtomus agnouit, etſi alibi plures cœlos eſſe negauit. Non defuere tamen, vt Aug. lib. 12. ſuper Geneſim refert, qui exiſtimarent, Apoſtolum prius raptum fuiſſe in tertium cœlum, & deinde à tertio cœlo in paradiſum,

2. Cor. 12

Super ſecundã ad Cor. ho. 26.

Super Gẽ. homil. 3.

Aug. lib. 12. ſuper Gen. c. 1.

radiſum, atque iccirco aliud tertium cœlum, aliud paradiſum eſſe. Cæterum ipſe in contrariam ſententiam inclinat. Glo. quoque tum ſuper primo Geneſis capite, tum ſuper allatis Apoſtoli verbis, & Beda in primo de rerum natura idem ſentiunt. Gloſæ verba in Geneſim hæc ſunt: Cœlum non viſibile firmamentum, ſed empyreum .i. igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore, ſed à ſplendore dicitur, quod ſtatim repletum eſt angelis. Eiuſdem verba ſuper 12. c. 2. ad Corinthios hæc ſunt: Primum cœlum aereum, ſecundum firmamentum, tertium ſpirituale, vbi Angeli, & ſanctæ animæ Dei fruuntur contemplatione. Beda quoque idem oſtendit his verbis: Cœlum ſuperioris circuli proprio diſcretum termino, æqualibus vndique ſpatijs collocatum, virtutes continet Angelicas. Ex ijs, quæ dicta ſunt, patet, tres eſſe cœlos, Sidereum, Cryſtallinum, & Empyreum. Caueant verò Catholici, ne ijs multo plures cœlos introducant, ne forte in errorem incidant Baſilidis, qui cœlos 365. reperiri inepte aſſeruit. Huius hæreſis meminere Auguſtinus in libro de hæreſibus, & Epiphanius; qui lib. 1. to. 2. ipſum confutauit.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER SEPTIMVS.

DE AERE ET VOLATILIBVS

De Natura Aeris. *Cap.* *I.*

SVPEREST, vt de aere, aqua, & terra ſermonem inſtituamus. Quo loco naturalem hiſtoriam eorum, quæ his elementis concluduntur, interſeremus. Sed ſciant lectores, non nobis propoſitum eſſe, de omnibus volatilibus, aquatilibus, ac terreſtribus hiſtoriam contexere; (id enim ad naturalem potius, quàm ad theologum pertinet) ſed tantum de ijs, de quibus in Scripturis ſanctis mentionem fieri animaduertimus: (hanc etenim à theologo pertractari non inutile iudicauimus) quæ etiam ob maiorem commoditatem alphabetico ordine exponemus. De Aere itaque primum verba faciamus. Aeris corpus graue potius, quàm leue eſſe, Ariſtoteles cenſet. Exemplum adducit de vtre, quem plus ponderis aere plenum, quàm vacuum, habere, affirmat. Verum Themiſtius Ariſtotelem redarguit, aſſerens, vtrem, nihilo grauiorem plenum, quàm vacuum eſſe. ſed Ptolemæus leuiorem eſſe plenum, quàm vacuum aſſeuerat. Romæ experiri volui, quonam pacto ſe res haberet. Inueni, Ariſtotelis opinionem falſam eſſe. Cui nam verò, Themiſtio ne, an Ptolemæo adheræam, adhuc ambigo. ſed certe, ſi rationem ſequamur, Ptolemæi ſententia probabilior videtur. Nam, cum quatuor ſint ſimplicia corpora, atque horum ſupremum ſit leuiſſimum,

4. de cælo. c. 4.

infimum

infimum grauiſſimum, rationi conſentaneum eſt, vt reliqua duo, quæ hæc interiacent, ita ſe habeant, vt ad eorum, quæ contingunt, naturam accedant, adeo, vt alterum ſecundum quid graue, alterum ſecundum quid leue, atque aqua grauitatis, aer leuitatis particeps exiſtat. Cumque videamus, aquam grauitate pollere, par eſt exiſtimare, aerem leuitatis non eſſe expertem. Aeris natura ſubtilis eſt, humida, & calida. Aer ſuapte natura nullum lumen habet; ſed à lucidis corporibus facile illuſtratur: calorem, frigus, humiditatem, atque ſiccitatem ſuſcipit, & facile alteratur: reſpirationi, ac vocis emiſſioni ſubſeruit: per ipſum videmus, audimus, & olfacimus. In eo mutationes ſecundum locum fiunt, ſurſum, deorſum, ante, retro, ad dexteram, ad læuam, & motus in orbem.

Volatilium diſtinctio. *Cap. II.*

VOLATILIVM tria ſunt genera, aues, inſecta, & cutacea. Aues ſunt, quæ pennis volant. Inſecta ſunt, quæ quaſdam veluti inciſuras habent. Ex ijs, quæ alis ex membrana conſtantibus volant, vt Apes, Veſpæ, & ſimilia, volatilia inſecta vocantur. (Nam ſunt & inſecta terreſtria, vt formica) Cutacea ſunt, quæ cute volant, vt veſpertilio. Aues omnes oua generant, ex quibus deinde fotis animal excluditur. ſed non omnia oua fœcunda ſunt. Nam oua, quæ aues cùm coitu pariunt, fœcunda ſunt; quæ verò ſine coitu prodeunt, prorſus ſunt infœcunda. Id patet in gallinarum ouis: quorum hanc ob cauſam alia fœcunda ſunt, alia infœcunda. Iccirco expertæ mulieres, antequam gallinis oua fouenda apponant, ad Solis lumen inſpiciunt, num in ouo genitura adſit: ea enim, in quibus genitura apparet, tanquam generationi apta, ſeruant; quæ verò genitura carent, reſpuunt. Inſecta vermem faciunt, præter quoddam genus papilionum, quod durum quiddam cartamo enici ſemini ſimile pro verme producit. Cutacea, qualis eſt veſpertilio, pullos, non oua pariunt, quæ lacte nutriunt.

De Auibus. *Cap. III.*

ACCIPITER inter rapaces aues connumeratur. In locis ſaxoſis, & arduis nidificat. Nullo negotio ad uerſus Solis radios intuetur. Venenatis animalibus, atque aquilæ inimicus eſt: fulmine, vt aiunt, non offenditur: ad libidinem eſt proniſſimus: quatuor, quinque, & ad ſummum ſex parere ſolet. ex rapto viuit: nullas fruges edit: ſi panem comedit, moritur: carnes vorat,
Ael. lib. ſanguinem exorbet, eodemque ſuos pullos alit. Aegyptij aiunt, acci-
10.c.15. pitres ad ſeptingentos annos viuere: quod Aelianus fabuloſum exiſti-
Ari.hiſt. mat. Duo, vt Ariſtoteles putat, ſunt accipitrum genera, quorũ alterum
ani.c.3. magnitudine aquilas æquat, & aduerſus vulpes, aquilas, & vultures certat, & ab ouium cordibus ſe abſtinet, alterum paruum eſt: quod cum ex oculis laborat, agreſtis lactucæ ſucco ſibi medetur. ex ijs eſſe
Lib.2.ca. aliquas, quæ nunquam bibunt, Aelianus ſcribit. Alibi Ariſtoteles decẽ
43. accipitrum genera enumerat. Plinius vero ſexdecim eſſe affirmat.
Ariſt. 9. Aquila ex rapacibus eſt. Aquilarum ſex ſunt genera. Primum Py-
de hi.ani. gargus ab albicante cauda appellatur. Secundum Anataria dicitur,
cap.34. quod conualles, & lacus anatum more incolere ſoleat. Tertium ni-
Plin. lib. gro eſt colore: vnde Pulla nominatur. Hæc magnitudine minima eſt,
10.c.8. ſed viribus præſtantiſſima, & Leporaria cognominatur. Vna hæc ſuos pullos libenter educat, (nam ceteræ à nido expellunt) & magno amore proſequitur. Quartum Pernopterus ab alarum notis vocatur, & vulturis ſpeciem refert. Quintum Haliætus nuncupatur. Sextum Geneſium, hoc eſt verum, & germanum dicitur. Nam alia genera adulterina, & promiſcua eſſe aſſeruntur. Aquilæ ex auibus maxime acutos oculos habent. Sed acutiſſimos fieri felle melle Attico
Lib.1.ca. immixto illitos Aelianus refert. Aquila altiſſime volat, & ex alto ad
44. piſcium capturam tormenti bellici inſtar deſcendit. in locis celſis, & præruptis nidificat. adeo eſt acuti odoratus, vt tranſmarina ſentiat cadauera. Hoc pacto pullorum ingenuitatem experitur. eos adhuc implumes ob ætatem infirmos aduerſum Solem intueri cogit: ægre intuentes, vt adulterinos, expellit; alacriter reſpicientes inter legitimos aſcribit. Ferunt aquilam fulmine non tangi. Aquilæ ex alto teſtudines ad ſaxa illidunt, & ex contrita earum teſta carnem extrahentes comedunt. Cum aliquando aquila Aeſchyli poetæ caput nudum aſpexiſſet,

aſpexiſſet, ſaxum rata, teſtudinem ex alto demiſit, quæ in poetæ caput incidens, ipſum interemit. Aquila ſuos pullos ad volandum prouocat, & ſuper eos volitat. Tria oua parit: duos pullos, cum plurimum, excludit: vnum educat, alterum nutriendi faſtidio expellit: Hunc eiectum oſſifraga, quæ aquila minor eſt, excipit, & nutrit: Siquidem omnia aquilarum genera prolem faſtidiunt, præter tertium, quod benignius eſt. Aquilam cæteræ omnes aues expaueſcunt. Aquilarum pennis ſi aliæ pennæ admiſceantur, computreſcunt, illæ verò illæſæ permanent. Aquila volens pullos à faſcinationis incommodo tueri, lapidem Aetitem, ſeu Amethyſtum in nidum immittit. Cum Vulture, Dracone, Ardeola, Sitto, & Throchilo inimicitias gerit, & ſymphytum occidit. Venatur hinnulos, vulpes, & cætera, quæ uincere queat, & ſerpentes, quibus etiam veſcitur. Condit in nido quod pullis ſuperſit: nam interdum quod venetur, deeſt. Alit pullos, donec volandi poteſtas fiat: poſtea expellit. Tempore longo viuit. eius ſenectus pennarum mutatione reuireſcit. Aquila non ægritudine, ſed fame moritur, cum ſcilicet ſuperius roſtrum adeo creuerit, vt aduncitas aperiri nequeat. Nullas in Rhodo aquilas eſſe perhibent.

Bubo noctuæ ſimilis eſt, ſed multo maior, immo, vt Ariſtoteles ait, nõ minor eſt aquila. Oculis hebes eſt. hinc nocte ambulat, die latet; ſi interdiu appareat, à cæteris auibus diſpennatur. Quamobrem aucupes, cum cæteras aues capere volunr, iuxta retia illum ponere ſolent. Bubo deſerta, & inacceſſa loca incolit: quæ cauſa eſt, vt difficulter ſciri poſſit, quot oua pariat, quot pullos excludat. Cum canit, gemere videtur. volat tranſuerſus. eius victus eſt ex muribus, ex lacertis, cæterisq. id genus, quæ venatur. *De hiſt. ani. lib. 8 cap. 3.*

Cathadrius, ſiue Charadius auis eſt praua, & colore, & voce. Nocte apparet, die aufugit. Sunt, qui Charadium Graculum eſſe exiſtimant. ſed, cum Graculus paſſim de die videatur, non poteſt eſſe idem Charadius, & Graculus. Aelianus ſcribit, huius auis viſum iectericis mederi, cum ſcilicet iecterici acriter illam intuentes, ab ipſa ſine nictatione ex animo reſpiciuntur. Charadius loca fragoſa, ſaxa, & cauernas incolit. *li. 7. cap. 13.*

Ciconiæ quonam è loco veniant, aut quò ſe referant, incertum eſt. è longinquo venire creduntur. Adueniunt verò hieme, & noctu abituræ certo loco congregantur. Gregatim adueniunt, gregatim recedunt. Cum agmine conferto volant, duces habent, quos feſſos ad terga recipiunt, ſicut colla præcedentibus imponunt. eoſdem nidos repetunt. In fide natæ ne nidum quidem faciunt, vt Plinius *li. 10. c. 29.*

nius eſt auctor. In Theſſalia capitale erat Ciconias occidiſſe, quòd ſerpentibus ſint infeſtiſſimæ. fortes ſunt roſtro. Hyeme ob frigiditatem, vt plurimum, latent. Mira eſt Ciconiæ prouidentia. Nam, cum veſpertiliones eius oua ſolo contactu ſterilia reddant, Ciconia Platani ſolia in nidum inferens, tantum malum cauet. Veſpertiliones enim, ijs tactis, cum continuo torpeſcant, nullatenus ouis pernicem afferre poſſunt. Mira eſt etiam Ciconiarum pietas. Hæ etenim parentes alunt, qui eandem in filios pietatem præſtant: Nam, ſi interdum cibus, quo alunt filios, deſit, cibum, quem ipſæ prius ederant, euomunt, vt vel hac ratione illos paſcant. Id ipſum Herodium, & Pelicanum facere aiunt. Ciconia ſi vulneretur, ab origano, vel, vt
9. de hiſt. ſentit Ariſtoteles, à cunila auxilium petit. Ciconia, & Crex auis in-
ani. c. 6. uicem diſſident. Ciconiam aiunt beneficiorum gratiam referre, & eorum, quos amant, iniurias vlciſci. Hæc auis ſerpentes non venenatos comedit, eiſdemq. ſuos pullos nutrit.

Columbæ ex gregalium genere ſunt. Duo ſunt columbarum genera, alterum agreſte, alterum domeſticum. Hæc auis fœcunda
6. de hiſt. eſt. Nam vel decies anno parit. immo aliquas vndecies, & Aegy-
ani. c. 4. ptias duodecies parere Ariſtoteles ſcribit. Duo oua parit. Columbarum proles vere, quæ autumno præſtantior eſt, deterrima eſt æſtate, & omni tempore calidiore. ijs in coitu mos eſt, vt mas non aſcendat, niſi primus fœminam oſculatus fuerit. Mas fœminæ parturienti adeſt, errantem ad nidum compellit, vna pullos fouet, & alit. pullis iam excluſis primum nutrimentum terram ſalſam in os indunt, vt ea guſtata à reliquis cibis non abhorreant. Columbæ cum rapacibus auibus, vt plurimum, pacem gerunt. Contra accipitres, quos hoſtes habent, magno aſtu vtuntur. Cum enim accipiter ſublimis eas perſequitur, deorſum volant; cum verò ille in infimo aere volat, ipſæ ſupra accipitrem efferuntur, atque ita eius vngues euadunt. Columbæ ab omni adulterio abſtinent: nunquam enim mas à fœmina, niſi eius morte, diſſociatur, neque fœmina à mare, niſi vidua euaſerit, diſtrahitur. Quod ſi forte euenerit, vt columbæ ſtupro ſe maculent, mares marem, fœminas fœminam diſperdere ferunt. Turtures, & perdices amant. Vulneribus origano medentur. Vt faſcinationis damnum effugiant, lauri folia tenuia, tamquam faſcinationis optimum amuletum ſuis nidis imponunt: herba, quæ helxine dicitur, ſe purgant. Roſtro non lædunt. earum cantus gemitui ſimilis eſt. Columbæ ad octo annos viuunt. Frugibus
2. de hiſt. veſcuntur. Sunt, qui eas felle carere exiſtimant. Verum, vt Ariſtote-
ani. c. 15. les annotauit, fel habent inteſtino adiunctum, quod cum homines

non

non animaduertiſſent, eas felle priuatas eſſe putauerunt.

Cornix, coruo minor eſt. Mas fœminam ouis incubantem paſcit, pullos etiam volentes inſequitur, vt paſcat. Cornices cum ſocietate, quam non temere, neque licenter ineunt, inter ſe mutuam ſibi fidem ſeruant, adeo, vt, ſi altera moriatur, altera vidua omni vitæ tempore permaneat. Ardeolis amicæ ſunt. Cum noctua inimicitias exercent. Noctua ſiquidem cornicis ouis noctu, hæc die illius ouis inſidiatur. Cornix cum tympano pugnat, ipſumq; occidit. Muſtella eius ouis inſidias molitur. Cornix nuces in ſaxa iacit, ex quibus confractis, quod eſui aptum eſt, extrahit. Incidens in carnis reliquias à coruo ſemeſas moritur. Si veſpertino tempore vocalis ſit, tempeſtates prædicit; ſin autem leuiter ſuccinat, ſerenitatem prænunciat. Septem hominis ætates eam viuere perhibent. Refert Plinius, ſuis temporibus Romæ fuiſſe corniculam miræ loquacitatis, quæ verba exprimebat. *lib.* 10. *c.* 43.

Coturnix, cum primum exit ex ouo, graditur, & comedit. libidinoſum eſt animal. humi nidum conſtruit. aliunde ad nos venit. aduenit autem flante aquilone, duce ortigometra. At, cum abit, ducibus linguacula, oto, matrice, & cyncramo proficiſcitur: ab hoc noctu reuocantur, cuius vocem cum ſentiunt aucupes, diſceſſum parari intelligunt. Veratro libenter veſcitur. Quare antiquitus apud Romanos in menſis non apponebatur. Addo, quod comitiali morbo laborare ſolet. Hyeme, quam vere, eſt pinguior. Autumno enim ex frigidis, vere autem ex calidis locis diſcedit. Quæ autem ex locis frigidis adueniunt, ſunt pinguiores ijs, quæ calidis ex locis abſcedunt.

Coruus clamoſus eſt: ante ſolſtitia generat. Parit quatuor, & quinque. Carniuorus eſt. Per æſtatem, hoc eſt ſexaginta diebus antequam ficus coquantur, ſiti confectus exareſcit. Iam ætate confectus, cum pullos alere nequeat, ſe ipſum eis cibum præſtat. Hi comedunt Patrem. Vnde adagium: Mali corui malum ouum. Suos pullos, cum poteſtas volandi eſt, primum nido eijcit, deinde tota regione expellit. Excitato, & vocali ſono crocitans, & alarum plauſu ſe concutiens, tempeſtates præmonſtrat. Hoc idem euenit, ſi veſpertino crepuſculo ſit vocalis. Miluo, Tauro, & Aſino aduerſarius eſt. Corui Nilum incolentes, veluti ſupplices, à nauigantibus efflagitant, vt ſibi aliquid largiantur. Quòd ſi quid dono detur, moleſti amplius non ſunt; ſin minus, nautas inſequuntur, funes arrodunt, ac vincula conſcindunt. Corui Libyci, cum aquam in vaſis contentam roſtro attingere nequeant, calculos roſtro, atque vnguibus

apportantes in vaſa inferunt, quouſque aqua per calculos in imo deſidentes ſurſum lata frui poſſint. Agrum vberem à ſterili dignoſcũt; ſiquidem in fertili gregatim conueniunt, per infructuoſum verò bini volare aſſolent. Sibi ſciunt mederi. Cum enim æſtiuo tempore alui profluuio laborare ſoleant, tunc temporis ab humidis cibis ſe abſtinent.

Cygnus inter gregales aues ponitur. In mari Africo ſæpe cygnorum grex apparet, & à præter nauigantibus cantus exauditur. Ad pugnam non laceſſit, ſed laceſſitus ſe fortiter tuetur. Cum cæteris animantibus pacem gerit, excepta aquila: à qua etſi hoſtiliter appetitur, non tam vinci, quam vincere ſolet. Lacus, paludes, aliaq. loca aquis redundantia incolit. A cicuta perniciem patitur. Cantando moritur. Sed Plinius id fabuloſum cenſet.

lib. 10. c. 23.

Gallinarum tres ſpecies Varro enumerat, Villaticas, Africanas, & agreſtes. Villaticæ noſtrates ſunt, ita dictæ, quia in villis aluntur. Africanæ ſunt, quas nos hodie Indicas appellamus, ſic vocatæ, quia ex Africa primum Romam allatæ fuerunt. Sunt autem grandes, variæ, & giberæ. Has Græci Meleagridas nominant. Agreſtes medij cuiuſdam generis erant inter villaticas, & Africanas. Hæ hodie in Italia non reperiuntur. Gallinæ villaticæ toto anno, præterquam duobus menſibus brumalibus, coeunt, & pariunt. Æſtate incubare ſolent. Intra vigeſimum diem excludunt. Non ſunt ijs plura, quàm viginti quinque oua ſubponenda. Viuunt frugibus, herbis, vermiculis, cæterisq. id genus. Africanæ duobus anni temporibus, circa hyemem, & circa æſtatem oua pariunt. Pariunt autem duodecim, & ad ſummum quindecim: quæ omnia incubant: &, niſi quid impedimento ſit, intra triginta dies pullos excludunt. Pituita laborare ſolent: iccirco humidis temporibus infeſtantur. Qui eas alunt, curant, vt ſemel tantum die bibant. Victu eodem, quo cæteræ Gallinæ, vtuntur. Sed oblectantur potiſſimum cibo locuſtarum, quas ſumma diligentia venantur. Gallus criſtam habet, quæ neque caro eſt, neque à carnis natura eſt aliena. Non ſatis acie oculorum valet. Cantu à media nocte ad occaſum fere certis, ac diſtinctis horis Solem ſalutat. Galli cantu Leo expaueſcit; ipſum ſi viderit, timet. Is autem timor Iamblico non verus timor, ſed reuerentia quædam videtur. Cauſam vero omnem in cæleſte principium refert. Cenſet enim iccirco id euenire, quòd tàm Leo, quam Gallus Solares ſunt, hoc eſt, à Sole, ſi eorum ſpectes naturam, pendent: magis autem Solaris eſt Gallus, quàm Leo. Nam, etſi Leo vim quandam, & robur à Sole accipit; Gallus tamen Soli ipſi dicatus eſſe videtur. Nam, præterquam

de re Ruſti. lib. 3. cap. 9.

in li. de myſterijs.

quam

quam quòd Solem continenter ſalutat, eius ortus certus eſt præ- nuntius, diei partes ſuo cantu diſtinguit; &, Sole recedente, veluti mæſtitia quadam affectus, canere deſinit. Cum igitur Gallus Leone magis ſit Solaris, merito Leo ſui domini proprium alitem agnoſcit, & veneratur. In locis frigidis Gallos non cantare, aliqui ſentiunt. Quod ego fabuloſum exiſtimo. Gallos, gallina mortua, oua foue- re, Plinius ſcriptum reliquit. Id quamquam incredibile non eſt, ra- ro tamen eueniſſe arbitror. Galli, alarum percuſſione concrepan- tes, & geſtientes, & ſtrepentes, tempeſtatem prænunciant. Inter ſeſe dimicant: victor inflatur, & longo tibiarum tractu graditur, & ſtatim cantat: victus ſilet. Rhodi, & Tanaræ pugnatores Galli na- ſcuntur. In India gallinacei ſunt maximi, qui non rubram habent criſtam, vt noſtri, ſed variam, quaſi coronam ex floribus contextã: pennas poſteriores obtinent latas, non in orbem reuolutas, quæ ſmaragdi colorem referunt. Theſſalonicæ locus eſt vicinus, nomi- ne Nibus, in quo Galli muti ſunt. Hinc de rebus factu difficillimis prouerbium emanauit: Cum Nibas Gallus cantabit, Galli ijs cibis, quibus Gallinæ, veſcuntur. *li. 10. c. 55.*

Gryphus, auis eſt quadrupes, alis tamen, & facie Aquilis ſimi- lis, cætera Leo. Equis infeſtus eſt. Gryphes in Scythia metalla cuſtodientes, cum aremaſpis, quos monoculos eſſe aiunt, aſſiduum bellum gerunt, his rapere volentibus, his, ne rapiant, prohibenti- bus. Gryphes Indici vngues Leonibus ſimiles habent; poſterioribus partibus nigri, anterioribus rubri exiſtunt. eorum alæ albæ ſunt, ocu- li ignei, os, & caput aquilinum: nidum in montibus conſtruunt. Contra omnia animalia, præter Leonem, & Elephantem, pugnant.

Halyetus, auis eſt ex aquilarum genere: de quo ita Ariſtoteles 9. de hiſt. ani. c. 82. Quintum Aquilarum genus eſt, quod Halyetus, hoc eſt, marina vocatur, ceruice magna, & craſſa, alis curuanti- bus, cauda lata. moratur hæc in littoribus, & oris: accidit huic ſæ- pius, vt, cum ferre, quod ceperit, nequeat, in gurgitem demerga- tur. Hæc Ariſtoteles. Hoc eſt illud aquilarum genus, quod tormen- ti bellici inſtar ad piſces capiendos deſcendere diximus, cum de A- quilis loqueremur.

Herodionem alij Ciconiam, alij Miluum, alij Fulicam, alij Ar- deolam putant. Hieronymus ſcribit, tria eſſe Herodionum genera, vnum album, alterum ſtellatum, tertium nigrum; quod & ſæuiſſi- mum eſt, & ſanguinarium, & pugnans, & ad coitum impatiens, ita, vt ex eius oculis cruor erumpat. Hic pullis faſcinationem metuens, calami coma nidum munit. Laro hoſtis eſt. Eſt & Herodion animal *In Amos. c.6. lib. 1.*

in lib. de ſoler. ani. ex oſtraceorum genere voraciſſimum, & cochleis, vt Plutarchus refert, infeſtiſsimum.

Hirundo, garrula, vt notum eſt, auis exiſtit. Numquam cicur efficitur; etſi Albertus ſe cicurem, & ad manus volantem vidiſſe ait. Ex luto nidum conficit, ac, ne pulli aliquo dolore premantur, ex ouium tergo lanarum floccos auellit, indeq. ſuis pullis nidum quam mollisſime conſtruit. Cibos ita diſtribuit, vt natos eo, quo ſunt nati, ordine paſcat. Quinque, vt plurimum, parere ſolet: qui tardum viſum accipiunt: ſed herba quadam admota viſum eis affert. hanc herbam licet multi ſummo labore quæſiuerint, nullus tamen adhuc reperit. Bis anno nidificat. ſi pullorum oculi lædantur, dum adhuc recentes ſunt, ſanitatem recipiunt. Vere aduenit, autumno diſcedit. Aduenit autem ex Africa, quo & reuertitur. Sola ex auibus, quæ aduncos vngues non habent, carnibus veſcitur. Cum iuxta aquam ita volitat, vt ſæpe penna percutiat, tempeſtatem futuram præſagit. eius volatus flexuoſus eſt. Interdum hirundinem albam *lib. 10. c. 35.* apparuiſſe, Ælianus eſt auctor. Idemq. ex Ariſtotele refert, in Samo albam hirundinem naſci.

lib. 2. Ibidum duo eſſe genera, Herodotus tradit; quorum alterum nigrum eſt, cruribus gruinis, roſtro maxima ex parte adunco; alterum pedes humanis ſimiles habet, gracile caput, colli pennas candidas, capitis, ceruicis, extremarum alarum, & natum nigras. Candidæ in tota Aegypto Ibides ſunt, ſed in Peluſio nigræ. Hæ ſerpentes in Aegypti fines ingredi prohibent: qui ſi quando ex Libyæ vaſtitate vento Africo, aut Nili alluuionibus inferantur, ab Ibidibus interficiuntur, atque conſumuntur. Nil igitur mirum eſt, ſi ſerpentes non ſolum Ibides, ſed etiam earum pennas metuant. Ibis ad Lunæ rationem pullos excludit: longiſsimæ eſt vitæ, & calidiſsimæ naturæ. In palmis ad euitandos feles nidificat. Aquam turbidam non bibit. Ex Aegypto numquam diſcedit. quod ſi aſportetur, inedia ſibi mortem conſciſcit. Homines Clyſteris vſum ab Ibide didicere. Victus etiam quendam modum in ea obſeruauere: Luna enim creſcente, cibi quantitatem auget; decreſcente, minuit. Hyenæ fel ibin occidit. Si crocodilus Ibidis pennis contingatur, immobilis redditur.

Ixion. Vide, Vultur.

Larus, auis eſt aquatica, colore fuluo, columba paulo maior, Fuliculam vulgo appellant.

Ligurius, ſplendide canorus eſt. Hic alio nomine Spinus appellatur, quod in ſpinis viuat.

Mergus

Mergus auis eſt, ita dicta, quod ſe in aquam, cibum captans, aſſidue mergat. Hic, futuram tempeſtatem præuidens, propere medio ex æquore reuolat, & ad littus cum clamore contendit. Cum alarum geſtu exultat, vehementem ventum prædicit. Cum Harpa inimicitias exercet.

Miluus, ex rapacium genere eſt, à voce, quam edit, ita, vt mihi videtur, appellatus. Carniuorus eſt, & carnibus, paruisq. pullis inſidiatur. Raro bibiſſe viſus eſt. Hybernis menſibus latet: ſolſtitijs podagra affici traditur. Cum Coruo pro victu hoſtis eſt. Cum Harpa amicitiam ſeruat. Vt faſcinationis periculum à pullis auertat, rhamnumnidis imponit.

Noctua, auis eſt varia, plumoſa. crura habet, & roſtrum curuũ: noctu vigilat, noctu volat, Solis fulgorem fugit. Die auiculæ omnes circum noctuam volitant. Hæc enim veluti venefica (ſic enim Aelianus eam vocat) ſuis illecebris, quaſi præſtigijs, aues ad ſe allicit, eisq. miris modis illudit. Quod animaduertentes aucupes, ea conſtituta diuerſarum auium genera capiunt. Cum autem magna auiũ multitudine circundatur, vt ſe defendat, reſupina pedibus obluctatur, &, in arctum collecta, roſtro, & vnguibus ſe totam contegit. auxiliatur ei accipiter, bellumq. cum ipſa partitur. Sexaginta diebus hyemis cubat. Si tempeſtatis tempore ſit garrula, ſerenitatem prædicit; ſereno tempore canens, tempeſtates prænunciat. In Creta noctuæ nullæ, vt aiunt, naſcuntur. Athenis multæ adſunt. Venatur noctua pro cibo mures, lacertas, verticillos, cæterasq. huiuſmodi beſtiolas. Apibus, veſpis, crabronibus, & hirundinibus infeſta eſt. Regi auium, corniciq. hoſtis eſt, ſed ſuper omnes orchilo, qui eius oua exedit. *li. 1. c. 30*

Nycticorax, eſt genus quoddam corui, quod noctu vagari ſolet. In parietibus habitat.

Onocrotalus, oloribus eſt ſimilis, ſed gula diſsimilis. Hanc enim capaciſsimam habet; in quam inexplebile animal victum congerit, quem in os redditum, ruminantis more, in ventrem defert. In Septentrionali Gallia Oceano proxima naſcitur. Duo ſunt onocrotalorum genera, alterum aquatile, alterum terreſtre: Illud aquas, hoc deſerta loca inhabitat.

Ortigrometa, eſt coturnicum Dux, cum ad nos adueniunt.

Paſſer, ſalax eſt. Mares ad annum viuunt. Fœminæ verò, ſunt viuaciores. Hic morbum caducum, vt aiunt, patitur.

Paſſer ſolitarius, paſſerum eſt aliquanto grandior, & ſubnigrior. Solus per domorum culmina incedit. cum nullo ſui generis, prætergquam

quam tempore generationis, congregatur. In parietibus habitat. cantu eſt ſuauis.

Pauo, ſeu Pauus, auis eſt ſpecioſa, diſcolor, & per totum tincta. furis more leniter incedit. vocem maxime ſonoram habet. capite eſt paruo, & ſerpentino, ſuarum pennarum pulchritudine gaudet. pedibus eſt deformis. ſemel anno parit oua ad ſummum duodecim, quæ fœmina abſcondit, ne maſculus conficiat: trigeſimum circa diē excludit. Parit à trimatu: amittit pennas cum arborum frondibus: recipit cum germine earundem. Viuit annos vigintiquinque. Cum caudam amittit, veluti pudibundus latebras quærit. Idem ijs victus, qui cæteris gallinis. inuidus, & maleuolus eſt, ornatuſque, & polituræ ſtudioſus. Columbarum eſt amicus, hominis verò amantiſſimus; adeo, vt, ſi hominem ab alia fera iniuria affectum perſpexerit, ei auxilietur. Contra pullorum faſcinationes lini radice vtitur. Pauus è Samo, ait Gellius, præſtantior eſt. Pauones plurimos Babylonia nutrit; India omnibus, qui vbique ſunt, maximos præbet. eos cibi gratia primus Hortenſius orator occidit. Pauonis caro tarde putreſcit.

li.7.c.15

Pellicanorum duo ſunt genera; alterum aquatile, quod piſcibus delectatur; alterum terreſtre, quod ſerpentibus viuit. Pennas canas habet. In Nili ſolitudinibus naſcitur. Dicitur pullos ſibi infeſtos roſtrorum colaphis interficere, eoſdemq. à ſe occiſos, in nido per triduum lugere, ſed deinde, ob pietatem, ſanguinem, quem ex proprio pectore à ſemet vulnerato elicit, ſuper illos fundere, atque ita eos ad vitam reuocare, eodemq. modo eis à ſerpentibus peremptis auxiliari.

Perdix, humi nidum conſtruit. Non eodem loco parit, & incubat, ne locus facile percipiatur. ſeptem diebus nidum contexit, ſeptem parit, ſeptem pullos nutrit. Perdices bina ouorum receptacula facere, & in altero marem, in altero fœminam incubare, & vtrumque oua excludere, Ariſtoteles tradit. Sed neſcio, quo modo id verum eſſe poſſit, cum ſatis conſtet, perdices fœminas oua abſcondere, ne maſculi ea perdant. Nam perdices ſunt adeo ad libidinem proclines, vt mares oua deſtruant, verentes, ne, dum fœminæ incubandi neceſſitati ſubiacent, ipſi interim venerea voluptate defraudentur. ex perdicibus, cum fœminæ incubant, mares inter ſeſe pugnant; &, qui victus receſſerit, Venerem à victore patitur. Perdicum pulli non expectant, vt oua à matre aperiantur, ſed magno impetu ouorum teſtas lacerant, ex quibus, cum primum exiuerint, ad cibi inquiſitionem proſiliunt. Perdix ad ſextum decimum annum;

6.de hiſt. ani. c.8.

&

& amplius viuere exiſtimatur. Acceptum vulnus origano curat. lauro ſe purgat. Aliena oua furatur, & fouet. ſed fœtus cum abſoluerit à nido euolat: & alienum parentem relinquit. In Boeotia nullæ ſunt perdices. Cum teſtudine inimicitias gerunt. cochleis ſunt infeſtiſſimæ: exquiſitum odoratum habent. Magnus eſt ipſarum aſtus. Nam, cum venatores prope earum nidum accerſerint, ad illorum ſe pedes prouoluunt, quaſi iam poſſint capi, atque ita venatores ad ſe capiendas alliciunt, donec pulli effugiant; tunc & ipſæ in ſublime efferuntur. Illæ, quæ aut ad cantum, aut ad certamen habiles ſunt, parum ſibi à venatoribus cauent, arbitrantes ſe, ſi capiantur, aut ad canendum, aut ad pugnandum aſſeruandas: quæ verò neutram ad rem ſe idoneas norunt, ſcientes nullo modo ſibi vitam condonandam, dant operam, vt macreſcant, arbitrantes, ſe hoc pacto periculum euaſuras. Perdices non modo canunt, ſed etiam ſtrident. Aiunt, eas in Paphlagonia duplex cor habere.

Porphyrio, vnus ex auibus morſu bibit: Galli amantiſsimus eſt. Refert Ælianus, Porphyrionem, cum herus gallum occidiſſet, inedia ſibi mortem conſciuiſſe. Hanc auem vltima pars Syriæ gignit. *li. 5. c. 28* De Porphyrione ita Ælianus ſcribit: Porphyrio formoſiſsimus eſt, *li. 3. c. 40* & ſimul nomen ſibi aptiſsimum habet. ex puluerulentis volutationibus inſatiabili gaudio completur. in locis, in quibus columbarum lauatio eſſe ſolet, lauatur, nec prius tamen ſe vel in puluerem, vel lauationem dat, quam in ambulationem veniens certa ſpatia confecerit. Cum paſcitur, ſe teſtes ſui prandij habere dolet. Itaque ſecedit, & latens in occulto comedit. Acerrima riualitate ardet, & mulieres, quæ ſunt ſine viro, obſeruat: ſi cum matre familias ſtuprum fieri cognouerit, ſe ſtrangulat. Volans, non ſublime fertur. Quod autem ex eo ipſo homines magnam lætitiam, voluptatemq. capiant, circa ipſius curam cibariorum proſpiciunt, diligenterq. illum alunt. in magnificis, ſplendidiſq. domibus Porphyrio ludicra delectatio eſt, quarum intra clauſtra ſacer, & ſolutus errat.

Pygarges. Aquila. Vide ſupra, Aquila.

Strutio, quam Ariſtoteles Struthionem Africam, Ælianus magnam, Plinius Struthiocamelum vocat, quoniam pennatas alas habet, inter aues connumeratur. volare tamen nequit, ſed explicatis duabus alis, & à vento inſtar velorum propulſis, celerrime graditur. Quare ei pennæ datæ ſunt non ad volatum, ſed vt currentem adiuuent. Bipes more alitum eſt. Vngulas in modum quadrupedum habet, Ceruis ſimiles, quibus dimicat, & biſulcas comprehendendis vtiles lapidibus, quos cum prope eſt, vt capiatur, in venato- *Ari. 4. de par. ani. cap. vlt. Æli. lib. 2. ca. 17. Plin. lib. 11. c. 37.*

res

res pedibus iaculatur. Cilia præter cæterarum auium morem obtinet. Vtrinque enim palpebras habet, quarum ſuperiores pilis, inferiores pennis conteguntur. Glaber eſt capite, & parte colli ſuperiore. Pennas habet pilis ſimiles, quibus milites in galeis vti ſolebant. Magnitudine ſuperat equitem equo inſidentem. Solitudini familiaris eſt. Stolida eſt auis: cum enim collum occultauerit, ſe totam latere exiſtimat. Quin etiam, cum oua peperit, in arena beſtiarum pedibus calcanda deſerit. Vnde in Scripturis, præterquam quod ſtupida eſt, Crudelis appellatur. Octoginta, & amplius ex ſe parit: non tamen vno, eodemq. tempore pullos excludit. Hæc auis inter volatilia ex minima maxima euadit. Omnia ſine delectu deuorat, & ferrum comedere dicitur. In Africa, & Æthiopia locis deſertis naſcitur, & nutritur. In eius ventre aiunt inueniri lapides, qui oculis ſunt ſalutares. Huius adeps, & nerui hominum neruis auxilium ferunt.

Thre. 4.

Turtur, ſubnigra auis eſt, aliquanto minor columba. Duo, vel ad ſummum tria oua, & bis anno parit. Ad octo annos viuit. Frugibus veſcitur. Cum bibit, collum non reſupinat, ſed large iumentorum more bibit. æſtate tantum videtur, hyeme latet. Aeſtate locis frigidis, hyeme tepidis degit. Solitaria eſt, & patientiſsima. Eſt inſuper caſtiſsima. nam, cum qua ſemel coierit, ſine ſtupro ad viduitatem vſque permanet. Quod ſi forte aut mas, aut fœmina adulterio ſe commacularit, mas à cæteris turturibus necatur, fœminæ ob miſerationem ignoſcitur. Se purgat herba, quæ Helxime vocatur. Ne pulli faſcinationem patiantur, Iridis fructum in nidis apponit. Cum Pirrhali, & Chlorio inimicitias exercet. Cum Ignaria pro victu pugnat. Certat cũ Luteo, ſed occiditur. à Pſittaco amatur.

Vlula, nocturna eſt auis, ex noctuarum genere. Nocte vagatur, & paſcitur. die raro apparet. lugubri vlulat carmine, & querula arboribus præſertim inſidet, & inſomnes noctes vlulatibus horridas reddit. Vlulæ fel ad albugines oculorum tollendas vtile eſſe aiunt.

Vpupa, criſtam habet flexibilem, quæ totam capitis longitudinem occupat. In deſertis locis fingit nidos, quos hominis ſtercore illinit, vt tetro odore inſidiatores repellat. Interdum in parietibus deſtructis nidificat. Tunc, ſiquis rimam, in qua nidus eſt, luto obſtruat, ipſa quandam affert herbam, qua parieti admota lutum diſſoluitur, ac defluit. Quæ nam verò herba hæc ſit, ignotum eſt. Faſcinationis remedium habet athiantum, quem Callitrichon quidam vocant. A dorcadis adipe interimitur. Indicam vpupam noſtra duplo maiorem, & formoſiorem eſſe, affirmant.

Vultu-

Vulturum duo ſunt genera; alterum, paruum, & albicans; alterum, maius, ac multiforme. Horum ille præualet. Vulturis neque nidum, neque pullum vnquam viſum eſſe, Ariſtoteles tradit: ſed *9 de hiſt.*
Plinius binos fœtus cerni aſſerit. Vultur in locis inacceſſis, & altiſſi- *ani.c.11.*
mis rupibus nidificat, & parit. Siſeris ſemen edit. Acute videt, *Plin. lib.*
acute odoratur; adeo, vt etiam tranſmarina, veluti ſcribit Hiero- *10.cap.6*
nymus, cadauera ſentiat. Aduerſus hominum cadauera infeſtiſſi- *in Matth.*
mus eſt: pergentes enim ad bellum exercitus conſequitur, conie- *cap.24.*
ctans in bello ſtrages fieri. Vnguentorum ſuauitate effugatur, & interdum perimitur. Cum Aeſalo pugnat. Aiunt, vultures omnes eſſe fœminas, & ex vento concipere. Ego vtrunque fabuloſum eſſe reor. Eſt etiam Vulturum genus, quod Ixion vocatur.

De Inſectis. Cap. IV.

APVM quatuor ſunt genera: primum, rufum: ſecundum, nigrum: ex ijs illud præſtantius eſt: tertium, quod eſt optimum: quartum, longum, crabronibus ſimile. Apis ex ciuilium genere eſt. Ciuiles verò animantes ſunt, quæ eundem inter ſe laborem communicant, quarumque opus communi opere efficitur. Apes ſibi conſtituunt regem, qui nunquam foras euolat, niſi cum tota plebe, à qua, cum forte volare nequit, etiam geſtatur. Hunc alij dicunt aculeo carere, alij contrarium affirmant. Nulla ex apibus otioſa eſt: quædam enim mellificant, quædam aquam regi, & ſenioribus apibus ad regis cuſtodiam ſelectis apportant; quædam mortuas apes ex alueo efferunt, vt faui mundiores permaneant. Apes ex floribus, & arborum lacrymis fauos conſtruunt, in quibus mel recondant. Sunt in alueis fuci ſine aculeo, apibus maiores, & ignaui: ſunt & fures, qui ampliore ſunt aluo, & nigri. Fucorum, & furum nullum eſt munus, niſi quòd iniuriam faciunt. Verum id non ſemper impune: plerumq. enim à bonis apibus occiduntur. Apes, cum aliquem percuſſerint, intereunt: quoniam ſine inteſtini emiſsione aculeus eximi nequit. Rubeta apes occidit: nec non clenis, ideſt vermiculus quidam, qui in aluei pauimento naſcitur. erucæ etiam ijs nocent. Paſtus apibus gratiſsimus eſt dulcis, & præſertim thymus, & mel. claram aquam libenter bibunt. Contra ventorum impetum volaturæ apes, lapil-

lum pedibus geſtant, ne ab itinere deduci poſsint. Tinnitu æris in alueum conuocantur. Num verò id voluptate, vel metu agant, incertum eſt. Præſagiunt hyemem, & imbres: cuius rei indicium eſt, quòd non auolant, ſed ſereno adhuc cœlo in alueo volutantur. Ne apes auolent, ex vino dulci afflandum eſt. Apis vna ex inſectis nullis putidis aſſidet. Cum vehemens eſt frigus, latet. Apium vermes, dum recentes ſunt, ſtercus emittere videntur: at, cum liniamenta receperint, neque cibum capiunt, neque egerunt, neque mouentur, donec apes efficiantur. Quo pacto, folliculo, quo continebantur, rupto, euolant. Veſpæ apibus aduerſantur. Mellis conficiendi duo ſunt tempora, vernum, & autumnale. Vernum mel ſuauius eſt; atque magis probatur id, quod auri colorem refert, quàm quod albicat: Illud enim è ſinceriori thymo confectum eſt. Verum hoc commodius vlceribus applicatur. Id quod apium opera efficitur, verum mel eſt. Nam, quod in Lydia apud Vrbem Collatibum ex myryha, ac tritico fieri ſcribit Herodotus, mel eſt adulterinum. *lib.7.*

Attacus. Vide, Locuſta.

Brucus. Vide, Locuſta.

Crabronum duo ſunt genera: alterum, nigrum, & rotundum, quod inter ſtercora verſatur: alterum, ſubruſum, & oblongum, quod in ſyluis, & arborum cauernis degit, & Sylueſtre appellatur. Illud mite eſt, hoc ferum, præſertim cum irritatur, cuius ictus ſine febri eſſe non ſolet: ſed huic hibiſcum herba medetur. Immo aiunt, eum, qui viginti ſeptem crabronum ictibus feriatur, interire. Crabrones ſub terra nidos faciunt. Autumno, vt plurimum, naſcuntur. Hyeme, vt cætera inſecta, latent, nec cibum capiunt: Iccirco eo tempore plurimi moriuntur. Ad duos annos viuunt. Sunt inter eos opifices, qui ſunt corpore minores, & hyeme moriuntur. Sunt & fuci, qui incertum eſt an aculeo armentur. Dubium etiam eſt, an crabronum matres aculeos habeant, quoniã non egrediuntur. Crabrones, auctore Plinio, nec regem ſibi conſtituunt, nec examen faciunt. Sed Ariſtoteles ait, eos habere duces, qui intus degunt, & examina facere, & fauos fabricare. Carne magna ex parte viuunt: venantur muſcas: pomum dulce appetunt: ex equorum putidis corporibus eorum ſoboles reparatur. De coitu Crabronum, & vnde fœtificant, nihil ſe exploratum habere, Ariſtoteles fatetur. *lib. 11. c. 21. Ariſt. 5. de h.a. c. 23. 9. de hiſt. ani.c.41.*

Culex, ex quibuſdam vermibus, qui aſcarides, ſeu tipulæ vocantur, gignitur. eſt, qui ex formiculis fæce vini aceſcente generatis originem trahat. eſt etiam, qui ex caprificorum pomis procreatur. ille vinarius, hic ficarius nuncupatur. Plinius glandarium etiam culicem *li. 17. ca. 24.*

licem ponit, quem ex dulci humore glandium corticibus ſubdito naſci Ait. Culex acida petit, ad dulcia non aduolat. Sanguinem, & potiſsimum humanum ſitit. Nocte volat, & nimium eſt infeſtus. Proportione maximam vocem, ſeu potius ſonum emittit. Moleſtus eſt glandibus, & fico. Infeſtat hortos, irriguos, præſertim ſi in iis ſint aliquæ arbuſculæ: ſed galbano accenſo fugatur. Iridis, & lupinorum ſuffitu necatur. Abſynthio ex oleo, & eodem accenſo abigitur. Sunt etiam parui quidam culices, qui vix cernuntur. Hi in Scripturis, vt ſentit Hieronymus, Cyniphes dicuntur. *In Ioel. cap. 2.*

Cyniphes. Vide ſupra, Culex.

Cynomia. Vide, Muſca.

Locuſta, ex coitu vermes generat, à quibus aliæ locuſtæ oriuntur. Parit exitu veris. Partus tempore, à vermiculis quibuſdam, qui eius collo innaſcuntur, ſtrangulatur. eodem tempore mares pereunt. In locis montanis, vt plurimum, locuſta non reperitur. Serpentem necat, omnia morſu erodit; & fruges populatur. Minores ſunt mares fœminis, quemadmodum in toto inſectorum genere. Locuſtæ arua vaſtantes à monedulis conficiuntur. Parthi locuſtas condiunt. Paruus fœtus locuſtæ, Brucus appellatur. Cum creuerit, priuſquam alas obtineat, Attacus, ſiue Ophyomachus nomitur.

Muſca, ex vermiculis fimi digeſti oritur. Immunda eſt, & indocilis. Audax eſt in cæteris; ſed, ſi in aquam incidat, ſe ſeruare nequit. Si cum humore pæne exanimatam extrahas, & in cinere condas, reuiuiſcit. Si ſerpentium carnem guſtauerit, longe infeſtiorem morſum affert. Cum in aromatibus apparet, pluuiam prædicit.

Muſcæ omnium ſaporum guſtus eſt. In Aſtreo flumine, quod inter Peroeam, & Theſſalonicam fluit, ſunt muſcæ, quæ audacia muſcas, colore veſpas, magnitudine, ac bombitatione apes referunt. Hæ, ſi hominis manu contingantur, natiuum colorem, & alas ſtatim amittunt. Muſca canina, quæ canum auribus potiſsimum inſidiatur, Cynomia nuncupatur.

Ophyomachus. Vide, Locuſta.

Veſparum duo ſunt genera: alterum, ferum; alterum, mitius: illud in montibus naſcitur, in quercu parit; ſpecie eſt nigrius, grandius, & porrectius; eſt varium, aculeatum, & mitiori robuſtius, atque ictu acerbius. Viuit toto anno; hyemat in latebra, & in maceria diuerſatur. Huius generis aliæ ſunt matrices, ſeu duces, aliæ operariæ, quemadmodum etiam in genere mitiori, quod ſub terra naſcitur. In vtroque genere duces ſunt maiores, ac mitiores, qui an aculeum habeant, ignoratur. operariæ annum non complent, ſed

hyeme moriuntur. Duces verò hyeme non pereunt. Duces æſtate ex congerie, ac terra fauos confingunt. Sunt & inter veſpas fuci, qui aculeo carent. Veſpæ temporibus ſiccis, locisq. aſperis ſub terra oriri ſolent. Cibus earum eſt flos, caro, & muſcæ, quas venantur. Ex equi putreſcentis medulla natæ Veſpæ euolant. Veſparum rex aculeo caret. Ferunt, Veſpam, cum viperam mortuam viderit, eius veneno aculeum imbuere, vt magis obſit. Veſpa eſt ex genere ciuilium, hoc eſt, earum animantium, quæ eundem vna laborem ſubeunt. Aiunt, eos, qui ſemel ſcorpionis ictu percuſſi ſunt, veſparum morſu non offendi. Veſpæ minores veſpas phalangias perimunt.

De Cutaceis. Cap. V.

VESPERTILIO, ſolus ex volucribus animal parit, & dentes habet. lacte in vberibus contento nutrit filios, quos etiam, dum volitat, alis, quæ pennarum loco ei inſunt, ſecum deportat. Culices, vt gratiſſimum cibum, comedit.

DIVINARVM
INSTITVTIONVM
LIBER OCTAVVS.
DE AQVA.

De Aquæ Natura. *Cap. I.*

SVB Aere ſitum eſt Aquæ elementum, quod Aere grauius quidem eſt, ſed Terræ leuius. Ad quod probandum illud maximo eſt argumento, quòd Terræ elementum proprio in loco non mouetur, tanquam id, quod veluti centrum ſubſidet; Aqua verò deorſum fertur, tanquã id, quod circa centrum, & ad centrum fertur. Aquæ figura, quemadmodum etiam Terræ, ad rotunditatem accedit; natura tamen earum exactè eſt rotunda; ſed ex vtraque efficitur globus, quantum rei natura patitur, rotundus, vt in ſphæricis elementis ab Aſtrologis abunde demonſtratur. Aquæ corpus eſt perſpicuum; nulla enim innata luce præditum eſt; ſed à lucidis corporibus non ſolum ſuperficie tenus, ſed etiam intrinſecus illuſtratur, quamuis difficilius, quam Aër, illuminetur; eſt enim Aere multo denſius. Aqua frigida eſt, & humida; ad potum, & ſordes eluendas idonea; nauigationi vtilis; piſcium, cæterorumq. aquatilium receptaculum. Nullus aquæ eſt ſapor, nullus odor, modo nihil ipſi admixtum ſit. Quare ea optima eſt, quæ nullius ſaporis, odorisve eſt particeps: hæc enim ne momentum quidem temporis in præcordijs commoratur. Aqua frigore duratur, calore liquefit, & feruet. Aquarum aliæ ſalſæ ſunt, aliæ dulces. Salſas ſolas marinas eſſe nouimus.

nimus. Dulcium aliæ ſunt fluentes, vt fontanæ, & fluuiales; aliæ collectitiæ, quæ alicubi ſcatentes colliguntur; vt paluſtres, & lacuſtres; quæ multitudine, & paucitate differunt; aliæ pluuiæ, quæ in puteis aſſeruari ſolent. Marinæ propter ſalſedinem ad potum ſunt ineptæ: etſi artificio quodam partes quædam ab ipſis ſeparari queũt dulces, & ad bibendum aptæ. Nam, ſi vaſis alicuius os cera occluſum marinæ aquæ admoueatur, per ceræ poros humor dulcis, & potulentus ingreditur. Dulces omnes ſunt potabiles. optimæ omnium ſunt tenues, ac leues. eiuſmodi ſunt, quæ cito caleſcunt, & æque celeriter frigeſcunt. Peſsimæ omnium, quæ decoctæ aut arenam, & limum in vaſis fundo relinquant, aut in vaſe æneo maculas faciunt, aut legumina tarde excoquunt. Hæ enim nitroſæ eſſe ſolent. Inter dulces Pluuiæ maxime laudantur: nihil enim illis eſt admiſtum, quod ſaporem corrumpat, & ſunt leuiſsimæ. Fontanæ etiã probantur, cum præſertim ex montibus defluunt, & ſaxoſis in locis ſcaturiunt. Fluuiales, cum ſæpenumero impura loca pertranſeant, non admodum puræ iudicantur. Lacuſtres, & Paluſtres, vt plurimum, ſunt impuriſſimæ, atque illæ præſertim, quæ cœnoſis in locis oriuntur. Hinc dicebat Hippocrates, Statiuas aquas, veluti ſtagnorum, ac paludum, difficiles eſſe. Sunt præter has, quæ primariæ ſunt, plurimæ aquarum differentiæ, & proprietates, quæ pro locorum, in quibus ſcatent, aut fluunt, natura illis conueniunt. Nam aquæ alibi calidæ, alibi frigidæ, alibi tepidæ naſcuntur. Aliæ ſunt nitroſæ, aliæ aluminoſæ, aliæ ſulphureæ, aliæ bituminex, aliæ acidæ, aliæ, vt diximus, ſalſæ, aliæ dulces, aliæ amaræ: multaque alia ſunt aquarum diſcrimina.

Plin. lib. 2. ca 25. Athena. li. 2. c. 2.

Qui autem exactam de aquarum proprietatibus hiſtoriam noſſe deſiderant, Plinium, & Athenæum legat.

Mare eſſe aquarum elementum, locum, & principium. Cap. II.

VERVM hic nonnullæ inſurgunt difficultates, quæ excellentes viros diutorſerunt. Hæ autem ſunt; An mare ſit aquæ elementum, atque etiam fluuiorum principium; Cur aqua maris ſit ſalſa; Cur dulci difficilius congeletur: & demum, Cur mare quibuſdam in locis fluat, ac refluat. Hæ omnes eo, quem propoſuimus, ordine exami-nandæ ſunt, & explicandæ. Plato in Phædone cenſet, aquæ elementum, locum, ac principium eſſe fluuium quendam, Tartarum nuncupatum, imaginatione potius conceptum, & Poetarum fabulis decantatum, quam aut ſenſu perceptum, aut ratione demonſtratum. Nam ab ipſo fluuios omnes oriri, & ad eundem, tanquam proprium locum, redire affirmat. Peripatetici verò aſſerunt, Mare eſſe aquæ elementum. Nam idem, inquiunt, eſt aquæ elementum, & locus. Locus autem aquæ eſt, ad quem omnia flumina confluunt. ergo & idem eſt aquæ elementum. Veruntamen inficiantur, Mare eſſe fluuiorum principium. hos enim non à mare egredi, ſed à vaporibus, in montibus præſertim, gigni, aſſeuerant. cuius rei illud afferunt indicium, quod aquæ in montibus, eorumq. radicibus maxime generantur: veluti experientia edocemur. Nam, vt Aſiæ fluuios prætereamus, in Europa Iſter, & Rhenus è Ratijs montibus, ex Apennino Tanarus, Trebia, alijq. plures; ex alpibus Ticinus, Mincius, & quamplurimi alij erumpunt. Mihi quidem Peripateticorum ſententia probatur, dum dicunt, Mare eſſe aquæ elementum: ſed, vt verum fatear, non video, quo modo tueri queant, Mare eſſe aquæ elementum, cum negent, ipſum aquarum eſſe principium. Ipſi enim, vt diximus, arbitrantur, aquarum omnium principium eſſe vapores, & ex ijs flumina omnia, aquaſq. omnes generari. Hæc autem inter ſeſe pugnare videntur, vt aliud ſit aquæ principium, aliud elementum. Quis enim dicet, terræ, aut aeris elementum non eſſe cuiuſlibet partis, vel terræ, vel aeris principium? partes enim à toto ſecerni, neceſſe eſt. Nam neque pars aeris ab alia re, quam ab aere, neque pars terræ ab alia re, quam à terra, accipietur. Quòd

ſi idem

ſi idem eſt aeris, ac terræ elementum, & principium, cur non erit idem aquæ elementum, & principium? Aut igitur mare vtrunque eſt, aut neutrum. Sed hæc ad homines ſint dicta. Simpliciter autē illud mirum valde eſt, flumina ex vaporibus generari. A quà enim, quæſo, vi tanti vapores aſſidue eleuabuntur? A vi Solis, inquiunt. Admirabile, immo incredibile eſt, tot in locis tantos vapores ictu oculi, atque indeſinenter efferri, in locis præſertim frigidis, vbi omnes enumeratos fluuios ſcaturire, compertum eſt. At demus, id fieri poſſe: quo modo tot vapores tam ſubito in tantam aquarum copiam conuertentur? Nam neceſſe eſt, vt ipſe quoque Ariſtoteles Meteororum primo ſcriptum reliquit, vapores in terræ viſceribus exſtentes primum refrigerari, deinde in ſtillas conuerti, poſtremò guttas diſperſas coire, non ſecus, ac quando aqua pluuia gignitur, id autem non momento, ſed aliquo temporis ſpatio fieri conſpicimus. Quod ſi ſupra terram exiſtentes vapores tam difficulter, tantoque temporis ſpatio in aquam vertuntur, quo modo putabimus, non idem in vaporibus intra terram exiſtentibus euenire? Nam, etſi ob caloris defectum hi forſan facilius illis frigeſiunt, tamen, quoniã ob eandem cauſam difficilius efferuntur, fieri non poteſt, vt tanti eleuentur vapores: quanti ad ſubminiſtrandas aquas tot inſignibus fluuijs ſatis eſſe poſſint. Dicant rurſus, oro, quo è corpore tanti vapores extrahentur? Num ab ipſis fluuijs, & poſtea in aquas verſi in ipſos rurſus delabentur? At breui fluuij omnes defeciſſent. Ponamus enim, alicuius fluuij centeſimam partem quotidie mare ingredi, & ex cæteris fluuij aquis vapores aſſidue eleuari, cum ex vaporibus gigni nequeat maior aquæ moles ea, quæ prius in vapores verſa fuerat, neceſſe eſt, fluuium in dies minui, ac demum aliquando deficere, cum aquæ iactura nulla ratione ex hiſce vaporibus reparari poſſit. Num forte tanti vapores è terra educentur? Aſſeuerare auſim, ſi tanti è terra vapores educentur, vno menſe, ne dicam die, omnes terræ vapores exhauſtum iri. Confingant Peripatetici quas vis rationes: nunquam in cauſa me adducent ſententiam, vt fatear, vapores fluuiorum eſſe principium: etſi non infitior, ex vaporibus aliquas aquas, non tamen perennes, generari. Georgius Agricola, cum animaduertiſſet, hanc Peripateticorum ſententiam defendi non poſſe, aliud excogitauit commentum. Dicit enim, aquarum aliam colligi ex imbribus, aliam ex halitu, qui partim ex aqua pluuia, partim ex marina, partim ex fluuiali educitur: atque hos omnes vapores fluuiorum initium eſſe. Verum hanc ſententiam, quæ, vt mihi videtur, ne latum quidem vnguem à Peripateticorum decretis,

Cap. 13.

Lib. 1. de ſubteraneorum ortu.

tis, quæ forſan Agricolæ non recte expendit, diſcrepat, eadem, quæ Ariſtotelem, incommoda ſequuntur. At Seneca, ne in aretum cogeretur, præter vapores, ſtatuit, terræ in aquam perpetuam mutationem fluuiorum eſſe principium: ſed hæc ſententia facile refellitur, tùm quòd non ita facile terra in aquam verti poteſt, tùm quòd non minus aquæ in terram, quam terræ in aquam transmutatur. Quare, cum tantum aquæ in terram, quantum terræ in aquam conuertatur, nihil hæc mutatio ad fluuiorum perennitatem confert: Hæc itaque ratio à Seneca adiuncta nihil ad rem facere videtur. *Nat. quæ lib. 3. cap. 10.*
Nos itaque cenſemus, mare non modo locum, & elementum, ſed etiam principium fluuiorum omnium eſſe. Id autem etſi Sacrorum librorum auctoritate aperte comprobare poſſumus; prius tamen naturali ratione perſuadere enitemur. His i mare fluuiorum eſſent principium, atque omnia ab eo flumina egrederentur, in infinitam prope altitudinem excreuiſſet, terramque omnem inundaſſet. Tot enim tantique fluuij in illud ingrediuntur, vt, quod diximus, neceſſe fuiſſet euenire, niſi ingreſſæ aquæ aliunde emitterentur. At reſpondent, Solis vi ingreſſas aquas obſumi. prodigio ſimile eſt, tantam aquam, Septentrionalibus maxime locis, Solis ardore momento exhauriri, cum tamen videamus, minimam pluuiorum aquarum partem, quæ in maris littore extat, difficulter, & aliquo temporis ſpatio conſumi. Sed reſpondeant, oro, num tanta aquarum moles Solis vi in nihilum redigatur, an in aliud quidpiam corpus conuertatur, an, poſtquam in vapores verſa fuerit, himet vapores mira naturæ operatione in fluuiorum caput redeant, vt rurſum in aquas trans mutentur. Primum naturæ vi fieri nequit. Quemadmodum enim, ſi eorum adhæreamus principijs, ex nihilo nihil fit, ita aliquid in nihilum redigi nequit; ſed neceſſe eſt, vt aut in priorem materiam redeat, aut in aliquod corpus conuertatur. Tertium, vt ridiculum, niſi ad diuinam operationem, cui ipſi metas præſcripſerunt, recurramus, nullo modo admittent. Secundum opinor, concedent. Num igitur tot elati ex aqua vapores denuo in aquam conuertentur? At idem ſequetur abſurdum. quidquid enim Solis vi efferiri contigerat, reſtitueretur; atque ita, veluti dicebamus, mare ex neceſſitate ſupra modum creſcens omnem ſibi terram ſubieciſſet. Num in aerem mutabuntur? At hic mirum in modum craſſeſceret, puritatemque omnem breui amitteret. Non igitur mihi credebile videtur, vapores fluuiorum initium eſſe; ſed illud potius aſſerendum, fluuios omnes è mari egredi, & rurſus in ipſum ingredi. Id Salomon nos edocuit, cum dixit: Omnia flumina intrant in *Eccleſ. 1.*

mare, & mare non redundat. Ad locum, vbi exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Flumina autem ex montibus, ipſorumque radicibus, vt plurimum, prodeunt, non quòd plures in montibus, quam in planicie, vapores gignantur, ſed quoniam in ipſis plura, maioraque loca concaua exiſtunt, quæ plena aquis continenter è mari in ipſam ingredientibus, ingentium aquarum, ex quibus fontes, ac flumina generantur, copiam eruetant. Hanc veritatem Franciſcus Vicomercatus ſecundo Meteororum libro infringere tentauit, dum Animalis, in cuius verba iurarat, ſententiam tueri conatur. Inquit enim vir ille, alioqui doctiſſimus, aquam maris non poſſe in altiſſimos montes aſcendere. Nam, cum aqua maris illis humilior ſit, fieri non poteſt, vt eo aſcendat: ſiquidem aquæ id proprium eſt, vt non plus aſcendat, quam deſcendit. ſi igitur locus, ex quo aqua deſcendit, humilior eſt, quonam pacto eadem in montes aſcendit? Reſpondemus, tantum aquæ marinæ, præter eius immenſam molem, æſtum eſſe, vt ex neceſsitate ſemper aquæ pars aliam aquæ partem impellat; atque is impulſus eſt tantus, vt aqua non modo ad heuam, ac dextram, ſed etiam ad ſupernam partem maximo impetu feratur, donec in quædam perueniat ora, ex quibus egredi poſsit. Cum enim aqua in terræ concauas altitudines ingreſſa fuerit, ac magna ſubinde eius copia aſsiduo æſtu propulſa priorem ſemper ſubſequatur, neceſſe eſt, vt ijs in locis, veluti in caſtello quodam arte fabricato, concluſa tumeſcat. Quare, cauis locis aqua repletis, & aqua aquam aſsidue ſubſequente, aqua, velit, nolit, aſcendit. Cumque is aquarum impulſus continuus ſit, tum aquæ indeſinenter foras erumpunt, tum fluuij numquam deficiunt. Quod autem inquit Vicomercatus, aquam non plus aſcendere, quam deſcendit, non ab omnibus probatur. Architecti enim artiacio quodam efficiunt, vt aqua in altiora ijs, ex quibus defluxerat, loca conſcendat. Quod ſi aquarum tanta, quanta in mari eſt, illis copia præberetur, ad nubes vſque aquas adducerent. Quod igitur ars famula efficit, naturam dominam poſſe inficiabimur? Hanc reſpondendi formulam quamuis animo non concepiſſemus, nos tamen edocere potuiſſet idem Vicomercatus; qui, Meteorum primo, quærens, quam ob cauſam aquæ intra terram genitæ, ex quibus fontes, fluuique generantur, ſurſum aſcendant, cum aquæ natura deorſum ferantur, reſpondet, id euenire, quòd ſuperior aqua ab illa, quæ inferius generatur, pulſa veluti vi quadam acta conſcendat. Si, bone vir, tanta eſt eius, quæ deorſum generatur, aquæ vis, vt ſupra ſe exiſtentem alteram aquam impellens

ad fon-

ad fontes aſcendere cogat, cur negemus, eandem vim aquis in eſſe marimis? quæ ob aſsiduum æſtum adeo vrgentur, vt quoquo verſus impelli poſsint? Cenſemus itaque, vt Sacri libri teſtantur, Mare fluminum omnium principium eſſe. Sed, nunquid idem de cæteris fontibus ex quibus fluuij non generantur iudicandum putabimũs? fontes perennes ex mari ortum ducere, arbitramur: non tamen negamus, fontes aliquos non perennes ex vaporibus generari. Nam, vt ſtatuimus, mare magnorum fontium initium eſſe, ita non negamus, fontes quoſdam ex vaporibus oriri: qui quoniam ad ſuppeditandam, quanta ſatis ſit, aquam idonei non ſunt, æſtate exiccantur, atque euaneſcunt, hyems redeat. Quo tempore ob vapores ex imbribus conceptos rurſus ſcatere incipiunt. Aliæ ſunt de fluminum ortu ſententiæ, qũas vt friuolas conſulto prætermimus. Sed quæret aliquis: quæ nam ſit, ſi mare eſt aquæ elementum, ac principium, vt natura ipſum ſalſum eſſe voluerit? Ratio enim probabilis perſuadere videtur, ipſum ſi eſſent aquæ elementũ, non debere ſalſum eſſe, cũ aqua ſuapte natura humida ſit, & frigida, ſalſum autem omne ſit calidum, Præterea, ſi flumina è mari exeunt, quomodo ipſam exiſtunt dulcia? Rationi enim conſentaneum eſſe videtur, vt, quemadmodum mare, ita quoque flumina, quæ ex ipſo egrediuntur, ſit ſalſa. Sed facile hæ rationes diluuntur. Nam, licet mare ſit aquæ elementum, ipſum tamen ſuo in loco ſalſum eſſe expediebat ſunt enim multi piſces, qui in aqua dulci non viuunt. Ne igitur locus, vbi hi piſces viuerent, deeſſet, mare ſalſum effectum fuit. Accedit, quod longis, periculoſiſque nauigationibus mare in ſeruiturum erat: quod dulce præſtare cõmode non poteſt, ſalſum autem exhibet. Nam, ſi dulces eſſent maris aquæ, naues, aut validis ventis agitatæ, aut nimium oneratæ facile perirent. Dulcis enim aqua, cum ſalſa multo tenuior ſit, ac leuior, difficulter grandia pondera ſuſtinere poteſt, ſalſa verò, cum craſſior exiſtat, facile ſuſtinet. Quod cum aliqui ignorarent, cum in aquis dulcibus, veluti in ſalſis ſoliti erant, naues præter modum oneratas impoſuiſſent, earum ſummerſionis, vt Ariſtoteles refert, cauſa extiterunt. Prætera, ex aqua marina ſal humano vſui adeo neceſſarium conficiendum erat, cum ſalis montes non vbique reperiantur. autem fieri non poſſet, niſi maré ſalſum eſſet. Quoniam verò maris aqua potui deſeruitura erat, per abditos terræ cuniculos continenter emittitur, atque inter eundum colata dulcis, & potui apta redditur, & ex ipſi fontes, fluuique generantur. Atque hæc eſt cauſa, vt, quamuis maris aquæ ſalſæ ſint, fontes tamen, ac fluuij dulces exiſtant. Non enim ſalſe-

Metao 2. c. 4.

do tanti eſt, vt principes aquæ proprietates deſtruat, licet magna ex parte immutet. Quare nil mirum eſt, ſi ſalſis illis, & craſſis partibus marinæ aquæ admixtis, veluti recremento quodam, ſeparatis, proprie qualitates conſeruentur. Sunt, qui de fluuiorum principijs aliter ex Sacris litteris ſe differere poſſe arbitrantur; ac dicunt, flumina non à mari, ſed à fluuio, qui à Paradiſo voluptatis erumpit, oriri, cum ſcriptum ſit fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum qui inde diuiditur in quatuor capita. Sed ſciant iſti fluuium illum non poſſe eſſe omnium fluuiorum initium, ſed quatuor tantum, quæ ibi Sacra Scriptura exprimit videlicet. Nili, Gangis, Tigris, & Euphratis. Quapropter dicendum iure eſt, fluuium illum voluptatis, & ſi dicta flumina ab ipſo egrediuntur, à mari exire, & ex ipſo illa tantum flumina quatuor emanare.

De Maris Salſedine. Cap. III.

DE maris ſalſedine variæ fuerunt Philoſophorum ſententiæ. Alij enim dixere, terram à fluuijs delatam, & aquæ admixtam, ſalſedinem gignere. Nam terra, vt aiunt, ſuapte natura aquas inficit. Alij cenſuere, mare ſalſum eſſe, quod aquarum ſit excrementum: excrementa enim omnia, ſiue humida ſint, vt vrina, ſiue ſicca, vt ſtercora, ſalſa exiſtant. Nanque illud, quod à calore vinci nequit, ob ſiccitates mixtionem, ſalſum eſſe neceſſe eſt. Alij putauere, terræ æternum ſudorem ſalſedinem generare: ſudor enim, veluti cætera recrementa, ſalſus eſt. Alij aſſeruere, Solis calorem ſalſedinis cauſam eſſe. nam eius ardore humidę, tenues, ac dulces partes ſegregantur: quare, quod remanet, ſalſum eſt. ſi enim à re quapiam humidæ, partes omnes ſecernantur, quod relinquitur, amarum eſt; ſin autem non omnes, ſalſum euadit. Ariſtoteles ſalſedinis cauſam ad exhalationes retulit, Ait enim, *Mete. 2. cap. 3.* eſſe aliquas terræ partes, quæ Solis ardore exuſtæ ſiunt. Cum igitur vapores, exhalationesque ſurſum offeruntur, cenſendum etiam eſt, plurimum etiam exhalationis à terra illa exuſta educi, & eleuari: cumque hæc vna cum vaporibus in mare decidit, ipſum ſalſum reddit. Theopraſtus, vt Olympiodorus refert, terram ſalſam mari ſubiectam ſalſedinem producere affirmauit. Prima opinio vera eſſe nequit. Si enim ob terræ à fluuijs delatæ mixtionem ſalſedo

euenit

euenit, cur lacus Caſpius, Mare appellatum, in quem, vt teſtis eſt Metheorum primo Ariſtoteles, multa inſignia flumina influunt, ſalſus non eſt? Cur item Mæotis palus, quæ eodem authore, præter Zanaim, multos præclaros, atque ingentes fluuios excipit, dulcis eſt? Non deſunt alij lacus, quos magni fluij plerique ingrediuntur, & nihilominus ſalſi non ſunt, cum tamen conſtet, hos omnes fluuios ſecum terræ multum in eoſdem lacus deferre. Præterea, cum non omnis terra præſtare queat, vt ſalſum quid efficiatur, ſed ea tantum, quæ cineris more aduſta eſt, (ex hac enim cum humido corpore commixta ſalſedo procul dubio oritur) dicant, quæſo, vnde à fluuijs tanta huiuſce terræ exportari poſſit copia, quæ mare vniuerſum inficere, ſalſumque reddere poſſit. At id rationis fines egreditur. Iure etiam rationem afferre debent, cum dicant, fluuios per huiuſmodi terras aduſtas labentes aſſidue illas in mare deferre, cur, cum flumina per eas incedentia, eaſdemque deferentia ſalſedinem non contrahant, mare tamen, in quod terra illa iam diluta, atque iccirco ſapore omni deſtituta, infertur, ſalſum fiat? Qui autem volunt, mare eſſe aquarum excrementum, quod fluuij in illud illabantur, ibique ſubſiſtant, fateantur, neceſſe eſt, ob eandem cauſa lacus quoque eſſe aquarum excrementum. Nam, & in ipſos flumina confluunt. Cur igitur lacus ſalſi non ſunt. Opinio de terræ ſudore, vt anilis, prætereatur: nullus enim terræ ſudor eſt. nam ſudor eſt alimenti recrementum, qui tunc efficitur, cum motu, & calore quicquid ad ſanguinem, carnemque procreandam idoneum non eſt, ſecernitur, & per poros emittitur. Id autem liquet in terra contingere non poſſe. Neque putandum eſt, Solis ardore mare ſalſum fieri, quoniam ſcilicet Solis vi tenues, ac dulces partes ſeiunguntur, & craſſæ remanent, quas ſalſas eſſe neceſſe eſt ſi enim iccirco mare ſalſum fieret, id cæteris quoque aquis, & præſertim ſtatiuis eueniret, à quibus minore laborem, quam à mari, ſubtiles partes ob earum exiguitatem diſtrahi poſſunt. Ariſtotelis de vaporum, exalationumque mixtione cauſa mihi non ſatis probatur ſi enim id eſſet, & paludes, & vniuerſæ denique aquæ ſalſæ euaderent. Fingi enim nequit, aliter exhalationes è terra mari proxima elatas, aliter eaſdem à locis ſtagnis finitimis aſcendentes exuri, cum Sol in æque tu has, atque in illas agat. Præterea, figmento ſimile eſt, aſſerere, aquas, pluuias ab exhalationibus vaporibus admixtis genitas, quæ in mare decidunt, ſalſas eſſe. Quinimmo, dulces eſſe, experientia edocemur. Nam, ſi aliqua tales futuræ præſertim id accideret, cum à Solis ardore exuri facile poſſunt. Atqui contrarium

Meteo. 1. cap. 13.
Meteo. 2. cap. 1.

rium

rium experimur. Aque enim pluuiæ omnes, & quæ in ipſum met mare decidunt, quolibet tempore dulces ſunt, non ſalſæ. Theophraſti opinio (etſi nihil aſſerimus) probabilior videtur: fortaſſe enim terra ſub mari exiſtens ſalſa ab initio facta eſt, vt mare ſalſum reddere poſſet. Cuius rei indicio ſunt non nulle ſalis montes, qui apud mare inueniuntur. Quam vero ob cauſam mare ſalſum factum fuerit, ſuperiori Capite expoſuimus.

Cur Mare difficile congeletur. Cap. IV.

CAVSA verò, cum Mare difficillime congeletur, ea eſt, quod Calidum exiſtat. omne enim ſalſum calidum eſt. Calidum autem difficillime congelatur. Nam, niſi frigus adeo vehemens ſit, vt calidi vim exuperet, congelatio nullo pacto ſubſequitur. Quare maria, quæ in regionibus aut calidis, aut temperatis extant, numquam conglaciant: quæ vero in regionibus ſunt frigidis, quoniám multoties calidum à frigido vincitur, congelantur. Nam ad Septemtrionalem plagam, Thulem verſus, mare eſt glaciale: & inter Gothos, & Danos mare quoddam interiacet anguſtum, quod hyeme adeo gelu obdureſcit, vt in eo vtroſque pedeſtri certamine plerumque inter ſe confligere Io: Magnus referat. Narrauit mihi Frater Petrus Paulus Belga, Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini, ſuperioribus annis, hoc eſt anno Domini. M. D. LXV. ſecus Antuerpiam mare ita glacie concretum eſſe vt ſupra gelu ligneum hoſpitium contractum ſit, ad quod velut miraculum quoddam finitimi omnes accurrebant, ac tota hyeme ædificium illud conſtitiſſe, nec prius glaciem fuiſſe diſſolutam, quam ver aduentarit. Impediunt quoque maris congelationem venti, qui aſſiduis flatibus illud exagitãt.

De fluxu, & refluxu Maris. Cap. V.

EXPERIENTIA edocemur, Maris aquas fluere, & refluere. Atque hunc motum aliquibus in locis, præſertim anguſtis, perſpicuum eſſe, in ſummo vero pelago valde obſcurum. Quare in Pharo Siciliæ, & in Hadriatico, & in Occidentali pelago, vbi loca anguſta ſunt, maris æſtus bis in die naturali conſpicitur: patentia verò ac lata maria huic motui non admodum ſubiacent. At fontanæ, fluuiales, & lacuſtres aquæ, licet deſcendant, non tamen refluunt. Difficillimum eſt hoc de Maris æſtu problemata cum potiſſimum Ariſtotiles, quamuis multas de Mari dubitationes tum in Problematibus, tum in Meteorologicis propoſuerit, nihil de eius æſtu meminerit, niſi quod Meteororum ſecundo dixit, Mare in anguſtijs fluere. Quod num de Maris æſtu intelligendum ſit, an de eius fluxu, à Septentrione in meridiem, incertum eſt Certe Cælius refert, Ariſtotelem, huius Problematis tædio confectum, nihil de eius veritate decreuiſſe. Nos autem, quæ ab alijs magis probabiliter dicta ſunt, referemus. longum enim eſſet omnium opiniones recenſere. fluxus, & refluxus cauſam referunt ad Lunam, quæ humidis corporibus dominatur: ipſius enim lumen, atque influxus, quibus aquis præeſt, nunc illas tumidas reddens impellit, nunc tumefacere deſinens retrahit. Cum enim Luna ex Horizonte emergit, aquæ fluere incipiunt, cum verò ad cœli culmen peruenerit, refluunt, donec Luna ſub Horizonte occultetur: tunc enim aquæ rurſus fluere incipiunt, atque fluxus hic durat, quouſque Luna medium cœli ſub terra exiſtentis attigerit; quem locum vbi tranſgredi cœperit, aquæ iterum refluunt, donec Luna ad Orientem ſe receperit. In arctis locis maximus hic Lunæ damnatus apparet. ſed in vaſto mari, & ſi aquæ aliquatenus fluunt, refluunt, æſtus tamen non ſatis manifeſtus eſt: libramentum enim potius, quam fluxus, & refluxus videtur. Huius rei ea cauſa eſt, quòd vis Lunæ modicum aquæ corpus vim ſuam omnem experiri cogit: aquarum vero immenſam, ac prope infinitam molem ſibi ſubijcere nequaquam poteſt, licet ſuam vim in illam aliqua ex parte exerceat. In dulces verò aquas Luna non eodem modo influit: non enim multam ſuper

eas

eas moram trahit, ſed veluti pertranſiens ipſas pertingit. Nam, ſi tanto temporis ſpatio ſuper illas, atque ſupra mare, hoc eſt continenter diebus, ac noctibus omnibus immoraretur, mihi perſuaſum habeo, Lunam non minus eas, quam ipſum met mare modo adductam, modo reducturam. Aiunt alij, id euenire, quòd, cum aquæ dulces tenuiſſimæ ſint, ac vapores facillime emittant, difficulter induci poſſunt, vt tumeſcant: corpus enim, in quod Lunarium radiorum virtus recipitur, craſſum eſſe debet. Quare dulces aquæ æſtuare nequeunt. Aeſtus nunc maiores ſunt, nunc minores. Nam hyeme ſunt maiores. Maiores item ſunt, cum Luna Soli aut iungitur, aut opponitur, aut in quartis reperitur. Reliquis temporibus minores ſunt. Ex quo quidam arbitrati ſunt, Solem ad hunc effettum producendum concurrere. Quædam maria, craſſiſſima ſunt, non æſtuant, vt Mare mortuum. Non autem omnibus in locis maris æſtus equalis eſt. Nam in mari Gineghæ, quod iuxta Æthiopiam ſitum eſt, dicunt aquas quatuor horis fluere, octo refluere. Sunt alia maria, quæ ſemel, aut bis in menſe æſtuant. Prioris inæqualitatis cauſa locorum ſitui, poſterioris aquæ nimiæ craſſitudini aſcribenda videtur. Nam, etſi aqua, niſi craſſa ſit, æſtuare nequit: cum tamen craſſitudo maxima eſt, æſtus difficiliter generatur. Sunt aliæ de Maris æſtu dubitationes: quas qui exacte noſce deſiderat, Ariſtotelis interpretes Meteororum ſecundo legat. Nam nos ad alia properamus.

De Aquatilibus. Cap. VI.

AQVATILIVM alia in maiori, alia in dulcibus aquis viuunt. Illorum alia ſemper in mari verſantur, nec vmquam ad dulces aquas egrediuntur, vt mulli, & pagri: alia dulcibus aquis interdum delectantur, vt mugil, & lupus: alia vero dulces aquas ſemper incolunt, neque mare ingredi ſolent. Aquatilia cibo in aqua reperto contenta, vt plurimum ſunt. Sed non deſunt, quæ è terra victum petant, vt crocodilus: omnia verò dulci aqua nutriuntur, ſiue in dulci, ſiue in ſalſa aqua viuant. Nam multum aquæ dulcis ſalſis ineſt, vt ſupra explicatum fuit. Aquatilium alia ſunt ſquamoſa, vt aurata, ſcarſus, alia ſquamis carent, quæ & cartilaginea dicitur, vt anguillæ.

læ. Rurſus quædam ſunt mollia, vt ſepia; quædam cruſtacea, vt cancri; quædam teſtacea, vt oſtreæ. Aliæ item oua pariunt, aut extra, vt tinca; aut intra, & deinde animal excludunt, vt cartilaginea omnia, præter ranam; alia animal ſine ouis pariunt, vt cetacea omnia, veluti balena, delphinus, bos marinus. Non omnia aquatilia ex ſemine oriuntur, ſed ſunt aliqua, quæ ex ſola putredine naſcuntur, veluti anguillæ, & piſces quidam foſſiles, Ceſtriæ vocati, quos apud Narbonenſes reperiri Strabo eſt auctor. Sunt etiam alia, quæ partim ex ſemine, partim è putredine gignuntur, vt ranæ. Cartilaginea id habent peculiare, vt ſemper fœteant. Vterum verò ſex menſibus gerunt. *lib. 4.*

Cancer.

Duo cancrorum genera eſſe, Aelianus tradit, alterum ſaxatile, alterum lunarium, quod colore candidius eſt. At Ariſtoteles quatuor eſſe cenſet, primum maximum, quas Maias appellant, ſecundum Paguri, tertium Fluuiales, quartum Minutiores vocantur. Plinius ſex genera, & plura enumerat: ſic enim ait: Cancrorum genera, Carabi, Aſtaci, Iacineæ, Paguri, Hemeleotici, Leones, & alia ignobiliora. Carabi à cæteris cauda diſtant. Hæc Plinius. Differt mas à fœmina magnitudine, craſſitudine, & operculo: id enim in fœmina eſt amplius, diſtantius, hirſutius & opacius. Cancris vita eſt longa. Præter pedes, cancri bina habent bracchia, Forcipum more, quorum dextrum ſiniſtro grandius, & validius eſt. Forcipis ſuperiorem partem tantum mouent; quod ideo factum eſt, vt validius comprehendere poſſint. Quaternis pedibus incedunt, quamuis cętera animalia duobus tantum regantur. Hyeme aprica littora incolunt, æſtate in ima gurgitum recedunt, aut in cauos ſe recondunt. Autumno, & vere, & cum ſegetes conduntur, pingueſcunt, ſed plenilunio, quemadmodum & cætera cruſtacea, ſunt pleniores: eius rei ea cauſa eſt quod cum ſint exangues, plenilunio adiuuantur Lunæ calore, qui per id tempus noctes tepidiores efficit, eoſque pleniores reddit. Canceri in Phœnice adeo curſu veloces ſunt, vt eos vix conſequi poſſis. in pauore pari, qua ambulare ſolent, velocitate retrorſum redeunt. Inter ſe dimicant. Aduerſus ſerpentium ictus origano medentur. Exuunt ſenectutem, duram cruſtam dimittendo, cuius loco alia admodum mollis enaſcitur. Cancrorum cibus vulgaris eſt: quidquid enim illis offertur, comedunt. ſegetum verò adeo auidi ſunt, vt nocte ad illas exeant deuorandas, quibus & mirum in modum pingueſcunt.

Aeli. lib. 6. c. 70. *lib. 7. cap. 25.* *Ari. 4. de hiſt. ani. cap. 2.* *li 9. c. 31.*

Cetus.

Cetus, cuius pluralis numerus Ceti, & Cete nullius inflexionis, dicitur piſcis quilibet magnus, qui non oua, ſed animal parit: cuiuſmodi ſunt balena, delphinus, piſtris, orca, bos marinus & ijs ſimiles piſces. Cuilibet Ceto fiſtula data eſt: quam Delphini à dorſo, Balenæ à fronte habent. Fiſtula eis data eſt pulmonis cauſa, vt ea humorem, quem acceperunt, reſpuant. Cetaſſa enim pulmonem habent, quod maiora animalia calorem requirunt, vt moueri queant. Ganges Indiæ fluuius procreat cete, é quorum adipe farinæ conficiuntur. Boriſthenem fluuium cete ſpinis carentia ad ſalſuram præbere, Herodotus ſcribit. Cetus magnus, de quo in Geneſi legimus, Fecit Deus cete grandia, nihil aliud eſt, quam Balena, quæ colore eſt Cyaneo, qui medium inter viridem, & nigrum locum tenet. Hæc è mari eminet, & procedit, Soliſque radiis caleſit. Lacedæmone ingentes Balenæ naſcuntur, ſed maiores circa Cytharam inſulam. Balenam trirenibus maiores, & longitudinis dimidiati ſtadij, ac latitudinis pro longitudinis ratione viſas eſſe ælianus ex zeode, & Oneſcrito refert. Plinius teſtatur, in Indico mari Balenas quatuor iugerum naſci, & in Arabiæ flumen Balenam 60. pedum longitudinis, & 360. Latitudinis intraſſe. Hæc ſui itineris piſcem quendam, Hegemonem à Grecis vocatum, ducem habet, longum, colore albo, capite prælongo, anguſta cauda, qui cuncta illi neceſſaria prouidet, caudaque extrema terrbilia queque, & inſidias poſitas veluti ſigno quodam commonſtrat, cibaria conciliat, quo eundum ſit præſignificat. Hic piſcis ſi pereat, ceto quoque ex neceſſitate eſt pereundum. Cetus hic, cum ad pinguedinem peruenit, neque videt, neque audit. Quare, cum ducis ſigna percipere nequeat, velit, nolit, periclitatur. Balena Orcam infeſtiſſimam habet. Vtreque in Oceano naſcuntur, & viuunt: ſed interdum, aut viæ errore, aut fluctibus agitatæ, per Gaditanas fauces in mare mediterraneum, vt ferunt, peruenere. Balenarum cibus eſt ex piſcibus, qui in mari degunt.

lib. 4. *Gen. 1.* *lib. 17. c. 6.* *li. 9. c. 3.*

Crocodilus.

Crocodilus, licet inter aquatilia connumeretur, tamen ex ijs eſt animantibus, quæ partim in aqua, partim in terra degunt: noctu enim in aqua manet, quam aere tepidiorem experitur. interdiu

terdiu foras ad paſtum egreditur. Quadrupes eſt. Lingua caret. Color eius eſt varius. Corpus omne, præter ventrem, mirabiliter munitur. nam dorſum vniuerſum ſquamoſum eſt, & duriſſimum, cutiſque, aduerſus omnem ictum inuicta. Crocodilus oculos habet ſui ſimiles, vngues robuſtos, dentes magnos, exteroſque, & ſerratos. Solus ex omnibus animalibus ſuperiorem maxillam mouet, inferiori immota permanente. Cuius rei ea cauſa eſt, vt ait Ariſtoteles, quod crocodilus pedes ad capiendum, & retinendum inutiles habet. Itaque natura ad hunc vſum os ei pro pedibus vtile condidit. Nam motus, qui ex ſuperiori parte defertur, vehementior eſt. Crocodilus 60. diebus ventrē fert, 60. oua anſerinis ſimilia parit, 60. vertebras in ſpina obtinet, totidem neruis, vt ferunt, alligatas, partus curationem 60. diebus peragit: 60. dentes poſsidet; 60. dies quotannis ſine vllo cibo in latibulis quieſcit: & ſi Herodotus, & Plinius, quatuor menſibus hybernis eum nihil comedere aſſerunt. In aqua viſum hebetem habet, extra acerrimum. Lacertæ figuram imitatur, ſed ex minimo maximum animal euadit. Nam ad 15. cubitorum magnitudinem peruenit, vt ſcribit Ariſtoteles. Sed Diodorus, & Herodotus maiores fieri aſſerunt. Nam ille ad, 16. hic ad 17. cubitos creſcere aſfirmat. Plinius cubitum addit. Verum ælianus refert, Crocodilos 25. & 26. cubitorum viſos eſſe. Sunt, qui dicunt augeri, quamdiu viuunt. Ingens crocodilorum multitudo in Aegypto reperitur, tum, quod fæcundum eſt animal, tum quod raro capitur. Crocodilus fraudulentus eſt: nam, in virgulti iuxta fluuium ſe occultans, aquatorem de improuiſo adoritur, & necat, atque, vt aquantes commodius infeſtet, viam, qua ad aquandum pergere ſolent, nocte aqua madefacit: ita enim ſperat illos collapſuros. Crocodilus, ſi eius pullus, ſimul atque excluſus eſt, aliquid rapuerit, eum tanquam legitimum educat; ſin minus, tanquam ſpurium dilacerat. omnia animalia, & potiſſimum hominem, libenter comedit. Quod dente ferit, nunquam ſanatur. Interdum internatandum crocodili os hirudinibus completur; cumque inde moleſtiam ſentiat, ad litus egreſſus, aduerſus ſolis radios intuens, maxime hiat; Tunc Trochilus auis, Clodoryncus, nuncupatus (is autem eſt, teſte Plinio, qui in Italia Rex auium appellatur) in illius fauces roſtrum inſerens hirudines extrahit, ipſumque tanto malo liberat. Crocodilo hoſtis eſt Ichneumon, animal cuniculo ſimile. Is Crocodili oua inquirit, & inuenta conterit. Quin etiam Crocodilum miro quodam aſtu interimit. Nam, limo immerſus, ſeruat tempus, quo Crocodilus ſomnum capit: tum per os

4. de par. ani. cap. 11.

Hero. lib. 2. Pli. li. 8. c. 25. Ariſtot. 5. de hiſt. ani. c. 33 Dio. li. 1. Her. li. 2. li. 8. cap. 25. æli. lib. 17. c. 6.

lib. 8. c. 25.

eius corpus ingreditur, feraque occiſa abſque periculo ex ore egreditur: atque hoc infortunium Crocodilus frequenter ſubiret, niſi à Trochilo, quem ob acceptum beneficium alit, excitaretur. Crocodili Delphinos Nilum intrantes infeſtant. Verum ij ſe in aquam immergunt, & Crocodilos ſub ventre, vbi mollis eſt cutis, ſpina, quam in dorſo habent, vulnerant, & occidunt. Communis eſt opinio, ſolum Nilum Crocodilos procreare. At Herodotus ait, Indum quoque fluuium Crocodilos præſtare. Immo Aelianus eſt auctor Gangem duo Crocodilorum genera ferre, quorum alterum nihil nocet, alterum cuius vis carnis voraciſſimum eſt, in cuius ſummo roſtro quod iam veluti cornu eminet. His malefici ab Indis deuorandi obijciuntur. Ex mortuo Crocodilo aiunt naſci ſcorpium, cuius cauda aculeum veneno refertum habet. Ferunt, Crocodilum, homine conſpecto, lacrymas emittere, mox appropinquantem deuorare: Vnde Adagium: Crocodili lacrymæ.

Hero lib. 2

Ael. lib. 12. c. 38.

Murex.

Murex, piſcis eſt, ex concharum genere, qui & Conchylium appellatur: ex cuius humore fit color, quo pretioſæ veſtes tinguntur, qui & ipſe Murex vocatur.

Purpura.

Purpura, ex concharum marinarum genere extat. Purpuræ, more apum fauos conſtituunt, in quibus veluti mucor quidam continetur. Diſrupto fauo, humor in ijs contentus in terram dilabitur, vnde Purpurulæ generantur. Gignuntur etiam purpuræ ex putri materia: annis 6. aut 7. viuunt, & ſingulis annis eorum incrementum patet per orbes: quolibet enim anno vnus orbis teſtæ accreſcit. Viuunt extra mare ſaliua ſua dies circiter. 50. Vere pariunt, eodemque tempore capiuntur. edaces ſunt. linguam magnitudine digitali longam habent, qua ea, quæ comedunt, attrahunt. linguæ aculeus adeo durus eſt, vt conchyliorum teſtas transfigat. Purpuræ ex piſcibus, vt plurimum, viuunt. Florem illum tingendis veſtibus tam expetitum, inter collum, & papauer dictum, ſiue, vt alij volunt, in faucibus condunt. Magnarum purpurarum flos magna ex parte eſt niger: licet in quibuſdam ſubrudibus reperiatur: paruarum flos ruber eſſe ſolet. Auſtrinæ, veluti, quæ rubicundiorem habent florem, Aquilonijs præponuntur. Qui florem illum

extra-

extrahunt, dant operam, vt viuæ frangantur, atque vnico ictu interimantur. Nam, ſi prius, quam fregeris, expirent, florem cum vita euomunt: &, niſi vno ictu interfeceris, florem ad tincturam inutilem reddes. Ita eum Tyrios excipere aiunt.

Rana.

Rana, ex cartilagineorum genere eſt. animal non parit, quamuis cætera cartilaginea animal pariant. Ranæ in ſicco coeunt. Id vero noctu faciunt. Nam interdiu congredi verentur. Inſidiantur apibus, quarum ictum non ſentiunt. Semeſtri vita reſoluuntur. Earum cibus vulgaris eſt. Ranæ Seriphiæ prorſus mutæ ſunt. Huius rei cauſam ad aquæ frigiditatẽ Theophraſtus refert: vt Aelianus eſt auctor: Buteo ex accipitrum genere ranæ hoſtis eſt. Sunt & Ranæ rubetæ, quæ etſi tàm in terra, quam in aqua viuunt; tamen, quoniam inter rubos, vt plurimum, verſantur, ita vocatæ fuere. Hæ venenatæ ſunt: duo habent iecinora, quorum alterum perniciem, alterum ſanitatem affert. Ranæ, pluuia imminente, vocem edunt ſolito clariorem. Ranas ſolitas eſſe perniciem afferre, Aegyptus, vt in Exodo legitur, eſt locuples teſtis. *Aeli.lib. 3.c.36.* *Exo. 8.*

Tobiæ Piſcis.

Legimus in libro Tobiæ, quod, cum Tobias filius Tygrim fluuium ingreſſus eſſet, vt pedes lauaret, piſcis quidam è fluuio egreſſus ab ipſo captus eſt. Huius Piſcis cor, & iecur dæmones effugabant, fel verò oculorũ ſuffuſionibus medebatur, Magnum hunc piſcem fuiſſe, Scriptura memorat: quo autem nomine appellaretur, ſubticet. Quare nos, quid de hoc piſce amplius loquamur, non habemus. *Tob. 6.*

DI-

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER NONVS.

DE TERRAE FIGVRA, AC MAGNITVDINE.

De Terra. Cap. I.

TERRA in Mundi medio tanquam centrum ſita eſt. Eius figura orbiculata eſt. Ipſa enim vnà cum aqua veluti globum perficit: cuius ambitus eſt, ſi Ariſtoteli credimus, ſtadiorum 400000. hoc eſt milliariorum 5000. Eratoſthenes, 252000. ſtadiorum, hoc eſt milliariorum 31500. Hunc ambitum eſſe difinit. Hipparcus 27700. ſtadiorum hoc eſt milliariorum 34625. Ptolemeo viſum eſt, eundem ſtadia 180000. hoc eſt milliaria 22500. continere. Alphraganus, ſtadia 163200. hoc eſt milliaria 20400. huic ambitui aſcribit: Recentiores, ſtadia 152640. hoc eſt milliaria 19080. Communis Aſtrologorum ſchola Ptolemæi opinioni adhæret. Et ſi non deſunt, qui Alphragano libentius ſubſcribant. Terræ longitudinem Coſmographi metiuntur ab Occaſu ad Ortum, latitudinem ab Auſtro ad Septentrionem. Vt autem ita ſentirent, duplici ratione adducti fuere; altera, quæ terra habitabilis magis ab Occaſu ad Ortum, quam à Septentrione ad Auſtrum extenditur; altera, quæ plantarum motus ab Oriente in Occidentem longior eſt, quam à Septentrione ad Auſtrum: Nam plantarum motus à Septentrione ad Auſtrum inter

inter duos tropicso includitur, quorum diſtantia eſt graduum 47. At motus ab Occaſu ad Ortum gradus 180. continet. Nos verò maiorem diſtantiam, Longitudinem; minorem, Latitudinem appellare conſueuimus.

De Climatibus. Cap. II.

TERRAE autem noſtræ habitabilis latitudo, quæ inter Tropicum Cancri, & arcticum circulum interiecta eſt, à veteribus in ſeptem climata diſtingui ſolet. Clima verò eſt ſpatium, inter cuius principium, & finem maximæ diei æſtiuæ, vel noctis hybernæ quantitas per ſemihora vel augetur, vel imminuitur. Primum igitur Clima tranſit per Meroem, Athiopiæ ciuitatem; ſecundum, per Syenem, vrbem Aegypti; tertium per Alexandriam, Aegypti Metropolim; quartum, per Rhodum Inſulam, quintum, per Romanam Vrbem; ſextum per Boriſthenem fluuium ſarmatiæ; ſeptimum, per Riphæos montes. Verum, vt facilius hæc omnia apprehendantur, ſequentem tabulam ſubijcimus, in qua Climatum initium, medium, & finis explicatur; nec non dies maxima, poli altitudo, & climatum inter ſe diſtantiæ, & denominationes ob oculos ponuntur.

Cli-

Climata		Maxima dies	Altitudo Poli	Milliaria	Dom nationes Climatum
		H. m.	G. m.		
I.	Initium	12 45	12 45	440	Per Meron, ciuitatem Aethiopiæ.
	Medium	13 0	16 40		
	Finis	13 15	20 30		
II.	Initium	13 15	20 30	400	Per Syenem, Vrbem Aegypti.
	Medium	13 30	24 15		
	Finis	13 45	27 30		
III.	Initium	13 45	27 30	350	Per Alexandriam, Vrbem, Aegypti Metropolin.
	Medium	14 30	30 45		
	Finis	14 15	3 40		
IV.	Initium	14 15	33 40	300	Per Rhodum, Inſulam.
	Medium	14 30	36 24		
	Finis	14 45	39 0		
V.	Initium	14 45	39 0	255	Per Romam.
	Medium	15 0	41 20		
	Finis	15 15	43 30		
VI.	Initium	15 15	43 30	212	Per Boriſthenem Fluuium Sarmati m.
	Medium	15 30	45 24		
	Finis	15 45	47 15		

Cli-

Climata		Maxima dies	Altitudo Poli	Milliaria	Dominationes Climatum.
		H. m.	G. m.		
VII.	Initium	15 45	47 15	185	Per Riphæos montes Sarmatiæ.
	Medium	16 0	48 40		
	Finis	16 15	50 30		

AT recentiores, vniuerſam terram habitabilem eſſe aſſerentes, & eouſque ad Septentrionem progredientes, donec diem 24. horarum repererint, viginti tria climata conſtituunt: quorum exactam cognitionem qui habere deſiderant, ipſos legant.

De Vniuerſa Terra habitatoribus. *Cap. III.*

EORVM, qui terram incolunt, alij Antipodes, alij Periœci, alij Periſcij, alij Amphiſcij, alij Eteroſcij dicuntur. Antipodes ſunt, qui nobis aduerſam ſub terra incolunt regionem; atque ita vocantur, quod pedum veſtigia nobis vertant; Periœci ſunt, ſeu Circumcolæ, qui terram nobis circumuerſam habitant. Antaci ſunt, in qui terram habitabilem trans æquinoctialem, Auſtrum verſus colunt, ſic appellati, quod humeros nobis obuertant. Periſcij ſunt, qui ſub polis conſtituuntur, quibus ſex menſibus dies vna perpetua eſt; & ſex alijs nox vna perennis, quibuſque ſex ſigna perpetuo ſupra terram, ac totidem ſubtus exiſtunt. Ij, quòd ibi vmbræ molarum more aſſidue circumuoluan-

tur, Periſcij nuncupati fuere. Antiphiſcij ſunt qui ſub æquinoctiali vitam degunt, ita nominati, quod nunc vmbras ad dextram, nunc ad ſiniſtram obtineant: etſi per pendiculares etiam dum Sol puncta æquinoctialia attingit, experiuntur. Et eroſcij ſunt, quibus vna tantum, dextra inquam vel ſiniſtra, eſt vmbra, cuiuſmodi ſumus nos, cæterique aut inter Tropicum Cancri, & Arcticum, aut inter Tropicum Capricorni, & Antarcticum conſtituti.

De Animalibus. Cap. IV.

HAN in terra Deus omnia concluſit, quæ homini vſui eſſe poſſent, eique cuncta ſubiecit: etſi Dei vultione ita expoſcente, pleraque non ſine magno labore inueniri, atque obtineri poſſunt. Hic animalia, hic plantæ, hic metalla, hic lapides, hic gemmæ; hic tot præterea foſſilia, atque admiranda reperiuntur, vt ſiquis ex ipſis in in Dei omnipotentiam, ſapientiam, ac bonitatem aſcendere nequeat, aut ferreus, aut ſtolidus exiſtimari poſſit. De Animalibus verò primo loco pertractabimus; eorumque hiſtoriam, qua licebit breuitate, perſtringemus. Nam eorum generationis ſeriem ad vndecimum librum differemus, in quo de omnium rerum generatione agere inſtituimus; Animalium itaque plurimæ ſunt differentiæ: quas quoniam facile quiuis ex ipſorum deſcriptione intelliget, hic apponere ſuper vacaneum cenſuimus.

Agnus. Vide infra, in dictione, Ouis.

Aſinus.

Aſinus, lentum eſt animal. 30. menſe coxit Aſina ſemen reiicit à coitu, niſi interpelletur. Quare ſtatim per coitum illam verberant, & inſectantur? Parit duodecimo menſe. Parit ſingulos, & nonnunquam gemellos. A partu die ſeptimo mari iungit? Tota vita parere poteſt, partum adeo diligit, vt per ignes ad fœtus tendat: Cum parit, lucem fugit, ac tenebras quærit, ne ab homine videatur. Viuunt aſini annis triginta, ſed fœmina mari viuacior eſt. Aſini fruge, herbaque veſcunt, ſed potu maxime pingueſcunt. Ferrago pilum expolit. Quin etiam libenter veſcuntur ferulis, quæ cæ-

teris iumentis exitio ſunt. optimi aſini naſcuntur in Achaia, Arcadibus, & Reatinis. Epirus puſillos gignit, etſi cæteras quadrupedes magnas habet. Aſini felle carent, nullas tineas, aut pediculos alunt; colotis vermibus inimici ſunt. Dormiunt enim colotæ in præſepibus, & nares aſinorum ſubeuntes impediunt, ne comedant. Frigoris impatientes ſunt. Scythia & pontus noſtratibus aſinis carent: aliorum enim aſinorum genus apud ipſos reperitur. Aſini vno maximè morbo laborant, quem malidam vocant; quod vitium in capite oritur, facitque, vt per nares pituita multa, ac rufa defluat: quæ ſi ad pulmonem deſcenderit, moriunt? ſed ſi in capite eſt, mortem non infert. In India aſini vno cornu præditi, & ſoli pedes naſcuntur, ac talos habent: quod in cæteris ſoli pedibus non videtur. In poculis ex ijs cornibus confectis ſi quis venenum hauſerit, nihil graue patitur. In Scythia ſunt cornuti aſini. Horum cornua continent ſtygis fluuij aquam, quæ cætera vaſa omnia, quamuis ferrea, traijcit. Canthelios aſinos onere preſſos ſurſum curuari Xenophon ſcribit. *De pædia. cini. c. 7.*

Behemoth.

Behemoth animal immenſæ magnitudinis eſſe Iudæi opinantur. Verum quoniam eorum dicta fabularum plena ſunt, ſubticenda potius, quam referenda iudicaui. ſed Nicolaus de lyra Behemoth idem cum Elephanto eſſe cenſet. Verum quidquid ſit, dubitandum non eſt Iob. 40. c. vbi de Behemoth ſermo habetur per hoc animal dæmonem intelligi, vt Gregorius lib. 32. c. 9. late declarat. *Sup. Iob. cap. 40.*

Bos.

Bos ex quadrupedum, & cornutorum genere eſt. Indomitus, qui ad procreandam ſobolem eligitur, taurus vocatur: fœmina vacca appellatur, quæ, & ſi duas habet mammas, quatuor tamen papillas obtinet. Bobus omnibus cornua dura ſunt, exceptis erytræis, qui cornua mobilia, vt aures, habent. Hoc idem in Phrigia euenit. eius rei cauſam reddit Ariſtoteles, quod cornua cuti potius quam oſſibus adhærent. Myſij boues cornibus carent. Quare Ælianus ait decipi Herodotum, qui ſcythicis bobus idem tribuit. In Heuris populis, ſi Æliano credimus, id ex Ariſtotele referente, ſunt boues qui cornua in humeris gerunt. In Lybia Indis finitima ſunt boues, qui ante oculos cornua habent. Quamobrem retroſus *3. de hiſt. ani. c. 9. Lib. 2. c. vlt. Aeli. lib. 5. c. 27.*

 paſcun-

paſcuntur: aliter enim non viderent. Leutricorum boum cornua & aures ſimul contexta ſunt. Bos vno coito implet. ſi forte erratum ſit in conceptione, vigeſimo poſt die fœmina morem recipit. ſalax minime inter mares bos eſt. Nam bos tantum die init. Tauri inter ſe concurrunt. Coit, qui vicerit. coire incipiunt tam mas, quam fœmina primo ætatis anno exacto: ſed bimatu generant. Singulis tauris decem vaccæ traduntur. Ferunt vaccæ vterum menſes nouem, decimo pariunt. Pariunt ſingulos, geminos raro. Quamdiu viuunt coeunt, & pariunt. Boues viuunt annis quindecim, & quandoque viginti & pluribus. Vigent quinquennes maxime. Bimi dentes emittunt: tertio anno domantur: fruge, & herba veſcunt? Pingueſcunt eruo, faba, ordeo, & dulcibus, vt ficu, vino, & frondibus vlmi, ſed præcipue ſole, & aquæ calidæ lotione. Augentur iuuencæ amplius, cum plus temporis veneris ſunt expertes. Boues gaudent aqua clara, & frigida, ſorbendo bibunt. Tauri cum ad pugnam accedunt, puluere ſe aſpergunt. eorum ſanguis celeberrime coit; epotus, niſi ſubueniatur, interficit. In epiro boues ſunt egregia magnitudine. In India magnitudo boum camelos æquat, & ſi ſunt ibi aliqui boues, qui magnitudine hircos non ſuperant. Illorum cornua ad quatuor pedum latitudinem extenduntur. In Phœnicia ſunt vaccæ adeo magnæ, vt paſtores, cum eas mulgent, & ſtare, & in ſcabellum aſcendere neceſſe habeant. Bos ſi prope eſt, vt pluat, ad dexteram inclinatur, ſi proximo ſerenum tempus futurum ſit, inclinatur ad læuam. Si mugit, ac terram olfacit, aut ſupra, quam conſueuerit, pabulo impletur, tempeſtatem prænunciat. Fœminę vox grauior eſt. ex boue mortuo apes naſcuntur. Boues pedum dolores non ſentient, ſi cornua cera, oleo, aut pice illines. Cum pedibns laborant, vngulas uoa amittunt, ſed pedes intumeſcunt. Laborant vehementius gelu tempore, quam niuis. Duobus verò morbis laborare ſolent, podagra, vt diximus, & ſtruma. Idem autem in boue eſt ſtruma, quod in homine febris. Indicium morbi eſt ſi aures demiſſæ flaueſcant, & comedere nequeant. Indici boues velociſſimi ſunt, In eubæa omnes fere boues albi naſcuntur. Vaccæ circa Toronam paucis ante partum diebus lacte carent, reliquo tempore perpetuo lac habent. Feri tauri Aethiopici Græcis bobus duplo maiores ſunt: velocitate corporis ſummè excedunt, rufis pilis veſtiuntur, cæſijs oculis ornantur; cornua, vt aures, mobilia habent; quæ tamen cũ pugnant, adeo erigunt, vt nulla vi flecti queant. eorum tergora nulla ratione penetrari poſſunt. Hæ beſtiæ omnia ar-

menta

menta inuadunt. Apud Troglodytas vacuæ præſtantiſſimæ exiſtimantur. Nam viribus ſunt leoni æquales; equos celeritate, Tauros robore, & ferrum duritia vincunt; Refert Ælianus (an verum ſit alij viderint) Boues ex Cratis fluuij aqua bibentes, ſeu nigri, ſeu rufi ſint albos euadere. *Lib.* 12. *cap.* 33.

Bubalus.

Bubalus ex cornutorum quadrupedum genere exiſtit. Boue aliquanto eſt maior. Niger eſt toto corpore: eius generatio, coitus, ætas, & cibus boui ſimilis eſt. In luto libenter volutatur. Cornu, & præſertim verno tempore, petere ſolet. In Iudæa Salomone regnante bubalos venabantur. *Reg.* 3. *cap.* 4.

Camelus.

Camelus ex quadrupedibus vaſtum eſt animal, crura habet prolixa, collum procrurum ratione ob longum, vt herbam, qua veſcitur, attingere valeat. Tuber in dorſo poſſident vnum Cameli Arabij: Bactrianis tubera ſunt duo; ſed vtrique parte ima tubera obtinent ſingula, quibus reliquum corpus incumbat, & firmetur, quoties in genua inclinantur. Papillas quatuor habet camelus, caudam aſino ſimilem, talum bobus ſimilem, genitale retro, cluneſque corporis magnitudine paruos Biſulcum eſt animal, & inferiori tamen parte dentatum fel habet indiſcretum, & venulis quibuſdam confuſum, Pedis veſtirium eſt carnoſum. Quare eos carbatinis calceant. Camelos fert India; Ambra, Armenia. Camelus ruminat; ex aduerſo mingit; ſitim quatriduo tolerat, & coitu negato fortior euadit; aeris temperie delectatur. Quapropter in Arabia magna eſt camelorum copia. Cameli numquam palam cocunt. cum matre non concubunt. Narrat Aelianus, Paſtorem matri obtectæ camelum admiſiſſe. Quod cum Camelus animaduertiſſet, paſtorem interfecit, ac deinde ſe ipſum præcipitauit. Cameli ad 30. & 50. & non vnquã ad 100. annos viuunt; in Arabia cœunt menſe ſeptembri. fert vterum Camelus menſibus duodecim, parit ſingulos, tam mas quam fœmina in trimatu cœunt. Fœmina poſt partum interpoſito anno coit. Cameli turbulentam aquam ſuauius bibunt: equis aduerſantur, nec à rabie ſunt immunes. equos curſu æquant, ad ferenda onera multo ſunt valentiores. Camelorum lac eſt dulciſſimum. *Lib.* 3. *cap.* 45.

Came-

Camelopardus.

Cameleopardus animal camelo ſimile, & maculis Pardi more diſtinctum in Æthiopia naſcitur.

Canis.

Canum plura ſunt genera, vt notiſſimum eſt ſed quidam odore præpollent, vt ſunt ij, quibus animalia inueſtigamus; quidam curſu præeminent, vt vertugi, quidam in delitijs habentur, nec ad aliud fere vtiles ſunt. eſt & aliud genus omnibus valentius, quos moloſſos appellamus. Canes tam mares, quam fœminæ anniculi magna ex parte coeunt, ſed nonnumquam menſe octauo; quod magis fœminæ, quam mari euenit. Vno initu implent. Gerit vterum canis diebus ſexaginta, et vno, aut duobus, aut ſummum tribus, nec minus, quam ſexaginta. Quod ſi quis celerius prodierit, educari nequit. Cum peperit, ſexto poſt menſe, nec prius, impletur. Parit duodecim, cum plurimum; ſed magna ex parte quinque, aut ſex: Ad duodecimum vſque annum canes coire, & impleri ſolent: & ſi non defuere, quibus ad decimumquintum, & decimumoctauum: & vigeſimum facultas generandi fuerit. Dentes non mutant, præter caninos dictos, eoſque quarto ætatis menſe. Viuunt annis quindecim, & quinque viginti. Ætatis indicium ex dentibus ſumitur, quod iuniores candidos habent, & acutos, ſeniores nigros, & hebetes epirus inſignes canes gignit; canaria inſula multos, & ingentis magnitudinis. Indici canes ex tygride, & cane generantur, Laconici ex cane, & vulpe, quorum maribus fœminæ ſunt ſagaciores. Tanta canes exiſtunt ſagacitate, vt caninam carnem, quamuis conditam, non comedant. ſeneſcentibus vox grauior redditur. Canes ſua, & aliena vulnera ſaluia curant: ſed ſi forte vulnera tangere nequeant, pedem ſaliua inficiunt, eoque locum læſum tangunt, & ſanant. Cretici canes expeditiſſimi ſunt, Carmani, incolarum more, adeo fieri, numquam manſueſcant. Canes homines fideliſſimi ſunt, & pro eis pugnant. Memoria, homine excepto, cæteris animantibus præſtant. Canis lac omnibus craſſius eſt, præter lac ſcrofæ, & leporis. Canes tribus laborant vitijs, angina, podagra, & rabie. Angina etiam intereunt, podagra tentati pauci euadunt. Rabies facit furorem, & quæ rabidi canes momorderint, omnia rabiunt. Hominem à rabido

bido cane morſum neque in rabiem verti, neque interire cenſuiſſe videtur. Ariſtot. 8. de hiſtoria animaliũ Cap. 22. Nam Gaza ita tranſtulit quæ momorderint, omnia rabiunt excepto homine. Sed Leonicenus Gazã carpit: nam ait non eſſe legendum πλὴν ἀνθρώπῳ ideſt excepto homine, πρὶν ἀνθρώπῳ, ideſt prius homine. Mihi quidẽ cum Leoniceno conuenit. Nam a rabido cane morſum interijſſe vidi. ſunt qui ſolum canem; quamuis morſus non ſit, in rabiem verti credant. Sed ego contrarium ſentio. Nam eo anno, quo Paulus Tertius Pontifex Maximus obijt in Verulano vulpes multæ rabierunt, & in Ceccanenſi lupus rabijt, cum interea nullus in his locis canis rabidus eſſet, quos etiam rabijſſe Plutarcus in libro de ſolertia animalium refert. Canes cum lubricis infeſtantur, herbam tritici, & hederam comedunt. Pituitæ & bili parietaria herba ſibi medentur.

Capra, & Caper.

Capra ex quadrupedum genere cornutum eſt animal, & barbigerum, oue non maior. Maſculus caper, & Hircus vocatur, & cum paruus eſt, hædus. Inter inepta, & timida animalia reponitur. Nam ſi vnam mento apprehenderis, cæteræ ſtant, velut ſtupidæ in illam ſolam oculos conijcientes. Capræ anniculæ coeunt; & vterum ferunt. Terno, aut quaterno coitu implentur. Vere pariunt magna ex parte ſingulos, ſed quandoque binos, ternos, & quaternos. Ferunt vterum quinque menſibus. Quibuſdam in locis bis anno pariunt. octo, vt plurimum, annos viuunt. Cornum nodi annos indicant. Sed Æthiopicæ ad decimum, & vndecimum annum perueniunt. Coeunt quam diu viuunt. Capris nullum ducem paſtores conſtituunt. Capræ cum oculorum ſuffuſione laborant; ad rubum, vel iunceum oculos admouent, & reſerandos permittunt. Vbi rurbus oculum pupugit, pituita emittitur, atque ita ſine pupillæ læſione viſum recipiunt. Capræ pinguedine ſterileſcunt. Hirci pingues minus fœcundi ſunt: quòd ſi extenuentur, coeunt, & procreant. Capræ herba veſcuntur, ſummam tantum partem attingentes. Veratro pingueſcunt, & cicuta, vt Lucretius ſcriptum reliquit. Crebro loca permutant: ouibus ſunt robuſtiores: cum omnibus amicitia iunguntur: audiendi viſum acerrimum habent: ocimum aſpernantur. earum morſus arboribus, & præſertim vitibus eſt exitioſus: oliuam lambendo ſterilem reddunt: Quare antiqui eam tum bacco, tum Mineruæ immolabant. Caprarum cornibus, ſeu pilis accenſis ſerpentes fugantur. Lac ſtomaco eſt vtile: *Lib. 4.* *Lib. 5.*

Aiunt

Aiunt Capram noctu, vt interdiu videre. Quod autem dicunt, eas febri numquam carere, & auribus, non naribus, ſpirare fabuloſum exiſtimo. Capræ pluuias præſentiunt: imo Hipparcum, & Anaxagoram ex caprina pelle futuram tempeſtatem prænouiſſe, Aelianus eſt auctor. Hirci libidinoſi ſunt. Capre Cephalides ſex menſibus non bibunt. Illiricæ pedum vngues indiuiſos habent. In Syria capræ ſunt auriculis menſura palmari, adeo, vt ad terram ſpectent. In Cilicia capræ tondentur, vt alibi Oues. Idem euenit in licia, vbi ex caprarum pilis rudentes contexuntur. Caſpiæ capræ albiſſimæ ſunt, & cornibus mutilæ, & ad magnorum equorum magnitudinem accedunt: quarum villi cum optimis lanis comparari poſſunt.

Caprea.

Caprea ſilueſtre eſt animal, viſu perſpicax, capræ effigiem referens. inter ſemiſera animalia apponitur. Hæc etiam capra fera appellatur: Capreas Africam non ferre Plinius ſcribit. Sed Aelianus ait, in lybicorum montium verticibus commorari capras feras, quæ bonum magnitudinem equant. Hoc animal veneno viuit.

Pli. li. 9. cap. vlt. Aeli. li. 19. c. 15.

Catta.

Cattæ Baruch c. 6. meminit. eam verò arbitror eſſe, quam Latini felim, vulgares gattam appellant.

Chamæleontem ita deſcribit Ariſtoteles 2. de hiſt. ani. c. 11. chamælon figura totius corporis lacertam plane repræſentat. Latera deorſum ducta ventri iunguntur, vt piſcibus, & ſpina modo piſcium eminet: roſtrum ſimiæ porcariæ ſimillium; cauda prælonga in tenue deſinens, & longis implicata in ſe orbibus lori modo per multis. elatior à tærra eſt, quam lacerta; inflexus crurum perinde, vt lacertæ. Pedes ſinguli bipartito ſecantur parteſque talem inter ſe habent ſitum, qualem pollex ad manus reliquam partem obiectam ſed ipſæ etiam reliquæ partes paulo tenns in digitos quoſdam finduntur, videlicet primores, triplici fixura interius, duplici, exterius; poſteriores interius duplici, exterius triplici. Vnguiculi adunci. Corpus aſperum totum, vt crocodilo. oculi in receſſu cauo intus recepti prægrandes, rotundi, cute ſimili, atque reliquum corpus, obducti, media ſui parte perquam exigua detecti, qua videant:

deant: quæ quidem videndi ſedes numquam cute operitur, nec pupillæ motu; ſed totius oculi verſatione in orbem, mutationeque quoquo verſus aſpicit, quę velit. Mutat ſuum colorem inflatus. Verum, & niger non longe diſſimilis crocodilo eſt, & pallidus, vt lacerta; maculis diſtinctus, vt Pardus, nigris. Mutatur color toto in corpore. nam & oculi concolores reliquo copori redduntur, & cauda eundem colorem accipit. Motus ei piger admodum, vt teſtudinis, eſt: palleſcit, cum moritur, defunctuſque eundem colorem ſeruat. Gulam atque arteriam ſitu eodem continet, quo lacerta, carnem nuſquam, niſi in capite, & maxillis, & poſtremo caudæ admodum exiguam poſſidet, nec alibi ſanguinem, quàm in corde, & oculis, & loco à corde ſuperiore, & venulis hinc tendentibus. verum nec iis quidem vlla copia, ſed pauxillum habetur ſanguinis. Cerebrum paulo ſuperius oculis poſitum eſt, & propè iis contiguum. Cute autem exteriore detracta oculis, quidam lucens veluti anulus æneus tenuis, nulla pelle interceptus cingit. Membranæ in omnes ferè corporis partes multę, ac validæ, longeque firmiores, quam in cæteris tendunt. Diſſectus hic totus ſpirare præterea diu poteſt, motu admodum exiguo adhuc circa cordis ſedem extante, & cum omnes corporis partes contrahit, tum vel maxime coſtas cogere, atque adducere poteſt. lienem conſpicuum nuſquam continet. ſubit cauernas, & habitat more lacertarum. Hæc Ariſtoteles. Cauſa autem, quod chamæleon in varios colores vertatur, eſt metus: metus verò eſt propter ſanguinis inopiam, quæ, vt dictum eſt, in chamæleonte maxime ſpectatur. Chamæleontem fert Africa, & India, ſed India plures. Chamæleon ſolus animalium nec cibo, nec potu, ſed ſolo aere alitur.

Ceruus.

Ceruus quadrupes, & cornigerum eſt animal. Fœtus hinnulus appellatur. Cerui tantum ex animalibus cornua tota ſolida, & in ramos ſparſa, & quotannis decidua habent, niſi caſtrentur: caſtratis enim cornua non naſcuntur. Bimis cornua oriri incipiunt. & ad ſextum vſque annum ramorum nũmerus creſcit: poſt quod tempus eorum ætas non ramorum numero, ſed dentibus dignoſcitur. ſenes enim aut dentes nullos, aut paucos, habent, & cornuum adminiculis, quibus pugnant iuuenes, carent. Amittunt cornua ſingulis annis menſe Aprili: quæ cum amiſerunt, interdiu ſeſe occultant, ne à muſcis infeſtentur, & noctu paſcuntur. Idque faciunt,

eius corpus ingreditur, feraque occiſa abſque periculo ex ore egreditur: atque hoc infortunium Crocodilus frequenter ſubiret, niſi à Trochilo, quem ob acceptum beneficium alit, excitaretur. Crocodili Delphinos Nilum intrantes infeſtant. Verum ij ſe in aquam immergunt, & Crocodilos ſub ventre, vbi mollis eſt cutis, ſpina, quam in dorſo habent, vulnerant, & occidunt. Communis eſt opinio, ſolum Nilum Crocodilos procreare. At Herodotus ait, Indum quoque fluuium Crocodilos præſtare. Immo Aelianus eſt auctor, Gangem duo Crocodilorum genera ferre, quorum alterum nihil nocet, alterum cuius vis carnis voraciſſimum eſt, in cuius ſummo roſtro quoddam veluti cornu eminet. His malefici ab Indis deuorandi obijciuntur. Ex mortuo Crocodilo aiunt naſci ſcorpium, cuius cauda aculeum veneno refertum habet. Ferunt, Crocodilum, homine conſpecto, lacrymas emittere, mox appropinquantem deuorare: Vnde Adagium: Crocodili lacrymæ.

Hero. lib. 2

Aeli. lib. 12. c. 38.

Murex.

Murex, piſcis eſt, ex concharum genere, qui & Conchylium appellatur: ex cuius humore fit color, quo pretioſæ veſtes tinguntur, qui & ipſe Murex vocatur.

Purpura.

Purpura, ex concharum marinarum genere extat. Purpuræ, more apum fauos conſtituunt, in quibus veluti mucor quidam continetur. Diſrupto fauo, humor in ijs contentus in terram dilabitur, vnde Purpurulæ generantur. Gignuntur etiam purpuræ ex putri materia: annis 6. aut 7. viuunt, & ſingulis annis eorum incrementum patet per orbes: quolibet enim anno vnus orbis teſtæ accreſcit. Viuunt extra mare ſaliua ſua dies circiter 50. Vere pariunt, eodemque tempore capiuntur. edaces ſunt. linguam magnitudine digitali longam habent, qua ea, quæ comedunt, attrahunt. linguæ aculeus adeo durus eſt, vt conchyliorum teſtas transfigat. Purpuræ ex piſcibus, vt plurimum, viuunt. Florem illum tingendis veſtibus tam expetitum, inter collum, & papauer dictum, ſiue, vt alij volunt, in faucibus condunt. Magnarum purpurarum flos magna ex parte eſt niger: licet in quibuſdam ſubrudibus reperiatur: paruarum flos ruber eſſe ſolet. Auſtrinæ, veluti, quæ rubicundiorem habent florem, Aquilonijs præponuntur. Qui florem illum extra-

extrahunt, dant operam, vt viuæ frangantur, atque vnico ictu interimantur. Nam, ſi prius, quam fregeris, expirent, florem cum vita euomunt: &, niſi vno ictu interfeceris, florem ad tincturam inutilem reddes. Ita eum Tyrios excipere aiunt.

Rana.

Rana, ex cartilagineorum genere eſt. animal non parit, quamuis cætera cartilaginea animal pariant. Ranæ in ſicco coeunt. Id vero noctu faciunt. Nam interdiu congredi verentur. Inſidiantur apibus, quarum ictum non ſentiunt. Semeſtri vita reſoluuntur. Earum cibus vulgaris eſt. Ranæ Seriphiæ prorſus mutæ ſunt. Huius rei cauſam ad aquæ frigiditatẽ Theopraſtus refert: vt Aelianus eſt auctor: Buteo ex accipitrum genere ranæ hoſtis eſt. Sunt & Ranæ rubetæ, quæ etſi tàm in terra, quam in aqua viuunt; tamen, quoniam inter rubos, vt plurimum, verſantur, ita vocatæ fuere. Hæ venenatæ ſunt: duo habent iecinora, quorum alterum perniciem, alterum ſanitatem affert. Ranæ, pluuia imminente, vocem edunt ſolito clariorem. Ranas ſolitas eſſe perniciem afferre, Aegyptus, vt in Exodo legitur, eſt locuples teſtis.

Aeli. lib. 3. c. 36.

Exo. 8.

Tobiæ Piſcis.

Legimus in libro Tobiæ, quod, cum Tobias filius Tygrim fluuium ingreſſus eſſet, vt pedes lauaret, piſcis quidam è fluuio egreſſus ab ipſo captus eſt. Huius Piſcis cor, & iecur dæmones effugabant, fel verò oculorũ ſuffuſionibus medebatur, Magnum hunc piſcem fuiſſe, Scriptura memorat: quo autem nomine appellaretur, ſubticet. Quare nos, quid de hoc piſce amplius loquamur, non habemus.

Tob. 6.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER NONVS.

DE TERRAE FIGVRA, AC MAGNITVDINE.

De Terra. Cap. I.

TERRA in Mundi medio tanquam centrum ſita eſt. Eius figura orbiculata eſt. Ipſa enim vnà cum aqua veluti globum perficit: cuius ambitus eſt, ſi Ariſtoteli credimus, ſtadiorum 400000. hoc eſt milliariorum 5000. Eratoſthenes, 252000. ſtadiorum, hoc eſt milliariorum 31500. Hunc ambitum eſſe difinit. Hipparcus 277 00. ſtadiorum hoc eſt milliariorum 34625. Ptolemeo viſum eſt, eundem ſtadia 180000. hoc eſt milliaria 22500. continere. Alphraganus, ſtadia 163200. hoc eſt milliaria 20400. huic ambitui aſcribit: Recentiores, ſtadia 152640. hoc eſt milliaria 19080. Communis Aſtrologorum ſchola Ptolemæi opinioni adhæret. Et ſi non deſunt, qui Alphragano libentius ſubſcribant. Terræ longitudinem Coſmographi metiuntur ab Occaſu ad Ortum, latitudinem ab Auſtro ad Septentrionem. Vt autem ita ſentirent, duplici ratione adducti fuere; altera, quæ terra habitabilis magis ab Occaſu ad Ortum, quam à Septentrione ad Auſtrum extenditur; altera, quæ plantarum motus ab Oriente in Occidentem longior eſt, quam à Septentrione ad Auſtrum: Nam plantarum motus à Septentrione ad Auſtrum

inter

inter duos tropicso includitur, quorum diſtantia eſt graduum 47. At motus ab Occaſu ad Ortum gradus 180. continet. Nos verò maiorem diſtantiam, Longitudinem; minorem, Latitudinem appellare conſueuimus.

De Climatibus. Cap. II.

TERRAE autem noſtræ habitabilis latitudo, quæ inter Tropicum Cancri, & arcticum circulum interiecta eſt, à veteribus in ſeptem climata diſtingui ſolet. Clima verò eſt ſpatium, inter cuius principium, & finem maximæ diei æſtiuæ, vel noctis hybernæ quantitas per ſemihora vel augetur, vel imminuitur. Primum igitur Clima tranſit per Meroem, Athiopiæ ciuitatem; ſecundum, per Syenem, vrbem Aegypti; tertium per Alexandriam, Aegypti Metropolim; quartum, per Rhodum Inſulam, quintum, per Romanam Vrbem; ſextum per Boriſthenem fluuium ſarmatiæ; ſeptimum, per Riphæos montes. Verum, vt facilius hæc omnia apprehendantur, ſequentem tabulam ſubijcimus, in qua Climatum initium, medium, & finis explicatur; nec non dies maxima, poli altitudo, & climatum inter ſe diſtantiæ, & denominationes ob oculos ponuntur.

Cli-

Climata		Maxima dies	Altitudo Poli	Milliaria	Dominationes Climatum
		H. m.	G. m.		
I.	Initium	12 45	12 45	440	Per Meron, ciuitatem Aethiopiæ.
	Medium	13 0	16 40		
	Finis	13 15	20 30		
II.	Initium	13 15	20 30	400	Per Syenem, Vrbem Aegypti.
	Medium	13 30	24 15		
	Finis	13 45	27 30		
III.	Initium	13 45	27 30	350	Per Alexandriam, Vrbem, Aegypti Metropolin.
	Medium	14 30	30 45		
	Finis	14 15	3[illegible] 40		
IV.	Initium	14 15	33 40	300	Per Rhodum, Inſulam.
	Medium	14 30	36 24		
	Finis	14 45	39 0		
V.	Initium	14 45	39 0	255	Per Romam.
	Medium	15 0	41 20		
	Finis	15 15	43 30		
VI.	Initium	15 15	45 30	212	Per Boriſthenem Fluuium Sarmatiam.
	Medium	15 30	45 24		
	Finis	15 45	47 15		

Cli-

Climata		Maxima dies	Altitudo Poli	Milliaria	Dominationes Climatum.
		H. m.	G. m.		
VII. Initium		15 45	47 15	185	Per Riphæos montes Sarmatiæ.
Medium		16 0	48 40		
Finis		16 15	50 30		

At recentiores, vniuerſam terram habitabilem eſſe aſſerentes, & eouſque ad Septentrionem progredientes, donec diem 24. horarum repererint, viginti tria climata conſtituunt: quorum exactam cognitionem qui habere deſiderant, ipſos legant.

De Vniuerſa Terra habitatoribus. *Cap. III.*

EORVM, qui terram incolunt, alij Antipodes, alij Periœci, alij Periſcij, alij Amphiſcij, alij Eteroſcij dicuntur. Antipodes ſunt, qui nobis aduerſam ſub terra incolunt regionem; atque ita vocantur, quod pedum veſtigia nobis vertant; Periœci ſunt, ſeu Circumcolæ, qui terram nobis circumuerſam habitant. Antaci ſunt, in qui terram habitabilem trans æquinoctialem, Auſtrum verſus colunt, ſic appellati, quod humeros nobis obuertant. Periſcij ſunt, qui ſub polis conſtituuntur, quibus ſex menſibus dies vna perpetua eſt; & ſex alijs nox vna perennis, quibuſque ſex ſigna perpetuo ſupra terram, ac totidem ſubtus exiſtunt. Ij, quòd ibi vmbræ molarum more aſſidue circumuoluan-

tur, Periſcij nuncupati fuere. Antiphiſcij ſunt qui ſub æquinoctiali vitam degunt, ita nominati, quod nunc vmbras ad dextram, nunc ad ſiniſtam obtineant: etſi perpendiculares etiam dum Sol puncta æquinoctialia attingit, experiuntur. Et eroſcij ſunt, quibus vna tantum, dextra inquam vel ſiniſtra, eſt vmbra, cuiuſmodi ſumus nos, cæterique aut inter Tropicum Cancri, & Arcticum, aut inter Tropicum Capricorni, & Antarcticum conſtituti.

De Animalibus. Cap. IV.

HAN in terra Deus omnia concluſit, quæ homini vſui eſſe poſſent, eique cuncta ſubiecit: etſi Dei vultione ita expoſcente, pleraque non ſine magno labore inueniri, atque obtineri poſſunt. Hic animalia, hic plantæ, hic metalla, hic lapides, hic gemmæ; hic tot præterea foſſilia, atque admiranda reperiuntur, vt ſiquis ex ipſis in in Dei omnipotentiam, ſapientiam, ac bonitatem aſcendere nequeat, aut ferreus, aut ſtolidus exiſtimari poſſit. De Animalibus verò primo loco pertractabimus; eorumque hiſtoriam, qua licebit breuitate, perſtringemus. Nam eorum generationis ſeriem ad vndecimum librum differemus, in quo de omnium rerum generatione agere inſtituimus; Animalium itaque plurimæ ſunt differentiæ: quas quoniam facile quiuis ex ipſorum deſcriptione intelliget, hic apponere ſuper vacaneum cenſuimus.

Agnus. Vide infra, in dictione, Ouis.

Aſinus.

Aſinus, lentum eſt animal, 30. menſe coxit Aſina ſemen reiicit à coitu, niſi interpelletur. Quare ſtatim per coitum illam verberant, & inſectantur? Parit duodecimo menſe. Parit ſingulos, & nonnunquam gemellos. A partu die ſeptimo mari iungit? Tota vita parere poteſt, partum adeo diligit, vt per ignes ad fœtus tendat. Cum parit, lucem fugit, ac tenebras quærit, ne ab homine videatur. Viuunt aſini annis triginta, ſed fœmina mari viuacior eſt. Aſini fruge, herbaque veſcunt, ſed potu maximè pingueſcunt. Ferrago pilum expolit. Quin etiam libenter veſcuntur ferulis, quæ cæ-

teris

teris iumentis exitio ſunt. optimi aſini naſcuntur in Achaia, Archadibus, & Reatinis. Epirus puſillos gignit, etſi cæteras quadrupedes magnas habet. Aſini felle carent, nullas tineas, aut pediculos alunt; colotis vermibus inimici ſunt. Dormiunt enim colotæ in præſepibus, & nares aſinorum ſubeuntes impediunt, ne comedant. Frigoris impatientes ſunt. Scythia & pontus noſtratibus aſinis carent: aliorum enim aſinorum genus apud ipſos reperitur, Aſini vno maximè morbo laborant, quem malidam vocant; quod vitium in capite oritur, facitque, vt per nares pituita multa, ac rufa defluat: quæ ſi ad pulmonem deſcenderit, moriunt? ſed ſi in capite eſt, mortem non infert. In India aſini vno cornu præditi, & ſoli pedes naſcuntur, ac talos habent: quod in cæteris ſoli pedibus non videtur. In poculis ex ijs cornibus confectis ſi quis venenum hauſerit, nihil graue patitur. In Scythia ſunt cornuti aſini. Horum cornua continent ſtygis fluuij aquam, quæ cætera vaſa omnia, quamuis ferrea, traijcit. Canthelios aſinos onere preſſos ſurſum curuari Xenophon ſcribit. *De pædia. ciui. c.7.*

Behemoth.

Behemoth animal immenſæ magnitudinis eſſe Iudæi opinantur. Verum quoniam eorum dicta fabularum plena ſunt, ſubticenda potius, quam referenda iudicaui. ſed Nicolaus de lyra Behemoth idem cum Elephanto eſſe cenſet. Verum quidquid ſit, dubitandum non eſt Iob. 40. c. vbi de Behemoth ſermo habetur per hoc animal dæmonem intelligi, vt Gregorius lib. 32. c. 9. late declarat. *Sup. Iob. cap. 40.*

Bos.

Bos ex quadrupedum, & cornutorum genere eſt. Indomitus, qui ad procreandam ſobolem eligitur, taurus vocatur; fœmina vacca appellatur, quæ, & ſi duas habet mammas, quatuor tamen papillas obtinet. Bobus omnibus cornua dura ſunt, exceptis erytræis, qui cornua mobilia, vt aures, habent. Hoc idem in Phrigia euenit. eius rei cauſam reddit Ariſtoteles, quod cornua cuti potius quam oſſibus adhærent. Myſij boues cornibus carent. Quare Ælianus ait decipi Herodotum, qui ſcythicis bobus idem tribuit. In Heuris populis, ſi Æliano credimus, id ex Ariſtotele referente, ſunt boues qui cornua in humeris gerunt. In Lybia Indis finitima ſunt boues, qui ante oculos cornua habent. Quamobrem retroſus *3. de hiſt. ani. c. 9. Lib. 2. c. vlt. Aeli. lib. 5. c. 27.*

paſcuntur: aliter enim non viderent. Leutricorum boum cornua & aures ſimul contexta ſunt. Bos vno coito implet. ſi forte erratum ſit in conceptione, vigeſimo poſt die fœmina morem recipit. ſalax minime inter mares bos eſt. Nam bos tantum die init. Tauri inter ſe concurrunt. Coit, qui vicerit. coire incipiunt tam mas, quam fœmina primo ætatis anno exacto: ſed bimatu generant. Singulis tauris decem vaccæ traduntur. Ferunt vaccæ vterum menſes nouem, decimo pariunt. Pariunt ſingulos, geminos rarò. Quamdiu viuunt coeunt, & pariunt. Boues viuunt annis quindecim, & quandoque viginti & pluribus. Vigent quinquennes maxime. Bimi dentes emittunt: tertio anno domantur: fruge, & herba veſcunt? Pingueſcunt eruo, faba, ordeo, & dulcibus, vt ficu, vino, & frondibus vlmi, ſed præcipue ſole, & aquæ calidæ lotione. Augentur iuuencæ amplius, cum plus temporis veneris ſunt expertes. Boues gaudent aqua clara, & frigida, ſorbendo bibunt. Tauri cum ad pugnam accedunt, puluere ſe aſpergunt. eorum ſanguis celeberrime coit; epotus, niſi ſubueniatur, interficit. In epiro boues ſunt egregia magnitudine. In India magnitudo boum camelos æquat, & ſi ſunt ibi aliqui boues, qui magnitudine hircos non ſuperant. Illorum cornua ad quatuor pedum latitudinem extenduntur. In Phœnicia ſunt vaccæ adeo magnæ, vt paſtores, cum eas mulgent, & ſtare, & in ſcabellum aſcendere neceſſe habeant. Bos ſi prope eſt, vt pluat, ad dexteram inclinatur, ſi proximo ſerenum tempus futurum ſit, inclinatur ad læuam. Si mugit, ac terram olfacit, aut ſupra, quam conſueuerit, pabulo impletur, tempeſtatem prænunciat. Fœminę vox grauior eſt. ex boue mortuo apes naſcuntur. Boues pedum dolores non ſentient, ſi cornua cera, oleo, aut pice illines. Cum pedibns laborant, vngulas non amittunt, ſed pedes intumeſcunt. Laborant vehementius gelu tempore, quam niuis. Duobus verò morbis laborare ſolent, podagra, vt diximus, & ſtruma. Idem autem in boue eſt ſtruma, quod in homine febris. Indicium morbi eſt ſi aures demiſſæ flaueſcant, & comedere nequeant. Indiei boues velociſſimi ſunt. In eubæa omnes fere boues albi naſcuntur. Vaccæ circa Toronam paucis ante partum diebus lacte carent, reliquo tempore perpetuo lac habent. Feri tauri Aethiopici Græcis bobus duplo maiores ſunt: velocitate corporis ſummè excedunt, rufis pilis veſtiuntur, cæſijs oculis ornantur; cornua, vt aures, mobilia babent; quæ tamen cũ pugnant, adeo erigunt, vt nulla vi flecti queant. eorum tergora nulla ratione penetrari poſſunt. Hæ beſtiæ omnia ar-

menta

menta inuadunt. Apud Troglodytas vacuæ præſtantiſſimæ exiſtimantur. Nam viribus ſunt leoni æquales; equos celeritate, Tauros robore, & ferrum duritia vincunt; Refert Ælianus (an verum ſit alij viderint) Boues ex Cratis fluuij aqua bibentes, ſeu nigri, ſeu rufi ſint albos euadere. *Lib. 12. cap. 33.*

Bubalus.

Bubalus ex cornutorum quadrupedum genere exiſtit. Boue aliquanto eſt maior. Niger eſt toto corpore: eius generatio, coitus, ætas, & cibus boui ſimilis eſt. In luto libenter volutatur. Cornu, & præſertim verno tempore, petere ſolet. In Iudæa Salomone regnante bubalos venabantur. *Reg. 3. cap. 4.*

Camelus.

Camelus ex quadrupedibus vaſtum eſt animal, crura habet prolixa, collum procrurum ratione ob longum, vt herbam, qua veſcitur, attingere valeat. Tuber in dorſo poſſident vnum Cameli Arabij: Bactrianis tubera ſunt duo; ſed vtrique parte ima tubera obtinent ſingula, quibus reliquum corpus incumbat, & firmetur, quoties in genua inclinantur. Papillas quatuor habet camelus, caudam aſino ſimilem, talum bobus ſimilem, genitale retro, cluneſque corporis magnitudine paruos Biſulcum eſt animal, & inferiori tamen parte dentatum fel habet indiſcretum, & venulis quibuſdam confuſum, Pedis veſtirium eſt carnoſum. Quare eos carbatinis calceant. Camelos fert India; Ambra, Armenia. Camelus ruminat; ex aduerſo mingit; ſitim quatriduo tolerat, & coitu negato fortior euadit; aeris temperie delectatur. Quapropter in Arabia magna eſt camelorum copia. Cameli numquam palam cocunt. cum matre non concubunt. Narrat Aelianus, Paſtorem matri obtectæ camelum admiſiſſe. Quod cum Camelus animaduertiſſet, paſtorem interfecit, ac deinde ſe ipſum præcipitauit. Cameli ad 30. & 50. & non vnquã ad 100. annos viuunt; in Arabia cœunt menſe ſeptembri. fert vterum Camelus menſibus duodæcim, parit ſingulos, tam mas quam fœmina in trimatu cœunt. Fœmina poſt partum interpoſito anno coit. Cameli turbulentam aquam ſuauius bibunt: equis aduerſantur, nec à rabie ſunt immunes. equos curſu æquant, ad ferenda onera multo ſunt valentiores. Camelorum lac eſt dulciſſimum. *Lib. 3. cap. 45.*

Camelopardus.

Cameleopardus animal camelo ſimile, & maculis Pardi more diſtinctum in Æthiopia naſcitur.

Canis.

Canum plura ſunt genera, vt notiſſimum eſt ſed quidam odore præpollent, vt ſunt ij, quibus animalia inueſtigamus; quidam curſu præeminent, vt vertugi, quidam in delitijs habentur, nec ad aliud fere vtiles ſunt. eſt & aliud genus omnibus valentius, quos moloſſos appellamus. Canes tam mares, quam fœminæ anniculi magna ex parte coeunt, ſed nonnumquam menſe octauo; quod magis fœminæ, quam mari euenit. Vno initu implent. Gerit vterum canis diebus ſexaginta, et vno, aut duobus, aut ſummum tribus, nec minus, quam ſexaginta. Quod ſi quis celerius prodierit, educari nequit. Cum peperit, ſexto poſt menſe, nec prius, impletur. Parit duodecim, cum plurimum, ſed magna ex parte quinque, aut ſex: Ad duodecimum vſque annum canes coire, & impleri ſolent: & ſi non defuere, quibus ad decimumquintum, & decimumoctauum: & vigeſimum facultas generandi fuerit. Dentes non mutant, præter caninos dictos, eoſque quarto ætatis menſe. Viuunt annis quindecim, & quinque viginti. Ætatis indicium ex dentibus ſumitur, quod iuniores candidos habent, & acutos, ſeniores nigros, & hebetes epirus inſignes canes gignit; canaria inſula multos, & ingentis magnitudinis. Indici canes ex tygride, & cane generantur, Laconici ex cane, & vulpe, quorum maribus fœminæ ſunt ſagaciores. Tanta canes exiſtunt ſagacitate, vt caninam carnem, quamuis conditam, non comedant. ſeneſcentibus vox grauior redditur. Canes ſua, & aliena vulnera ſaluia curant: ſed ſi forte vulnera tangere nequeant, pedem ſaliua inficiunt, eoque locum læſum tangunt, & ſanant. Cretici canes expeditiſſimi ſunt, Carmani, incolarum more, adeo fieri, numquam manſueſcant. Canes homines fideliſſimi ſunt, & pro eis pugnant. Memoria, homine excepto, cæteris animantibus præſtant. Canis lac omnibus craſſius eſt, præter lac ſcrofæ, & leporis. Canes tribus laborant vitijs, angina, podagra, & rabie. Angina etiam intereunt, podagra tentati pauci euadunt. Rabies facit furorem, & quæ rabidi canes momorderint, omnia rabiunt. Hominem à rabido

bido cane morſum neque in rabiem verti, neque interire cenſuiſſe videtur.Ariſtot. 8. de hiſtoria animaliũ Cap. 22. Nam Gaza ita tranſtulit quæ momorderint,omnia rabiunt excepto homine.Sed Leonicenus Gazã carpit:nam ait non eſſe legendum πλὴν ἀνθρώπου ideſt excepto homine, πρὶν ἀνθρώπου, ideſt prius homine.Mihi quidẽ cum Leoniceno conuenit. Nam a rabido cane morſum interijſſe vidi.ſunt qui ſolum canem, quamuis morſus non ſit, in rabiem verti credant. Sed ego contrarium ſentio. Nam eo anno,quo Paulus Tertius Pontifex Maximus obijt in Verulano vulpes multæ rabierunt, & in Ceccanenſi lupus rabijt, cum interea nullus in his locis canis rabidus eſſet, quos etiam rabijſſe Plutarcus in libro de ſolertia animalium refert. Canes cum lubricis infeſtantur, herbam tritici,& hederam comedunt. Pituitæ & bili parietaria herba ſibi medentur.

Capra, & Caper.

Capra ex quadrupedum genere cornutum eſt animal, & barbigerum, oue non maior. Maſculus caper, & Hircus vocatur, & cum paruus eſt, hædus. Inter inepta, & timida animalia reponitur. Nam ſi vnam mento apprehenderis, cæteræ ſtant, velut ſtupidæ in illam ſolam oculos conijcientes. Capræ anniculæ coeunt, & vterum ferunt. Terno, aut quaterno coitu implentur. Vere pariunt magna ex parte ſingulos, ſed quandoque binos, ternos, & quaternos. Ferunt vterum quinque menſibus. Quibuſdam in locis bis anno pariunt. octo, vt plurimum, annos viuunt. Cornum nodi annos indicant. Sed Æthiopicæ ad decimum, & vndecimum annum perueniunt. Coeunt quam diu viuunt. Capris nullum ducem paſtores conſtituunt. Capræ cum oculorum ſuffuſione laborant, ad rubum, vel iuncum oculos admouent, & referandos permittunt. Vbi rurſus oculum pupugit, pituita emittitur, atque ita ſine pupillæ læſione viſum recipiunt.Capræ pinguedine ſterileſcunt. Hirci pingues minus fœcundi ſunt: quòd ſi extenuentur, coeunt, & procreant. Capræ herba veſcuntur, ſummam tantum partem attingentes. Veratro pingueſcunt, & cicuta, vt Lucretius ſcriptum *Lib. 4.*
reliquit. Crebro loca permutant: ouibus ſunt robuſtiores: cum *Lib. 5.*
omnibus amicitia iunguntur: audiendi viſum acerrimum habent: ocimum aſpernantur. earum morſus arboribus, & præſertim vitibus eſt exitioſus: oliuam lambendo ſterilem reddunt: Quare antiqui eam tum bacco, tum Mineruæ immolabant. Caprarum cornibus, ſeu pilis accenſis ſerpentes fugantur. Lac ſtomaco eſt vtile:

Aiunt

deant: quæ quidem videndi ſedes numquam cute operitur, nec pupillæ motu; ſed totius oculi verſatione in orbem, mutationeque quoquo verſus aſpicit, quę velit. Mutat ſuum colorem inflatus. Verum, & niger non longe diſſimilis crocodilo eſt, & pallidus, vt lacerta; maculis diſtinctus, vt Pardus, nigris. Mutatur color toto in corpore. nam & oculi concolores reliquo copori redduntur, & cauda eundem colorem accipit. Motus ei piger admodum, vt teſtudinis, eſt: palleſcit, cum moritur, defunctuſque eundem colorem ſeruat. Gulam atque arteriam ſitu eodem continet, quo lacerta, carnem nuſquam, niſi in capite, & maxillis, & poſtremo caudæ admodum exiguam poſſidet, nec alibi ſanguinem, quàm in corde, & oculis, & loco à corde ſuperiore, & venulis hinc tendentibus. verum nec iis quidem vlla copia, ſed pauxillum habetur ſanguinis. Cerebrum paulo ſuperius oculis poſitum eſt, & propè iis contiguum. Cute autem exteriore detracta oculis, quidam lucens veluti anulus æneus tenuis, nulla pelle interceptus cingit. Membranæ in omnes ferè corporis partes multę, ac validæ, longeque firmiores, quam in cæteris tendunt. Diſſectus hic totus ſpirare præterea diu poteſt, motu admodum exiguo adhuc circa cordis ſedem extante, & cum omnes corporis partes contrahit, tum vel maxime coſtas cogere, atque adducere poteſt. lienem conſpicuum nuſquam continet. ſubit cauernas, & habitat more lacertarum. Hæc Ariſtoteles. Cauſa autem, quod chamæleon in varios colores vertatur, eſt metus: metus verò eſt propter ſanguinis inopiam, quæ, vt dictum eſt, in chamæleonte maxime ſpectatur. Chamæleontem fert Africa, & India, ſed India plures. Chamæleon ſolus animalium nec cibo, nec potu, ſed ſolo aere alitur.

Ceruus.

Ceruus quadrupes, & cornigerum eſt animal. Fœtus hinnulus appellatur. Cerui tantum ex animalibus cornua tota ſolida, & in ramos ſparſa, & quotannis decidua habent, niſi caſtrentur: caſtratis enim cornua non naſcuntur. Bimis cornua oriri incipiunt. & ad ſextum vſque annum ramorum numerus creſcit: poſt quod tempus eorum ætas non ramorum numero, ſed dentibus dignoſcitur. ſenes enim aut dentes nullos, aut paucos, habent, & cornuum adminiculis, quibus pugnant iuuenes, carent. Amittunt cornua ſingulis annis menſe Aprili: quæ cum amiſerunt, interdiu ſeſe occultant, ne à muſcis infeſtentur, & noctu paſcuntur. Idque faciunt,

4. de hiſto. ani. cap. 11. Aeli. li. 7. c. 34. donec cornua reparentur, quæ dum tenella adhuc ſunt, ſoli exponunt, vt exiccentur. Fœminam cornibus carere ait Ariſtoteles; ſed cornigeram viſam eſſe non nulli teſtantur. Ceruorum cornua ſuffita ſerpentes fugant: imò ipſorum ſpiritus ſerpentes vel inuitos à cauernis profert, & interimit. Ceruæ vterum gerunt octo menſibus. Pariunt vnum, ſed interdum geminos. Parere iuxta vias maxime ſolent, quòd eo carniuora accedere non ſolent. Primum inuolucrum, in quo uis medica eſſe creditur, cum primum pepererint, deuorant. Ante partum, & poſt partum ſeſeli herba ſe purgant: à conceptu ſe ſeparant. At mares interea vi libidinis ſæuiunt. editos hinnulos curſu exercent: nanque alij celeriter creſcunt. Cerui timidi ſunt. Nam ſanguinem maxime dilutum obtinet. cuius rei illud indicium eſt, quod eorum ſanguis, vbi effluxit, non concreſcit. Quod & Damis euenit. Ceruos felle carere, quamuis eorum inteſtinum ſit amariſſimum, Ariſtoteles ſcriptum reliquit. ſed Achai- 2. de hiſt. ani. c. 15. cis in cauda ineſſe credunt. Cerui vermes in capite continent. Vi canum vrgente ad homines confugiunt, & ſi aduerſus hominem inuidia flagrant. Nam ſcientes dextrum cornu homini vſui eſſe, illud abſcondunt. Cum aures erexere, acerrimi ſunt auditus; cum remiſere, nihil audiunt. Fugiunt venatores aura ſecunda. Cum maria tranant, gregatim incedunt, capita precedentium clunibus imponentes. Febri non laborant. Quare arbitrantur eos, qui ceruinam carnē aſſidue comedunt, longo tempore à febri immunes eſſe. Cum ſerpentibus inimicitias exercent. Percuſſi ſagitis, confugiunt ad dictamum, quam ipſos primos monſtraſſe referunt. Eorum vita ad centum annos producitur. In Africa nulli Cerui exiſtunt. Cerui ruminant.

Choerogilius, vel Cyrogrillus.

Choerogilius, vel Cyrogrillus, vt aliqui volunt, animal eſt ſpinoſum, herinaceo maius. Ruminat, ſed vngulam non diuidit. Quidam dicunt, hoc animal idem eſſe, quod cuniculum. Verum de Cuniculo vide infra in dictione, Lepus.

Dama.

Dama, capræ ſimilis eſt, ſed ex cornigeris minime velox eſt, & cornu petit. Mediæ eſt naturæ: namque neque inter feras, neque inter mites aiantes connumerari poteſt: miteſcit enim, ſed raro.

reſle caret. eius ſanguis cum effluxerit, non congelatur, quoniam nimis eſt dilutus. Quare Dama timida eſt.

Dromedarius.

Dromedarius idem eſt, quod Camelus. Vide ſupra, Camelus.

Elephas.

Elephas ex quadrupedum terreſtrium genere maximum, Bubalo eſt multo maior, ſed pellem habet ſubnigram, bubalo ſimilem, craſſam & duriſſimam: os porcini imaginem gerit. Ab ore pendet promuſcis, qua ſpirat, comedit, et bibit; quanquam, vt nos manum, contrahit, & extendit, &, vt lubet, inflectit; eius longitudo eſt ſex pedum, & trium digitorum. Elephantis caro rubra eſt, vt bubalorum, oſſa alba; lingua, & oculi corporis proportione minores. Dentes habet Elephas candidos tum interiores, qui vtrinque ſunt quatuor, tum exteriores duos, ſed candidiores exteriores, ex quibus fit ebur: ſed tamen vtrique tractu temporis rubeſcunt. Quare nihil mirum eſt apud Hieremiam de ebore rubicundo mentionem fieri. Verum illud adnotandum, quod Petrus Gillius in Elephāti deſcriptione animaduertit, exteriores dentes, quos pugnaturus in arbores exacuit, cornua potius eſſe, quam dentes, cum non maxillæ, ſed pelli ſupra os eminenti adhæreant. Fœminarum dentes maiori in pretio habentur. Elephantis iecur quoquouerſum, ſi à medietate metiaris, pedem vnum longum eſt, ſeptem digitos craſſum, in quo fel non reperitur. ſanguis eſt frigidiſſimus. ſplen pedes quatuor, cor pedem vnum amplum eſt. Genua elephas inflectit, & poſteriora, vt homines. quidquid Strabo ſomni et. Pes in quinque vngulas leniter diſcernitur. Mammas Elephas duas paulo citra pectus poſſidet. Cum primum natus eſt, dentes habet, quamquam exteriores non illico perſpicue apparent. fœmina coire incipit anno duodecimo. mas quinque, aut ſex annos natus ſuperueniente vere coire incipit: coitum triennio interpoſito repetit: quam grauidam reddidit, eandem deinceps nunquam tangit. Ferendi vteri tempus alij triennium, alij decem, & octo menſes ſtatuunt, vt ait Ariſtoteles. Parit ſingulos: fœtum magnitudine bimeſtris, aut trimeſtris vituli edit: Pullus, cum primum natus eſt, cernit, & ambulat. Elephantes coituri, ſolitudines petunt. Aquis delectantur, quas turbidas ſuauius bibunt. Vno paſtu tritici mo- *De hiſt. ani. li. 6. cap. 27.*

dios nonem, cumplurimum, edunt. Sed tantum dare periculoſum eſt. ſex, aut ſeptem dediſſe, & fœminæ quinque, ſatis eſt. Vini dantur hæminæ triginta, aquæ amphoræ quatuordecim, & meridie octo. viuunt centum, ducentis, & trecentis annis. hyemis, & frigoris ſunt impatientes: ſagaciſſime odorantur, & odores diligunt. Memoria pollent. Mulierum, & muſicæ ſunt amatores. ſunt dociles, &, ſi parui capiantur, facile miteſcunt. Fœminæ Maribus ſunt pauidiores. Gregatim ingrediuntur. In luce verſari gaudent. Quare, qui eos regunt, in ſtabulis noctu lumen apponunt. Ita ſeruant ius amicitiæ, vt pro amico vſque ad mortem pugnent. Minores maioribus obſequuntur, lunam, & ſolem exorientem, vt aſſerunt, venerantur, & quo poſſunt modo ſalutant. Alui inflatione, & profluuio infeſtantur, quibus morbis Indi vino medentur, & ſi à cæteris morbis immunes extant. Haſta, ſagittaue icti, oleæ flore, vel ipſo oleo defixa tela extrahunt. non minus ignem, quam leonem extimeſcunt. Arietis cornua, & ſuis grunnitum horreſcunt. Cum Dracone inimicitias gerunt, & cum Rhinocerote, à quo interdum perimuntur. Mures odio proſequuntur. Iccirco, qui eis miniſtrant, feles in ſtabulo retinent. eorum adipem ferunt ad venena valere. Apud Indos Elephantem album viſum eſſe refert Aelianus.
Lib. 3. c. 44. Sunt & Elephantes ſpurij appellati, qui magnitudine ſunt Elephantis, cætera boues. Gignit Elephantes India, & Africa. ſed Indus Africo maior eſt. Fert eoſdem Aethiopia, & Trogloditorum regio. Pugnãt Elephantes libidinis rabie agitati inter ſe vehementer; imò eadem impulſi caſas proſternunt, & multa damna inferunt. ſed eos pabuli copia mitigari aiunt.

Equus.

Equus, vt plurimum, tàm mas quàm fœmina tertio ætatis anno coire incipiunt, & nonnunquam ſecundo. mas ad vigeſimum annum in coitu præſtans eſt. ſinguli equi ad vicenas equas admittun-
Her. li. 1. tur, vt ait Heſodotus: ſed Ariſtoteles ſingulos ad tricenas admitti
Ariſt. 6. de hiſto. ani. c. 18. aſſerit. fert vterum equa menſes vndecim: parit duodecimo menſe. equus non certo dierum numero implet. ſalaciſſimum omnium tàm fœminarum, quam marium equus eſt, homine excepto: imo equa ſola, veluti mulier, ex ijs, quæ ſuperfætant, prægnans coit. Pariunt equæ magna ex parte ſingulos, ſed gemellos quandoque: ſtantes pariunt. equis dentes quadraginta numero ſunt, qui in ſenectute candidiores fiunt, quamuis contrarium cæteris

teris animalibus eueniat. Vita equorũ ad 20. annos produci ſolet. ſunt qui ad vigeſimumquintũ annũ perdurarint. ſunt qui ad trigeſimũ & quadrageſimũ vitam protraxerint. equæ ad 25. annos viuunt, non nullæ etiam ad quadraginta vixere. Minus temporis equi viuunt, quam equæ; ob nimium coitum; & qui domi aluntur, minus viuunt, quam gregarij. Fœmina quinquennio finem tùm longitudinis, tum proceritatis ſui corporis recipit, max ſexennio: ſed in corpulentiam ad vigeſimum annum creſcit. Mas omnibus temporibus init, nec ceſſat, quam diu viuit. equi fruge & herba veſcuntur, ſed aqua potiſſimum pingueſcunt. ſorbendo bibunt, & turbulentam aquam ſuauius, quam claram. Farrago pilum expolit. Gaudent equi pratis irriguis. Lauatione, & vnguentis oble&ctantur. Si lupi veſtigium conculcarint, continuo torpeſcunt, vt refert Aelianus. Equi gregales à morbo immunes ſunt, excepta podagra, & plerumque ob id vngues amittunt, ſed amiſſis alij naſcuntur. *Lib.* 1. c. At qui dòmeſtici pluribus morbis ſubiacent. laborant enim ileo di- 27. &cto, hoc eſt, tenuioris inteſtini morbo. Rigore etiam neruorum capiuntur, ſuppuratione quoque inflammantur, nec non vitium incurrunt, quod hordeatio dicitur. Hoc malum palatum moleſtat, atque efficit, vt equus feruentius, quam ſolebat, ſpiret: cuius mali nullum eſt remedium, niſi ſponte emendetur. Lymphantur etiam equi. Id autem vitium tale eſt, vt ad tibiæ ſonum quieſcant, & frontem dimittant: cum verò conſcenderis, citentur contentius, donec retineas: & ſi rabie tenentur, triſtes ſunt, aures demittunt ad iubam, & morſus protendunt, idque ſæpius fa&citant. Quin etiam cordis dolore vexantur. Tunc latera ſubſidunt, & ilia præſtringuntur. Interdum veſica de ſuo ſitu amouetur. Tunc equi vrinam reddere nequeunt, & vngulas, cluneſque trahunt. Denique rerum periti aiunt, tot equum morbis, quot hominem infeſtari. Equa ſi odorem lychni extin&cti ſenſerit, abortum facit. Aliquando equæ præ libidinis ardore adeo afficiuntur, vt pæne inſaniant. Tum currunt, nec prius deſiſtunt, quam aut defatigentur, aut ad marem veniant. Hinc virus emittunt, quod Hippomanes vocatur. Cum pariunt, humorem emittunt eodem nomine appellatum. Hic autem humor, vt ait Ariſtoteles 6. de hiſt. ani. Cap. 18. tenuis eſt, & difficulter accipitur, quoniam paulatim labitur eo, vti ſolebant venefici ad amorem conciliandum. Sed, vt mihi videtur, Ariſtoteles ſibi ipſi aduerſatur. Nam eodem lib. cap. 22. dicit, Hippomanes pulli fronti adhærere, idque à mare cum ſecundis ſtatim deuorari, eſſe magnitudine minus carica parua, ſpecie latiuſculum,

ciuſculum, orbiculatum, nigrum. Nec diſcrepat ab hac ſententia Plinius. Senſit idem Virgilius, cum inquit: Quæritur, & naſcentis equi de fronte reuulſus, Et matri præreptus amor. Extinguitur equarum libido iuba tonſa: nam verecundantur. Florus auis equum odio habet. equus camelis hoſtis eſt, eoſque formidat. equi Lybici graciles ſunt. In campis Niſenis Medicæ regionis grandes equi naſcuntur. India equos cornu vnum habentes profert. ex his cornibus conficiuntur pocula, in quibus ſi coniectum venenum bibatur, nihil nocumenti affert. Fert Nilus equum fluuiatilem, quem his verbis Ariſtoteles deſcribit. Iuba equiungula, qualis bobus, roſtrum reſimum. Talus etiam ineſt biſulcorum modo, dentes leuiter exerti, cauda apri, vox equi, magnitudo aſini, tergoris craſſitudo tanta, vt eo venabula faciant, interiora omnia aſini, & equi ſimilia.

2. de hiſt. ani. c. 7.

Erinaceus.

Erinaceus ſpinoſum eſt animal, qui mutationem Aquilonis in Auſtrum præſagiens, ſe in cauernis abdit. Cum vulpe pugnaturus corpus conuoluens, adeo ſpinis horret, vt nec morderi, nec tangi poſſit. In deſperatione vrinam reddit ſuo corpori, & ſpinis noxiam. eius cute veſtes expoliuntur. Magna eſt erinacci prouidentia. Nouit, non omne tempus percipiendis fructibus idoneum eſſe. Quare æſtate hac arte illos condit. In locis, vbi fructuum aceruı ſunt, ſe ipſum volutans, hirſutus, ſuis aculeatis ſpinis non pauca poma transfixa portat, & in cauernas condit. Creta Erinaceos non gignit, Ex Erijaceorum genere eſt Hyſtrix erinaceo maior, quæ in venatores ſpinas, tanquam tela, torquet.

Gigas.

Gigas homo eſt ingentis magnitudinis:
Hinnulus. Vide Ceruus.
Hircus. Vide Capra
Hædus. Vide Capra.

Ibex.

Ibex caprarum eſt genus, ex ſemi feris. de quo ita ſcribit Plinius: Sunt Ibices pernicitatis mirandę, quamquam onerato capi-
8. c. 53.

te va-

te vaſtis cornibus, gladiorumque vaginis: in hac ſe librant, vt tor-
mento aliquo rotati, in petris potiſſimum, è monte aliquo in alium
tranſire cupientes, atque recurſu pernici, quo libuerit, exultant.

Lamia.

Lamia, vt Hieronymus in Commentarijs ſuper lamentationes *Cap. 4.*
Hieremiæ, ſi tamen illa Hieronymi ſunt, ait, eſt animal huma-
nam faciem habens, & corpus belluæ. Lamias etiam appellamus
mulieres, quæ infantes necant, eorumque ſanguinem exugunt: quas
& ſtriges, & laruas, & lemures vocant.

Leo.

Leonum duo ſunt genera, alterum breuius, & criſpiore pilo,
quod ignauius exiſtimatur; alterum longius, piloque probiore:
quod generoſius eſt. Leo per exiguam in oſſibus medullam habet:
oſſa vero adeo dura ſunt, vt ex ipſis excuſſis, tanquam à ſilice,
ignis elidatur. eius ceruix vno oſſe rigido conſtat. Talus in anfra-
ctu eſt tortuoſus. Leo ex aduerſo, & crure, vt canis, ſublato
mingit. Duas in ventre mammas habet. Non omni tempore coit,
ſingulis tamen annis. Fœmina vere parit. In vita quinquies parere
ſolet; primo partu quinque, ſecundo quatuor, tertio tres, quar-
to duos, quinto vnum edit. Quare falſum eſt, quod Epiphanius *Contra*
ſcribit, Herodoti auctoritate forſan deceptus, leænam in vita vnum *hereſes*
parere, quod pulli vterum diſcerpant. Parit Leæna adeo paruos, *li. 3. tom.*
vt vix poſt ſecundum menſem ingredi incipiant. ſolum Leonem *2.*
oculis apertis naſci Democritus, Aeliano referente, ſenſit. Leo *Her. li. 3.*
cum dormit, caudam mouet. Quare putatur vigilare. Leo car- *Aeli. lib.*
ne veſcitur, ſed cum incontinenter ea vtitur, biduo, atque etiam *5. c. 39.*
triduo cibo abſtinet. Reliquias ex præda non ſeruat, neque ad il-
las, niſi neceſſitate coactus, reuertitur. Parum bibit, ac ſitim fa-
cillime fert. egerere tertio die ſolet. Vrinam grauiter olentem red-
dit. eius flatus, & diſciſſa inteſtina male olent. Leo liberalis eſt,
fortis, & generoſus. A prima ætate cicur factus manſueſcit. Pa-
trem ſeneſcentem alit. Iniurias præclare vlciſcitur: beneficiorum
meminit. Cum graditur, varium ponit veſtigium. In venatu, dum
cernitur, nunquam fugit, ſed paulatim ſe retrahit: cum in opaca
deuenit, celerrime fugit. ſi quando locis patentibus fugere cogi-
tur, contente fugit, nec ſalit, vt ſolet, cum inſectatur. Percuſſo-
rem

rem agnoſcit, & obſeruatum inuadit. Viſus eſt leo, qui cum ſuem aggrederetur, vt ſetis horrentem inſpexit, fugæ ſe dedit. Leo cum leone non dimicat: limis oculis non intuetur. In Camelos non irruit, quando aliunde cibum comparare poteſt. Viuere ad multos annos putatur. Ignem, ſcorpium, rotarum orbes, currus inanes, & gallum formidat. Bubalis, tauris, & lupo ceruario inimicus eſt. Cum leæna, quoniam magnanimus eſt, venatum ire dedignatur. ex vulnerato à leone ater ſanguis profluit. Leonis ad infructuoſa loca profectio ſiccitatem prænuntiat. Leæna iuba caret: hæc enim maris propria eſt. Africa leones gignit, & Syria, in qua, & nigri viſuntur, cum flaui eſſe ſoleant. Europa nullos fert, præter regionem in Acarnania inter Neſtum, & Acheloum fluuios ſitam. Verum ij Africis, & Syrijs præſtantiores ſunt. In India leones naſcuntur maximi; quorum pelles aſpectu nigræ ſunt, & horridæ, & formidoloſæ. ſi capiantur, modo magni ne ſint, manſueſcunt, & venationi, perinde ac canes, aſſueſcunt: nam ſagaciſſime odorantur.

Lepus.

Leporum tria ſunt genera. Vnum Italicum hoc noſtrum, pedibus primis humilibus, poſterioribus altis, ſuperiore parte pulla, inferiore alba, auribus longis. In Gallia tranſalpina, & Macedonia ſunt permagni. In Italia, & Hiſpania mediocres. Alterum genus naſcitur ad Alpes, quod totum candidum eſt. Tertium genus eſt, quod in Hiſpania, & Italia oritur, humile, qui cuniculus appellatur, ſic dictus, quod cuniculos in agris, in quibus habitant, effodere ſoleant. fœcundus eſt lepus, & ſuper fœtat, & non ſimul omnes, ſed interpoſitis diebus modo hunc, modo illum parit. Nam alium fœtum in vtero gerit pilis veſtitum, alium nudum, alium tamen non formatum, alium concipit, alium alit. omni tempore coit, & ſingulis menſibus generat. Vulgus ait, cui Volateranus aſſentit, & Aelianus ſubſcribere videtur, omnes lepores eſſe vtriuſque ſexus participes: quod ego fabuloſum reperio. Lepus patentibus palpebris ſomnum capit. eius anni ex foraminibus, ſeu cauernulis quibuſdam in corpore exiſtentibus dignoſcuntur: nam pro cauernarum numero anni computantur. Lepus timidus eſt, ſed ingenioſus. Ruminat, ſed vngulam non diuidit: ex aduerſo mingit. Campeſter montanum velocitate ſuperat. In Ithaca inſula lepores viuere nequeunt. Vulpium inſidias metuunt. aquilarumque, & coruorum voces perhorreſcunt. Aprica loca appetunt: frigus

Vola. li. 25, Aelia. li. 13. c. 12.

decli-

declinant: aſſuetas ſedes omnibus locis anteferunt: vnde euenit, vt ſæpenumero capiantur.

Lupus.

Lupus ferum eſt animal: nunquam enim manſueſcit, immo crudelis eſt, cum alter alterum voret. Nam lupi, cum venatione deſtituuntur, excurrunt, & circumaguntur. Quod ſi quis eorum ex vertigine in terram lapſus fuerit, continuo ab omnibus facto in in eum impetu dilaniatur. Lupi collum oſſe vno conſtat. Quare adeo anguſtum eſt, vt retro verti nequeat, niſi totum corpus retorqueat. oculi acuti, & ſplendentes ſunt. iecur equinæ vngulæ ſimile. Coeunt lupi toto anno; circa ver diebus duodecim. Lupa vterum fert, & parit, vt canis; cæcos gignit. parit ineunte æſtate, & ante partum diebus duodecim doloribus vexatur. ſunt, qui dicant, lupam ſemel tantum in ætate parere. quod fabuloſum eſt. Lupus cum fameſcit, etiam terra veſcitur. lupi non alio tempore herbas comedunt, quam cum morbo laborant. ea enim ingeſta purgantur. Aſino, Tauro, & Vulpi hoſtes ſunt. Taurum à tergo aggrediuntur, cornua cauentes. ſi ſcyllæ folia conculcauerint, vel illis ſaltem appropinquauerint, ſtatim torpeſcunt. Quapropter vulpes non ſine cauſa illa in luporum cubilia inijciunt. ſi licoctonon herbam, quæ apud Nilum naſcitur, calcauerint, conuulſionibus moriuntur. A deſertis locis ad habitata refugientes, tempeſtatem præmonſtrant. exaturato lupo venter turget, lingua tumet, os obſtruitur. Tunc adeo manſuetus exiſtit, vt nulli moleſtiam inferat. Lupi flumina, quæ vadoſa non ſunt, hac arte traiiciunt. Alter alterius caudam mordicus tenet, atque ita fluctus perferentes, nullo negotio tutiſſime tranſeunt. Aiunt rumpi equos, qui ſub equite luporum veſtigia ſequantur. In Africa, & Ægypto parui, & inertes lupi naſcuntur; in Septentrione aſperi, & truces. Creta lupis infeſtiſſima. Macedonicus Olympus à lupis non aditur.

Mulus.

Muli ex aſino, & equa generantur. Nam qui ex equo, & aſina gignuntur, Burdones in Scriptura vocantur. Mulum non generare compertum eſt: quamuis Plinius referat ex mulo, & equa pullum natum, quem hinum, hoc eſt paruum mulum appellauere. Mulam grauidam factam eſſe, ſed partum non perfeciſſe, ſcribit *4. Reg. 5. Pli. li. 8. c. 44.*

Kk Ariſto-

Ar. 6. de hiſt. ani. c. 24. Ariſtoteles. Herodotus tradit, Xerſis tempore mulam mulum Sardis genuiſſe. Mulas in Syria ſuper Phœnicem, & in Cappadocia coire, & generare, auctor eſt Ariſtoteles. aſſerunt tamen, id genus, *Her. li. 7.* quamquam ſimile, diuerſum tamen eſſe. Mulus duodecimo menſe à coitu editur. Viribus in labore eſt eximius. perpetuo cicur eſt. felle caret. Mulum ad octogeſimum annum vixiſſe, Ariſtoteles, *Ariſtot. 1. de hiſt. ani. c. 6.* & Plinius teſtantur: qualis fuit mulus Athenis, cum templum ædificaretur. Is quamuis munere per ſenectam dimiſſus, commeans tamen, ac obiens iumenta, ad opus accedebat. Quamobrem de- *Ariſtot. 6. de hiſt. ani. c. 24. Pli. li. 8. cap. 44.* creto ſancitum fuit, ne quis eum à frumentorum aceruis arceret. Serius fœmina, quam mas ſeneſcit. In India ex Aſino, & equa ſiluestribus muli naſcuntur rufi ad currendum præſtantiſſimi, qui poſt biennium domari nequeunt.

Mus.

Murium tria ſunt genera, domeſtici, agreſtes, & marini. Domeſtici agreſtibus ſunt timidiores: Marini omnibus audaciores. Nam, cum & prædurae pelli, & dentium robori confidant, non ſolum cum valentibus piſcibus, ſed etiam cum peritiſſimis piſcatoribus pugnant. Eſt præterea mus Aquatilis, qui & teſtudo lutaria appellatur. In ſcrobe effoſſa parit oua, quæ terra obruta deſerit, dieque trigeſimo repetit, refoſſaque aperit, fœtumque continuo in aquam ducit. Mures tum ex generatione, tum ex putri materia prodeunt. Fecundi ſunt, ſed ſalis eſu fecundiores redduntur. & quanquam eos vulpes, & cati ſilueſtres venantur, nihil tamen eorum copiam tàm abſumit, quàm imbres. Sunt mures, qui erectis pedibus ambulant, cum poſteriora crura longa, priora breuia habeant. Murem centum, & viginti fœtus peperiſſe, Ariſtoteles eſt *6. de hiſt. ani. cap. vlt.* auctor. Mures lambendo bibunt. Cum ſtrident, vehementem præſagiunt tempeſtatem. Strepitum perhorrent, ſed nihil magis, quam felis vocem. Qui ſua ſponte moriuntur, paulatim defluentibus membris è vita excedunt. Luxurioſi admodum ſunt. Caſpij ſunt maximi. Ægyptij pilos præduros erinacij inſtar habent. Parij terra, vnde aurum foditur, veſci, ferrumque exedere, & comedere dicuntur. Pontici hyberno tempore latent, & pingueſcunt.

Muſtella.

Muſtella muris imaginem refert, ſed colore eſt ſubrufo. Muſtella-

ſtellarum duo ſunt genera, ſilueſtre, & domeſticum. Hæc catulos ſuos quotidie transfert, ſedem mutat, & ſerpentes, qui mures venantur, impugnat, cum & ipſa mures perſecuatur, cum quibus pugnatura rutam, cuius odor ijs moleſtus eſt, comedit. Muſtella homines mortuos inuadit, ipſorumque oculos diripit, & exorbet. Si bufonem forte conſpexerit, veluti fato quodam adacta illius hiantis, & ſi lento gradu, & gemens accedit, os ingredi compellitur, à quo & deuoratur. ſi in pullarium introierit, pullos quotquot neceſſe habet, interimit, eorumque exhauſto ſanguine diſcedit, neque canes attingit. Huius fel contra aſpides eſt efficax. Congregari aiunt muſtellas ſtellionum felle in aqua trito, & punctis oculis viſum recipere. Qui pullos gallinaceos, aut colunbinos à muſtellis tutos eſſe volunt, offam è muſtellarum cinere illis præbent. Muſtellæ teſticulos mulieri alligatos partum continere dicunt,

Mygale.

Mygale, vt glo. ſuper Leuitici xi. teſtatur, animal eſt natum ad deridendum, doloſum, rapax, & ingluuioſum. ſed Herodotus mygalas maiores araneos appellat. *Her. li. 2*

Onager.

Onager ferus eſt aſinus. Qui ex onagro, & aſina gignitur, omnes antecellit. Onagri in Phrygia, & Lycaonia præcipui ſunt. In regione, quæ apud Oceanum, ad orientem, & meridiem ſpectat, Onagri ſunt, vt refert Nicephorus, ingentes, & verſicolores. Onagrorum pulli Laliſiones vocantur, qui præſtanti ſunt ſapore. *Eccl. hiſt. li. 9. cap. 19.*

Onocentaurus.

Onocentaurus, eſt animal, quod tum aſini, tum centauri ſpeciem gerit.

Oryx.

Oryx, caprarum genus, contrario pilo, & ad caput verſo veſtitus, perpetuo ſitit, & tamen ad ſitientium remedia vim habet. Nam, vt ait Plinius, Getuli latrones, quod loci natura potu careant, *Lib. 10. cap. 73.*

eo durant auxilio, repertis in corpore eius ſaluberrimi liquoris veſicis.

Ouis.

Oues anniculæ coeunt, & vterum ferunt. Ferunt autem quinque menſibus. Terno, aut quaterno coitu implentur. Pariunt maxima ex parte ſingulos, ſed interdùm binos, ternos, & quaternos. Quibuſdam in locis tum aeris clementia, tum pabuli copia bis anno pariunt. Vſque ad octauum annum pariunt, &, ſi bene curentur, gignendi facultas ad vndecimum annum protrahitur. Quinimmo fieri poteſt, vt per totam vitam coeant. Ad denos annos perueniunt, duces pecoris ad quindenos. ſed Aethiopicę ad duodecim, & tredecim annos viuunt. ſingulis ouilibus ſinguli duces conſtituuntur, qui quoties ſuo nomine à paſtore vocantur, antecedunt: quod ab ineunte ætate facere aſſueſcunt. Candidi, nigri ue efficiuntur fœtus, ſi ſub lingua arietis venæ ſint nigræ, vel albæ: cuius enim coloris ſunt venæ, eiuſdem & fœtuum vellera. In grege ouium, ſi maiores natu tempeſtiue libidine agitantur, annum eſſe fœlicem gregi paſtores affirmant; ſed, ſi minores, infœlicem. Oues herba ueſcuntur. ſtabiles paſcere ſolent. Pingueſcunt potiſſimum potu. Quapropter paſtores, vt ſitiant, eis ſalem prębent. opimat hoc pecus olea, oleaſter, aphaca, palea, herba, quę omnia ſalſugine aſperſa efficaciora ſunt. Oues, ſi copioſius glandes comedant, abortum facere ſolent. Si nimium pingueſcant, letale eſt. Aqua ouibus aquilonia commodior eſt, quam auſtrina. Paſcua ad Solis occaſum ſpectantia proſunt. Ouium, quas lupus occiderit, pelles, & vellera, & factę ex ijs veſtes pediculos procreant. Oues vere lauantur, Iulio menſe alibi tondentur; ſed in Italia tondentur vere, & autumno. Agni, & hædi laſciuientes, & inter ſe ſaltantes lętos dies pręnunciant. Oues amentiſſimę ſunt. nam ſine cauſa in deſerta repunt. hyeme obſtante, è ſtabulo egrediuntur: ſi occupentur à niue, ni ſi paſtor compulerit, non abeunt. In Ponto felle carere dicuntur: ſed in Naxo inſula duplici felle prędite ſunt. In Budaniorum regione, & Abida omnes nigrę naſcuntur. ex aqua Chratis fluuij bibentes, ex nigris, ruſiſue albę fiunt. In Africa oues, & arietes ſtatim cornigeri generantur; Contra in Ponto per prouinciam ſcythicam nullis cornua enaſcuntur. In Epiro oues ſunt maximę. In Arabia, Syria, & India duo ſunt ouium genera, quorum unum caudam habet non breuiorem tribus cubitis, alterum ad cubitalem latitudinem caudas gerit. In ouillo genere mas, qui ad prolem procreandam aſſeruatur, aries dicitur.

dicitur: caſtratus veruex vocatur; pullus antequam generandi facultatem habeat, agnus nuncupatur. lac ouillum bubulo dulcius eſt, & magis alit.

Pardus.

Pardus varius eſt colore. In ſanguinem præceps eſt, & ſaltu potius, quam curſu perſequitur. Adeo velox eſt, vt interdum inter frutices latens in aues craſſari dicatur. In Africa, & Syria gignitur. ſed in Caria, & Lybia pardi prælongi admodum ſunt, ac animo imbelles, pelle adeo dura, vt ferro non cedat. Pedes priores quinos, poſteriores quatuor digitos obtinent. Hoc animal bene olet. Quare cæteræ feræ hoc odore inuitatæ dum ad pardum propius accedunt, ipſius præda fiunt. Fœmina facilior inuentu. In hoc genere eſt, qui cognominatur Bitis, hoc tantum alijs abſimilis, quod cauda carere dicitur.

Piloſus.

Piloſi, vt elicitur ex Hieronymo ſuper illud Eſa. c. 14. Piloſi ſaltabunt, ſunt Incubi, aut ſatyri ſilueſtres, quos non nulli Faunos ficarios uocant.

Rhinoceros.

Rhinoceros longitudine par eſt elephanto, ſed non adeo magnus. Colore eſt Buxeo. Cum elephante inimicitias gerit. Prœliatur cornu, quod in naribus ferri duritiam habet, vt ſaxa limet, & nunc proboſcidon nunc ventrem, vt debiliores partes, petit. Cum in Scripturis vnicornem legis, Rhinocerotem intellige. Accipitur, autem hæc vox nunc in bonam nunc in malam partem. Nam, cum forte & indomitum animal ſit, propter fortitudinem commendatur, propter ferocitatem vituperatur. ſed non ſolus Rhinoceros Vnicornis eſt. Nam pleraque alia animalia ſunt eiuſmodi: de quibus uide in verbo, Vnicornis.

Simia.

Simiarum tria eſſe genera docet Ariſtotiles, Cæbos, Cynocephalos, & appellatas uulgo Simias. Cœbi caudam gerunt. Cynocephali faciem habent caninæ ſimilem, & moribus ſunt ferocioribus *2. de hiſt. ani. c. 8.*

ſed cauda

ſed cauda carent, vt etiam ſimiæ. Simiæ partim hominem, partim quadrupedem imitantur. Quare, vt quadrupedes, natibus carent; vt bipedes, cauda priuatæ ſunt. vtraque parte, prona, & ſupina pilos obtinent. facie plurimum, ac multis alijs membris cum homine conueniunt. Fœminarum genitale muliebri ſimile eſt, ſed marium canino. Inteſtina ad humanam ſimilitudinem accedunt. Simias fert Æthiopia, & India. Simia ad omnia imitanda habilis eſt:
Lib. 5. c. 26. quidquid enim corpore agitur, diſcit, & repræſentat. Refert Aelianus, ſe vidiſſe ſimiam aurigæ munus obeuntem, quæ tum habenas adducebat, & remittebat, tum flagellis vtebatur. peruerſiſſimum eſt animal, & homini aduerſum. In India ſimiæ multæ ſunt, & variæ. Hic eſſe ferunt quoddam ſimiarum genus magnitudine Hircanorum Canum, coma veluti artificio quodam elaborata, cauda leonina, & reliquo corpore, capite, & extrema cauda flauum: quod cicur eſt, nec obuium quempiam lædit. In Perſiana Indorum regione ſunt ſimiæ maximis canibus magnitudine æquales, quarum cauda quinque eſt cubitorum. ſunt facie albæ, reliquo corpore nigræ. non ſunt, vt reliquæ, peruerſæ, ſed omni manſuetudine imbutæ. Apud Orcos Indos ſimiæ toto corpore albæ extant.

Sus.

Sues tam mares, quam fœminæ coire incipiunt menſe ſuæ ætatis octauo: ſed nonnullis locis quarto coeunt menſe, & ſexto fœtus educare poſſunt. poſt coitum humorem emittunt, quem apuam appellant: quo vti ſolebant perfidi ad amoris veneficia. Concipiunt præcipue, cum præ libidine flaccidas aures demittunt, aliter ſemen à vulua reſpuitur. Sues etiam prægnantes coire ſolus, quod ſciam,
Li. 10. c. 63. Plinius refert. ſus bis anno parit, & nonnunquam vicenos: ſed proles, quæ hyemis initio gignitur, præſtantior eſt; quæ æſtate, deterrima. Fert vterum menſibus tribus. Poſt quintum decimum annum non generat, ſed efferatur. Præ pinguis lactis penuriam ſentit. Sues in Arabia non viuunt. Ætas ſuum ad 15. & non numquam ad viginti annos protrahitur. Pingueſcunt ſues ſexaginta diebus. Non herbis, ſed radicibus veſcuntur, & facillime ad omnes cibos aſſueſcunt. Pingueſcunt ordeo, milio, ficu, glande, pyro, cucumere: ſed pinguiores redduntur quiete, & volutatione in luto. Gregatim paſcuntur. frugibus pernicioſiſſimi ſunt. Adeo explendo ventri dediti ſunt, vt ne proprijs quidem fœtibus parcant; immo neque à carne humana abſtinent: Cicuta, & anguibus, qui nobis exitio ſunt,

aluntur,

aluntur, & pingueſcunt. Si quando ſalamandram comederint, extra periculum ſunt. qui verò eorum carnes comederint, moriuntur. Grauidis ſi copioſius glandes dentur, abortum facere ſolent. Sues fœminæ dente exerto carent. quare mordent. Sues in luto volutari, & aquam turbidam bibere gaudent. vnde & pingueſcunt: ſed caſtrati pingueſcunt magis. Cornu ſonitu congregantur. Tribus morbis laborant, raucedine, dolore capitis, & alui profluuio. Raucescunt potiſsimum, quando pinguiſſimi ſunt. Proſunt ad raucedinem mora, celſi, balneum calidum, & mulſum, & à uena ſub lingua ſita ſanguinem detraxiſſe. Capitis dolori vino naribus adhibito, eoque ipſo delutis, ſuccurritur. Alui profluuium irremediabile eſt. Grandines in ſolo ſue ex quadrupedibus naſcuntur: quæ tipha herba tolluntur. Sues vngulam diuidunt, ſed non ruminant: at Ariſtoteles aſſerit, Illyricos, & Peonios ſues ſolipedes eſſe. ſues altero oculo amiſſo breui extingui exiſtimantur. Elephas ſuem timet. Sues cum lupo, & anguibus, & muſtellis inimicitias exercent. ſus ferus aper vocatur: qui, cum ad pugnam accedit, dentes acuit. Apri mares caſtrati maiores, ferocioreſque euadunt. ſues fere ſemel anno gignunt. *2. de hiſt. ani. c. 1.*

Talpa.

Talpa muris eſt forma, ſub terra vitam degit, viſu caret, licet oculos habeat, frumentum in area populatur. Apud Boeotiam in Orchamenio agro talpæ multæ ſunt: at in Lebatico vicino nullæ habentur, neque ſi aliunde importentur, infodiunt.

Taurus. Vide Bos.

Tragelaphus.

Tragelaphus ceruo eſt ſimilis, barba tantum, & harmorum villo diſtans: hęc enim hircum referunt. non alibi, quam iuxta Phaſin amnem naſcitur.

Tygris.

Tygris miræ eſt velocitatis, & ferociæ. Aculeos habet in cauda, quos veluti ſagittas iacit. Tres ordines dentium obtinet. Equo pernici huius catulos venantur. In India, ſi Megaſtheni apud Strabo-

nem

Stra libr. 15. nem fidem adhibendam putamus, apud Praſios, Tygrides leonibus duplo fere maiores naſcuntur. Frequens eſt hoc animal in Hircania, & India.

Vnicornis.

Pli.lib.8. cap.21. Vnicornium quinque genera eſſe comperio. Plinius dicit, in India boues eſſe vnicornes, quorum vngula indiuiſa eſt. Idem Plinius, *Aelian. lib.16.c. 20.* & Aelianus aiunt, In India animal eſſe Monocerotem appellatum, capite ceruum, pede elephantum, cauda aprum, mugitu bouem referens, cætera equo ſimile: quod in media fronte cornu nigrum *Lib.4.c. 51.* bicubitale geſtat. Aelianus refert, in India eſſe aſinos ſilueſtres non minores equis, capite rubro, oculis nigris, reliquo corpore albo. Hi cornu in fronte gerunt, cuius ſumma pars punicea eſt, infima candida, media nigra. Eſt quartum genus Rhinoceros vocatum, de *Lib.9.c. 19.* quo ſupra diximus. Præter hæc Nicephorus teſtatur, in tractu apud Oceanum ad orientem, & meridiem animal vnicorne eſſe, cuius cornu non magnum eſt, ſed tortuoſum, pedes ſunt Leonis, caput draconis, corpus ceruo ſimile. illius mentum barba eſt obſitum, longum, & in altum protenſum.

Vrſus.

Vrſi hyemis initio coeunt. Parit hyberno tempore vrſa triginta poſt coitum diebus, ac, cum plurimum, quinos. Fœtum edit informem, ſed paulatim lambendo figurat. Cum peperit, quoniam frigus reformidat, vſque ad veris initium cum catulis in latibulis ſe contegit. Hoc animal omniuorum eſt. Nam & fructus arborum comedit, & legumina, & apes, & cancros, & carnes Inuadit non ſolum ceruos, ſed etiam apros, ſi clam id potuerit. Taurum aperto Marte aggreditur. Carnibus quoque putridis veſcitur. Cum animaduertit, ſui corporis habitum optimum eſſe, quod ſibi pernicioſum eſſe ſentit, in antris, in quæ ſupino corpore, vt venatores fallat, ingreditur, per quadraginta dies ſe continet, ex quibus bis ſeptem ita ſopitur, vt ſe nihil moueat. Quo tempore ſine cibo manens dexterum tantum pedem lingit. ex tanta inedia vrſæ inteſtina eatenus obducuntur, vt pene cohæreant. cui incommodo herba quadam Aran nuncupata medetur. Cum cibis rurſum ſe refecerit, formicarum eſu exinanitur. Vrſus neque lambendo, neque ſorbendo bibit, ſed morſu. Bracchijs valens eſt, capite infirmus. Ingredi aliquandiu

diu erectus poteſt. Manſueſcit. eius ſomnus eſt grauiſſimus. Vrſa mãmas habet quaternas: vrſo animoſior eſt, Cum ab inſequentibus vrgetur, quo ad poteſt, catulos propellit. Dehinc, ne vnà cum illis comprehendatur, alterum dorſo imponens, alterum ore geſtans in arborem aſcendit. Omnes fere regiones vrſos gignũt. ſed in Olympo Macedoniæ non ſunt vrſi. In Africa quoque vrſos non reperiri Plinius teſtatur. In Myſia aiunt vrſos eſſe albos, veneno adeo infectos, vt venantes canes perimant. *Lib. 8. c. 58.*

Vulpes.

Vulpes vafrum eſt animal. Parit cęcos. fœtum lambendo perficit. Parit, cum plurimum, quatuor. Apud Philiſtęos uulpes multę ſunt. Illud indicio eſt, quod Sampſon de Philiſtęis ultionem ſumpturus, trecentis uulpibus apprehenſis eorum ſegetes incendit. Apud Caſpios uulpes, vt apud nos canes, commorantur. In Olympo Macedonię uulpes non reperiuntur. Cum circo, accipitre, & æſalone inimicitias gerunt: cum coruo amicitia iunguntur. Cum ſerpentibus amicè uiuunt, vt aquilæ eorum communis hoſtis uim propulſent. *Iud. 15.*

De Inſectis. Cap. V.

Araneus, ſeu Aranea.

ARANEVS eſt animal paruũ ex inſectorum genere. Araneorum plura ſunt genera. Nam alij ſunt magni, alij parui, alij nigri, alij varij. Phalangij dicti morſu magis nocent. Ducunt aranei telam, qua incubant, & venantur. Nam aranei pariunt ex coitu uermiculos, qui in araneos mutantur. Nam inuoluunt vermiculos tela, quam deduxere, & triduo peragunt. Hi quoque aranei, vt educti ſunt, protinus filum ducunt. eadem tela aranei venantur muſcas, & minuta animalia, atque interdum paruos etiam lacertos tela obducunt, & cohibent. Telam autem deducunt non intrinſecus, tanquam excrementum, vt cenſuit Democritus, ſed vt ait Ariſtoteles extrinſecus de ſuo corpore ueluti corticem, aut more eorum, quæ ſuos uillos iaculantur. *Ariſt. 9. de hiſto. ani. c. 39*

tos hoc animal fœtus procreat: nam interdum undecim numerantur. Naſcitur etiam ex putri materia. Mas fœmina infeſtior eſt. Scorpio unus inter inſecta longo armatur ſpiculo, quod ſex, aut ſeptem internodijs diſtinguitur: eodemque uenenum, quod album eſt, continet, & iaculatur. Quibuſdam gemini aculei inſunt. Scorpiones in Pharo Siciliæ nō lædunt. In Scythia interimunt ſues. Quibus non eſt ſanguis, non nocent. Feriunt obliquo ictu, & flexo. At ſi ſpiculum hominis ſaliua liniatur, ad plagam inferendam inutile redditur. Scorpiones terra uiuunt. Cum ſtellionibus pugnant. ocimi odore congregantur, &, vt quidam cenſent, ex ocimo trito ſaxo impoſito generantur. Raphano ſuper inducto moriuntur. helleboro illiti ſanitati reſtituuntur. aiunt ſcorpione percuſſos, neque à veſpis, neque ab apibus, neque à crabronibus feriri. Scorpiones Aethiopici omne genus ſerpentum comedunt. Qui horum excrementa conculcauerint, exulcerantur.

Tinea.

Gignuntur tineæ ex putredine, præſertim veſtium, quæ ex lana ouium à lupis interemptarum contexuntur. Pelluntur illæ radicis decocto, & absynthio veſtibus inſerto. Multa ſunt ad tineas remedia, quæ qui ſcire cupit, Plinium legat. Aſini à tineis immunes ſunt. *Lib. 20. cap. 5.*

Vermis.

Vermes omnes ex putri materia naſci non dubitatur. De vermibus illud mirandum traditur: In Indo fluuio vermes naſci, qui ad ſeptem cubitorum magnitudinem procedunt.

De Serpentibus. *Cap. VI.*

SERPENTVM nomine intelligimus non ſolum eos, qui ſupra pectus gradiuntur, vt ſunt aſpis, & vipera, quorum lingua bifida eſt: ſed etiam illos, qui prope terram repunt, cuiuſmodi ſunt lacerta, & ſtellio. Serpentum multa ſunt genera: nam alia cornicula habent, vt ceraſtes, alia geminum caput, quorum alterum eſt ad caudam, vt Amphiſibona; quædam ſquamis veſtiuntur; quædam ueluti picturis ornantur. Sed omnibus iis eſt exitiale virus. Pſillos, & Marſos à ſerpentibus lædi negant. In Melite inſula diuinitus ſerpentes non nocent, etiam ſi aliunde aſportentur. Nam poſtquam D. Paulus ibi à vipera morſus nihil incommodi ſenſit, ſerpentes omnes innocui exiſtunt. Muſtellis, & teſtudinibus ſunt inimici. In trifolio nunquam aſpiciuntur. Galbani nidore fugantur. Marathro herba, & fœniculi ſucco oculorum aciem reficiunt. fœniculo etiam ſenectam exuunt. hederam amant. fraxinum fugiunt. Cum occaſio eſt, vinum appetunt. Africa ſerpentes multos gignit. Troglodytæ ſerpentibus veſcuntur, vbi etiam ſerpentes vicenorum cubitorum eſſe feruntur. ſerpentes omnes perfidi ſunt, & inſidioſi. Item omnes oua extra pariunt, præter Viperam.

Acto.c. vlt.

Aſpis.

Diu, multumque mecum dubitaui, an aſpis, & vipera eiuſdem ſpeciei eſſent. Nam cum viderem aſpidis caput teres, viperæ latum & depreſſum, corpuſque aſpidis longius, ac tenuius, uiperæ breuius, & craſſius eſſe, vix fieri poſſe putabam, vt vtraque ſub eadem ſpecie collocaretur; ſed cum colorem penè eundem, & veneni ſimillimam vim perpenderem, vtrunque uni ſpeciei ſubiici non difficulter mihi perſuadebam. Vt ueritatem aſſequerer, Rainaldum quendam Inſulanum circulatorem, qui multos in viuariis ſerpentes aſſeruabat, conueni, eumque rogaui, vt coitum, & partum horum ſerpentum inſpiceret. executus eſt ille mandatum diligenter, ac tandem comperit, neque aſpidem cum aſpide, neque uiperam cum vipera, ſed aſpidem cum uipera coire, & aſpidem nullum, viperas

tantum parere, & ex fœtibus alios aſpides, alios uiperas eſſe. ex quo certiſſime deprehendi, aſpidem, & viperam ſub eadem ſpecie contineri. Aſpidis dentes tunicis admodum ſubtilibus veſtiuntur, in quibus uenenum continetur. Qui ab aſpide morſus fuerit, non amplius quatuor horis viuit, eumque conuulſio, & viſus hebetatio ſubſequitur. Morſus veſtigia uix apparent. Aſpidis morſus, cum ranam comedit, fit omnino inſanabilis. Lybicum aſpidem viſum aſpiratione eximere in hominum ſermonem uenit, ait Aelianus. Color nunc rufus eſt, nunc cineritius. Aſpidem quinque cubitorum viſum referunt. Aſpis aſſiduum cum Ichneumone bellum gerit. Hic non aliter in certamen deſcendit, quam luto illitus. ſummas nares habet teneras, quas niſi aſpis aſſequatur, nunquam eum debellabit. Quare cauda flexa illas tuetur. Aſpis contra cauet, ne Ichneumon ex inopinato ipſius fauces comprehendat, atque ipſum ſtranguler. Aſpis ſemper cum compare uagari ſolet: quam extinctam mirè ulciſci ſolet. Aiunt aſpidem halicanabi radice propius admota ſoporari. De Vipera ſuo loco agemus. *Lib. 6. c. 33.*

Baſiliſcus.

Baſiliſcus, qui & Regulus, vt Hieronymus ſuper Eſaiam c. 14. teſtis eſt, magnitudine eſt dodrantali, velut ſentit Plinius, duodecim digitorum. Candida macula in capite, veluti quodam diademate, decoratur. ſibilo ſerpentes fugat, et viſa exanimat. Celſo, & elato pectore incedit. Contactas frutices necat, afflatas herbas exurit, ſaxa rumpit. Baculum ſi quis teneat, atque illum baſiliſcus momorderit, baculi dominus necatur. Nulla auis huius aſpectum illæſa pertranſit, ſed quamuis procul fuerit, eius ore ſorbetur. Huic tanto malo muſtellarum uirus exitio eſt. Baſiliſcus in Cyrenaicam prouincia procreantur. *Lib. 8. c. 2.*

Ceraſtes.

Ceraſtes in Africa naſcitur: colore eſt albus: Gemina, vt ſcribit Aelianus, vel, vt ſentit Plinius, quadrigemina ſupra frontem gerit cornua, cochleæ cornibus ſimilia, ſed duriora. In puluere occultatur, & ſupra gradientes cornu ferit, & interficit: Eius cornu, ſi venenum adſit, ſudare fertur. *Lib. 1. c. 59.* *Lib. 8. c. 23.*

Coluber.

Coluber.

De cœna Paſchali, quæ incipit, Nulla res.

Coluber ſiluarum, & ſæpium vmbras incolit; & ſi interdum in aqua viuit, quam cum ingreditur, venenum deponit, vt in quadam Epiſtola Hieronymus teſtatur, ſi tamen ea eſt Hieronymi: Huius adipe, & felle Aegyptij Crocodilos venantur. Nam aduerſus eos, qui hæc ſecum deferunt, Crocodilos nihil audere aiunt.

Dipſas.

Dipſas aſpide minor eſt, ſed in occidendo celerior. eius morſu conflicti, & ſi aſſidue bibunt, aſſidue ſitiunt, & bibunt, quoad diſrumpantur. Albus eſt, & duas in cauda lineas nigras habet.

Draco.

Dracones Aethiopia procreat ad longitudinem triginta paſſuum progredientes, qui elephantorum interfectores appellantur. Indorum Rex aluit Dracones duos, alterum octoginta, alterum nonaginta cubitorum, quos Alexandro magno ſpectandos obtulit. In Phrygia Dracones naſcuntur longitudine decem paſſuum. Hi, cum prandendum eſt, ex cauernis exgrediuntur, caudaque in terram adnixi, reliquum corpus erigunt, oreque aperto aues ſuperuolantes aſpiratione exanimatas in ventrem excipiunt. Quod ſi hæ non ſatis ſint, ſe ipſos occultantes ouibus ex paſtione ad ſtabula redeuntibus inſidiantur, eiſque exaturantur. Draco homini inſidiatur, mortiferas radices edit. Cum nauſea, quam ex nimio pomorum eſu contraxit, infeſtatur, ſuccum ſilueſtris lactucæ exorbet; Acerrimum habet audiendi ſenſum, & videndi acutiſſimum. Mortuo, vt ex Varrone, tria extrahuntur, oculi, qui lapides precioſi ſunt, igneo colore, dentes apri ſimiles, & pellis. Draconem venenum non habere, ac ſerpentum oua haurire, & eius adipe venenata fugari Plinius ſcribit. Verum Draconem veneno carere fabuloſum exiſtimant.

Ref. Volat. com. vrb. li. 25

Lib. 29. c. 4.

Lacerta.

Lacerta, ſeu Lacertus reptile notiſſimum. Eius duo ſunt genera,

ra, quorum alterum minus tergo eſt ferrugineo, maculis quibuſdam diſtincto: alterum maius viride exiſtit.

Leuiathan.

Leuiathan quandoque Draconem, ſeu ſerpentem, quandoque Cetum piſcem ſignificat. Nam Eſa. 27. pro Dracone ponitur. ſic enim ibi ſcriptum eſt: Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiatham ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, vel, vt 70. tranſtulerunt, ſuper Draconem colubrum tortuoſum. At Iob 40. pro ceto accipitur, vbi ita habetur. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius?

Python.

Python, idem, quod Draco.

Regulus. Vide, Baſiliſcus.

Serpentes igniti.

Serpentes igniti ſunt, qui flatu adurunt.

Syrenæ.

Quæ de Syrenis poetæ fabulantur, omittimus. Hieronymus ſuper caput 13. Eſa. ita inquit: Syrenæ vocantur, quas nos aut Dæmones, aut monſtra quædam, vel certe dracones magnos interpretati ſumus, qui cruſtati ſunt, & volantes.

Stellio.

Stellio Lacertæ genus ſtellatæ, rore tantum, & araneis viuens. fraudulentum eſt animal, & inuidum. Cum enim veterem veſtem, quæ ad comitialem morbum plurimum valet, ſerpentum more exuit, eam vorans conſumit, ne hominibus præſidio eſſe poſſit. Scorpio aduerſatur. ſtellionum veneno ſcorpio trito occurritur.

Vipera

Vipera.

Herodotus libro tertio ait, viperam fœminam cum maſculo coeuntem,eius caput, dum genituram emittit, comprehendere, nec prius dimittere, quam abſciderit. At fœminam maſculo ita pœnas dare, quod filij,dum adhuc in vtero ſunt, matricem abrodunt, & exeunt. vtrumque fabuloſum eſt. Ariſtoteles, cui magis credendum eſt, refert viperam vnam ex ſerpentibus animal gignere, poſtquam oua intra ſe peperit. Sed eius verba quinto de hiſtoria animalium cap vltimo apponamus: Vipera, inquit, è ſerpentibus vna animal edit, cum intra ſe oua primum peperit. ouum hoc vnius coloris, & molle, vt piſcium, eſt. fœtus ſuperne conſiſtit, nec cortice continetur, ſicut nec piſcium quidam. Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpuntur. euenit interdum, vt, qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis prorumpant. ſingulis diebus ſingulos parit, plures, quam viginti. Hęc Ariſtoteles. Vipera exuit ſe vere & autumno. Hyeme ſub lapidibus conditur, cum tamen cæteræ ſerpentes in cauernis lateant. Sputum hominis in viperæ ventrem delatum, viperæ perniciem, & mortem affert. Viperas vino cum fictilibus ad ſępes diſpoſito venantur: ebriæ enim capiuntur. ferunt Viperam cum muręna coire. In Troglodytide viperas 17. cubitorum longitudine naſci, Aelianus ex Nymphe refert.

Li. 17. c. 3.

De Plantis. *Cap. VII.*

PLANTARVM partes primæ, & communes ſunt, radix, caulis, ſeu caudex, ramus, & ſurculus. Radix eſt id,quo alimentum attrahitur. Caulis eſt, quod ſimplex ſupra terram aſſurgit, & in arborum genere caudex vocatur, quoq. alimentum defertur. Rami ſunt,qui à caule ſiſſi multiplices ſparguntur. Surculi, qui ex ijs indiuidui, ſimpliceſque oriuntur, à quibus flores prodire ſolent. Nutriuntur humore, quem à terra attrahunt. Plantarum tria ſunt genera, arbor, frutex, herba. Arbor eſt, quod ab radice caudice ſimplici, ramoſum, nodoſum, & ſurculoſum, aut facile diſſolutile aſſurgit, vt olea,

vt olea, ficus. frutex, quod ab radice caudice multiplici, ramoſumque ſe attollit, vt rubus. Herba quod ab radice foliatum, ſine caudice prouenit; ſemenque caule fert, vt frumenta, & olera. Plantarum aliæ ſunt vrbanæ, aliæ ſylueſtres quædam fructiferæ, quædam ſteriles: nonnullæ floriferæ, non nullæ flore carent; hæ perpetuo virent, hæ folia deperdunt. Præterea aliæ ſunt terreſtres, aliæ aquatiles;& harum quædam in paludibus, quædam in lacubus, quædam influuijs, quædam in mari reperiuntur. Differunt etiam magnitudine, paruitate, duritia, mollitie, lęuitate, aſperitate: item pulchritudine, deformitate, bonitate, ac prauitate fructuum. differunt quoque caudice, cortice, materia, figura, medulla, radice, folijs, ſemine, humore, ſapore. Differunt, & vita. Nam aliæ magis,aliæ minus longęuę ſunt. Sunt etiam aliæ plantarum differentię, quas qui exacte noſſe cupit, Theophraſtrum primo de plantarum hiſtoria legat. Naſcuntur plantæ ſponte, ſemine, radice, auulſione, ramo, & ſurculo, trunco, ac ligno minutatim conciſo.

Abies.

Abies arbor eſt procera, & recta,oblongis, duris, ac denſis frondibus, atque albicantibus more corticis: frigidis in montibus, vt plurimum,naſcitur. Abietis ſexus diſcernitur folijs, quæ mari ſunt acutiora, magiſque ſurgentia;diſcernitur & materia, quæ in fœmina eſt candidior. licet vtraq. ad opera domus inteſtina utilis exiſtat. Abies inter corticem, & corticem, concludit præſtantiſſimum illum liquorem, quem abietis lacrymam appellant. Hæc recentia vulnera agglutinat, & mundat. Pota renum calculos eiicit, arthriticos dolores mulcet, coxendicumque cruciatus linit, & capitis vulnera mirè ſanat.

Abſynthium.

Abſynthium herba caule exit ramoſo, folijs nigricantibus,multipliciter ſectis, floribus aureis ,paruis, ſemine rotundo. Amarum eſt, & calidum, ſed magis ſiccum. Bilem ſtomacho, & ventri inhærentem purgat, vt vrinam. Præſtantiſſimum in Ponto, & Cappadocia in Tauro monte naſcitur. Præter uulgare, eſt marinum, & ſantonicum: quorum utrumque figura aliquantisper differt, ſed eaſdem prope uires obtinet.

Allium.

Allium aliud ſatiuum, aliud ſilueſtre. Vis allij acris eſt. calefa-
Lib. 6. c. 45. cit, mordet, & exurit. Allij ſemen paſſerem occidit, vt refert Aelianus.

Aloe.

Aloe herba folium habet craſſum, pingue, modice latum, rotundum, retrorſus pandum, folia gerit curta, florem emittit album, graui eſt odore, & guſtu amariſſima, radice una, ceu palo in terram depacta. exiccandi uim obtinet, & ſpiſſandi. Naſcitur in Aſia, & Arabia; ſed plurima, præpinguiſque in India gignitur. Huius herbæ fumus odorus eſt.

Amomum.

Amomum arbor uiti albæ ſimile eſt, flore candidę Violę. Bene olet, calefacit, exiccat, aſtringit. gignitur in Armenia, Media, & Ponto.

Amygdalus.

Amygdalus arbor eſt ſpectatæ proceritatis, caudice craſſo, cortice aſpero, grandi radice. Folia perſico ſunt ſimilia, & flores: fructus edit cordis figura: duplici putamine contegitur. Amygdalarum aliæ dulces ſunt, aliæ amaræ. Amarę dulcibus calidiores ſunt. Dulces enim eſui magis idoneæ ſunt, ſed amaræ in remedijs præſtant. Recentes humida ſtomachi vitia emendant: ſi quinæ, aut ſeptenæ præſumantur, potores ebrietatem non ſentire ſcribit
Lib. 1. cap. 39. Dioſcorides.

Anethum.

Anethum herba fœniculo perſimilis caules habet capilllorum ſpeciem deferentes, flores luteos, ſemen prope fœniculi, ſed ſapore diſſimilem calfacit, & exiccat, ſed calfacit magis. Inflammationes ac tormina ſanat, ſomnum conciliat, crudoſque humores concoquit, vrinam ciet, ſingultum lenit.

Arcu-

Areuthinum lignum. idem, quod ab iegnum.
Vide ſupra, Abies.

Arundo.

Arundinum quinque genera Dioſcorides enumerat: Plinius uiginti nouem. Arundinis radix luxata mulget, trita ſpicula corpore extrahit. Folia in flammationibus medentur. Corticis cimeneres alopeciæ ſuccurrunt, Arundini cum filice perpetuum eſt odium. Diodorus refert, in India tum in fluminibus, tum in paludibus arundines adeo graſſas naſci, vt homo eas ulna complecti nequeat. *Dioſ. lib.* 1. *c.* 97. *Pli.li.* 16. *c.* 37. *&* *lib.* 24. *c.* 11. *Dio.li.* 3.

Balſamum.

Balſamum arbor eſt odorata, cythiſo, & terybinto per ſimilis. Folium habet rutæ proximum, ſed longe candidius, & perpetuo uirens. ſub canis ortum eius cortex uulneratus ſuccum diſtillat opo balſamum appellatum. Balſamum calfacit, & exiccat. Semen eſt flauum, plenum, grande, mordens guſtu, feruens in ore. Modice opo balſamum olet. Balſamum abſtergit; ſecundas, & partus extrahit, horrores diſcutit, vlcera expurgat, & cruda concoquit, vrinam potu ciet, ægre ſpirantibus prodeſt: aduerſus ſerpentium ictus, aconitum hauſtum cum lacte datur. Præcipua vis ineſt ſucco, ſecunda ſemini, tertia ligno. Arte etiam balſamum præparatur. Naſcebatur in Iudæa in valle, quæ Hierico appellatur, ſed nunc ibi naſci negant. Oritur etiam in Ægypto: & ſi Diodorus lib. 3. in ſola Arabia ipſum gigni affirmat.

Bdelium.

Bdelium arbor eſt nigri coloris, & gummigera, exudans. Bdelium etiam vocatum. In Gange reperitur. Gen. primo.

Borith.

Borith eadem eſt, quæ & herba fullonum. Hæc, vt ait Hiero. ſuper Hieremia capitulo ſecundo, in Palæſtina humidis, & uirentibus locis naſcitur, & ad ſordes abluendas maximam vim obtinet.

Buxus.

Buxus arbor eſt nota in Italia, folio myrti minore, denſiore, craſſiore, viridiore, ac ſubrotundiore. Perpetuo uiret. florem habet herbaceum, fructum ciceris magnitudine, in apice diuiſum. Materies Buxo imputribilis. ſpiſſiſſima, atque ponderoſiſſima, adeo ut in aquis non fluitet. frequenti eius uſu capilli rufi fiunt.

Byſſus.

Byſſus eſt ſubtiliſſimum lini genus, ex quo fiebāt veſtes lutei coloris, quæ colore aurum imitabantur: ſed hodie byſſus, quo uis colore inficitur.

Calamus.

Calamus arundo eſt minuta, internodia longa, & recta habens, ex qua ſagittæ apud diuerſas gentes fiebant. Huic ſimilis eſt calamus odoratus. Qui optimus eſt, albicat fuluus, & denſe geniculatus fiſſilis, & lentus mandendo exiſtit. in ſecundo ordine reponitur eorum, quæ calefaciunt, & exiccant, licet valentius exiccet, quam calefaciat. Ineſt quoque ei quædam partium tenuitas, velut alijs omnibus odoratis. Cum quadam acrimonia aſtringit: vrinam, & menſes potu ciet. tuſſi medetur: ſtomachi, vteri, & iecoris affectionibus prodeſt. In India, & Arabia felici naſcitur.

Capparis.

Capparis aculeatus frutex eſt, ſpinaſque, vt rubus, habet, folia rotunda, fructum oleæ ſimilem, qui florem candidum promit: radices grandes, lignoſas, & numeroſas ſpargit: floret æſtate. Aſper eſt, & acerbus. Calidus eſt, adeo, vt etiam adurat. Incidit, & abſtergit, digerit, contrahit; ſed aluum turbat, ſtomacho aduerſatur: & ſitim gignit. In aſperis locis, & ruinoſis naſci ſolet. Africa inflat. Apula uomitum facit. Quæ à rubro mari defertur, acrimonia cęteras uincit.

Carbaſus.

Carbaſus eſt ligni genus miræ tenuitatis.

Carduus.

Carduorum plura ſunt genera. Nam alij ſunt agreſtes, alij ſatiui, & ex ijs alij cardones, alij carcioffi uulgo appellantur. Carduum ita depingit Dioſcorides. Carduus folia chamæleontis habet, ac albę ſpinæ, nigriora, & craſſiora: Caulem longum, & folioſum, capite ſpinoſo, caudice nigra, & craſſa. Hæc Dioſcorides. In ſecundo ordine calidus eſt, & ſiccus. eius alimentum merito damnatur, quod melancholicum ſuccum gignat. In Italia frequens eſt carduorum, & præſertim ſatiuorum vſus. *Lib. 3. c. 14.*

Carex.

Carex herba eſt acuta, & duriſſima, ſparto ſimilis; vliginoſis, & paluſtribus locis plurima naſcitur.

Caſia.

Caſiam ita deſcribit Plinius: Frutex caſia eſt, iuxtaque cinnamomi campos naſcitur: ſed in montibus, craſſiore ſarmento, tenui cute, potius, quam cortice. amplitudo corticis trium cubitorum. Colos triplex: cum primum emicat, candidus pedali menſura, deinde rubeſcit, addito ſemi pede: vltra nigricans. Hæc pars maxime laudatur, ac deinde proxima; damnatur verò candida. Hæc Plinius. Caſiam magnitudinis Amerinæ eſſe Theophraſtus refert, ac tantum eius corticem vtilem eſſe. Quare patet, Caſiam hanc aliam eſſe, atque illam, quæ ſolutiua appellatur. Caſia in tertio ordine calefacientium, & exiccantium reponitur. Quare, quæ in corpore ſunt recrementa, incidit, & digerit. Multa caſiarum genera Dioſcorides recenſet. Naſcitur hic frutex in Arabia felici, atque ita, Herodoto auctore, ab Arabibus colligitur. Poſtquam ſibi tum cæterum corpus, tum faciem, præter oculos, obligauerunt, corpo, alijſque pellibus, ad caſiam pergunt. ea naſcitur in palude non alta, circa quam, & in qua degunt, feræ alatæ, veſpertilionibus ſimillimæ, ſtridore diro, & viribus valentibus, quos ab oculis arcentes, caſiam metunt. *Lib. 12. c. 20.* *Lib. 9. c. 5. de hiſt. plantar.* *Lib. 1. c. 12.* *Lib. 3.*

Cedrus.

Cedrus.

Cedrus arbor alia maior, alia minor: maior adeo alta eſt, vt cunctas arbores ſublimitate exuperet. Cortice veſtitur, leui & glabro, ea parte excepta, quæ à terra ad primos ramos attollitur. hæc enim aſpera eſt: coma perpetuo viret. Corticis color niger; Pyramidis figuram imitatur. Caudex reſinam albam fundit, & liquidam, quæ tractu temporis ſolis feruore in gummos concreſcit. Cor habet duriſſimum, odoratum, ac rubens. eius materies dura, & imputribilis exiſtit. ſaxoſis locis gaudet. ſucciſa nunquam regerminat. In Aegypto, Syria, & Cypro plurima naſcitur. Minor iunipero ſimilis eſt. Cuius duo ſunt genera, Lycia, & Phœnicia. Phœniciæ folium eſt iuniperi, durum, & ſpinoſum, acutum. Lycia folio conſtat minore, & frequentiore, ſed longe minus aculeato: Cortice obducitur ſubrubro, & ramos lentos emittit. vtraque omni tempore fructum gerit. Iuniperi modo baccas parit rotundas. Cedrus calidæ eſt, & ſiccæ temperaturæ, tertij ordinis, tenuiſque ſubſtantię, defuncta corpora conſeruat, & viuentia corrumpit. Qua ex cauſa, vt ait Dioſcorides, aliqui eam mortuorum *Lib. 1. c. 89.* vitam nnncupauere.

Cicer.

Cicerum duo ſunt genera, alterum ſilueſtre, alterum ſatiuum. eandem vtramque effigiem habet, ſed odore, ac ſemine diſcrepant. Satiuum aut eſt candidum, aut nigrum, aut rubrum. Adoleſcit ad cubitalem altitudinem, folijs oblongis, denticulatis, albicantibus, piloſis, caule lignoſo, haud recto, ramis multis in brachiorum morem, floribus ſub purpureis, è quibus ſiliquæ ciceres continentes prodeunt: ſolum amat pingue: exiccat, & refrigerat: inflat, nutrit, abſtergit, incidit. Eiſdem viribus ſilueſtre pollet.

Cinnamomum.

Cap. 13. Cinnamomum frutex eſt, vel arbor, vt ait Gal. lib. primo de Antidotis, ab vna radice, ceu frutex paruus conſurgens. emittit ſex, aut ſeptem virgulta, quę pedis altitudinem non excedunt: optimæ caſiæ ſimile eſt. Bene olet. Tenuium eſt partim & in tertio ordine calidum, ac ſiccum: emollit, & concoquit, & magnum ad omnes

nes res vſum præſtat. Diodorus ; & Herodotus dicunt, magnam in Arabia cinamomi copiam eſſe: licet, vt idem Herodotus aſſerit, Arabes negent, cinnamomum in Arabia naſci, ſed aſſeuerent, aliunde à grandibus quibuſdam volucribus deportari, & arte quadam ab incolis colligi. Nam hæ volucres in præruptis, hominibus inacceſſis, locis nidos è luto conſtruunt, in quos cinnamomi fiſtulas afferunt; Arabes, vt legant, iumentorum carnes minutatim conciſas prope ea loca portant, & procul abſcedunt. Volucres carnium fruſtra rapiunt, & in nidos immittunt; Impares ni di ad carnes ſuſtinendas ad terram diſciſſi vna cum cinnamomi fiſtulis dilabuntur: atque ita Arabes optata præda potiuntur. In India perſpicuum eſt & cinnamomum naſci. Dio. li. 3. Her. li. 3.

Cinus.

Cinum aliqui volunt eſſe lentiſcum, aliqui ilicem. Vide infra in vocibus, Ilex, & Lentiſcus.

Coccum.

Coccum frutex eſt ſurculoſus, paruus, cui grana, ceu lentes, adhærent, quæ electa congeruntur. Optimum gignitur in Galatia, & Armenia, deinde in Aſia, & Cilicia: vltimum ex omnibus Hiſpanicum. Hęc Dioſcorides. Meminit idem auctor alterius cocci, quod è quercubus, in Cilicia naſcitur. eſt aliud in Italia, cuius bacca rotunda eſt, & inanis. Hoc frutice infectores vtuntur. Eius vis calida eſt, & ſicca, atque icciroo adſtringens: ſapor amarus. Lib. 4. c. 43.

Coepa.

Coepa in Italia nota eſt, cum ibi plurima naſcatur, eius facultas calida eſt, & ſicca. Coepæ omnes mordent, inflant. appetentiam inuitant, ſitim mouent, & extenuant, faſtidium pariunt, & expurgant.

Colocynthis.

Colocynthis ſarmenta, foliaque diuiſa ſatiuo cucumeri ſimilia, ac per terram repentia emittit. eius fructus in ſpeciem mediocris pilæ conglomeratus eſt, & amarus. Medulla purgatiuam vim obtinet.

obtinet. Hæc planta, guſtu amara eſt, calida, & ſicca. In Italia notiſſima eſt.

Coriandrum.

Coriandrum herba caule exili, ac ſeſquicubitali longitudine, ramiſque numeroſis prodit: folia gerit puſilla, tenuia, ac diuiſa, flores albicantes, ſemen rotundum, ac ſtriatum. Facultatem obtinet terream, ac refrigerantem, vt Dioſcorides, & Auicenna ſentiunt; quamquam Galenus calidam eſſe arbitratur. Ad ſtringendi quoque vim habet. Apud nos paſſim naſcitur ſemen, vt auctor eſt Dioſcorides. ſi immodice ſumatur, mentem non ſine periculo mouet.

Dio. li. 3. c. 57. Aui. li. 2. cap. 145. Gale. lib. 7. ſimpli. medi.

Crocum.

Crocum herba vbique notiſſima, longa habet folia, anguſta, planis capillis ſimilia, denſa, mollia, atque humi accubantia, flores purpureos, & aſpectu iucundos, radicem bulboſam, pluribus ſuſflaueſcentibus tunicis contectam, odore ferit, & mentem tentat. Inter calefacientia ſecundi ordinis, & exiccantia primi connumeratur. Non nihil tamen frigidæ, ac terreæ, aſtringentiſque qualitatis in croco reperitur. Concoctionem hæc planta adiuuat.

Cucumer, ſeu Cucumeris.

Cucumer herba eſt apud Italos notiſſima, ſiue ea ſit, quam vulgo cucumerem nominamus, ſiue illa, quam citrolum vocamus. Fructus gerit ſe ipſa notiores. Cucumer frigidus eſt, & humidns, ſitique arcendæ aptiſſimus: abſtergit, & incidit.

Cuminum.

Cuminum ſatiuum omnibus notum eſt. eſt inſuper ſylueſtre. calefacit, & exiccat, & in tertio calefacientium ordine ponitur. Quin etiam adſtringit, & flatum diſcutit.

Cupreſſus.

Cupreſſus in duo diuiditur genera, marem, & fœminam. fœmina ſa-

na faſtigium habet acuminatum, mas ramos in latum ſpargit. Vtraque procera eſt, & recta. Conos, in quibus ſemen eſt, terauno edit. Folia habet ſabinæ ſimilia. Caudice reſinam fundit. Ligni materies ſolida eſt, compacta, & odorata. Calida eſt arbor, & ſicca, acris, & amara, & aſtringit. olim aduena in Italia fuit. ſed hodie multis in locis uiret. In Creta, & Idæis montibus ſponte proſilit.

Cyprus, vel Cyperus.

Cyprus, vel Cyperus arbor eſt in terra ſancta apud vallem Engaddi naſcens, quæ, vt ex Salomone Canticorum primo colligitur, ſuauem emittit odorem, & botros uuæ inſtar profert. An verò hæc eadem ſit cum Cypero arbore, cuius Plinius lib. 17. c. 13. meminit, non ſatis conſtat, cum Plinius eius figuram; ac fructus non deſcribat. Certe Cyperum iunci genus hanc plantam non eſſe clare iudicabit, qui Dioſcoridem, & Plinium legerit. Albertus Magnus refert Cyprum arborem eſſe album, cuius ſemen album eſt, quod in oleo decoctum, & expreſſum, ex ſe unctuoſum emittit humorem, quo ſudor, emundatur. At Origenes ſuper Cantica canticorum homilia ſecunda, inquit, Vocem Cyperum ambiguam eſſe, & ſignificare tum uuam florentem, tum virgulti ſpeciem, fructum in modum florentis uuæ ferentem. *Dio. li. 1. cap. 4.*

Ebonus. Vide, Hebenus.

Faba.

Faba notum eſt legumen. exiccat, & refrigerat temperate. eius caro abſtergit, cortex aſtringit. Inflat, & difficile concoquitur: fungoſę eſt, & leuis ſubſtantiæ.

Far.

Far frumenti genus eſt notiſſimum, quod, vt teſtis eſt Plinius lib. 18. c. 8. veteres adoreum appellauere. Valenter nutrit.

Ficus.

Ficus nota eſt arbor. eius ſuccus vehementer calidus eſt, fructus moderate. Hæc, & uua inter autumnales fructus principatum obtinent.

obtinent. Valde nutrit, minimumque praui ſucci habet. Abſtergendi ui pollet. Generat tamen flatum, qui cito tranſit ob celerem in aluum diſceſſum. Ficum ſtomachum lædere, Dioſcorides ſcriptum reliquit.

Lib. 1. c. 145.

Fiſtula.

Fiſtula idem, quod cinnamomum, mihi eſſe videtur.

Frumentum.

Frumentum vbique gentium notum, ex quo panis conficitur, primi eſt ordinis calefacientium. Nullus cibus ad humanum vſum aptior reperitur. Italicum cæteris omnibus & candore, & pondere, vt ait Plinius lib. 18. c. 7. præfertur. Ex frumento optimo ſimilago conficitur.

Vt ait Gale. lib. 5. ſimpli. medi.

Galbanum.

Lib. 3. c. 81.

Galbanum, vt ait Dioſcorides, ſuccus eſt naſcentis in Syria ferulæ, quod nonnulli Metopium uocant. Maxime laudatur cartilaginoſum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minime lignoſum, retinens non nihil adiecti ſeminis, & ferulæ, graui odore, neque nimis aridum. Hæc Dioſcorides. Galbanum calefacit, vrit, deſiccat, extrahit, diſcutit. Molliendi, & digerendi uim obtinet. Eius odorem aiunt uenenata animalia fugare.

Gith.

Gith frutex, quem & Melanthium, & Nigellam appellant, ſurculis exit cubitalibus, exilibus, folio diuiſo, floribus in cacumine cęruleis, & in ſtellę modum radiantibus, ſemine paruo, odorato, & nigro, & non nunquam ſufflauo, tertio ordine calefacit, & exiccat. ſubtilis eſt eſſentiæ, & amari ſaporis. Eo incenſo ſerpentes fugantur; Tradunt, eo largius epoto homines enecari.

Gutta. Vide, Myrrha.

Hebenus.

Hebenum nulla folia, nullumque fructum ferre, & ſtirpem Soli

non

non exponi, ſed ſolam radicem in terra occultari aliqui aiunt. Alij dicunt, ſtirpem eſſe nigris folijs, & fructu carentem, ſplendidam, ſolidam, & leuem, & ignem non ſentire. Hæc planta calefacit, & abſtergit, & trita cum aqua in ſuccum ſoluitur. Carbonibus ſuper impoſita odorem emittit. In India, & Æthiopia naſcitur. Sunt, qui in Germania foſſilem reperiri affirmant.

Hedera.

Hederæ, & ſi earum multa ſunt genera, in tria tamen præcipua partiuntur. Nam quædam candida eſt, quædam nigra, & tertia helix fructum non gignit, ſed tenues habet viticulas, & folia parua angulosa, & rubra. fœtidi eſt odoris, & ſaporis: &, quoniam vndique alimenta trahit, cito coaleſcit, & augetur. ſerpentibus gratiſſima eſt; inq. ea, præſertim hyeme, deliteſcunt, vt eius calore ſe foueant. Hedera aſtringit, & acris eſt. ex quo Galenus ſentit, hederam ex contrarijs facultatibus, calida ſcilicet & frigida conſtare. Aſtringendi enim facultas frigiditatem, acrimonia caliditatem indicat. *Li.7.ſimpli.medi.*

Hordeum.

Hordeum uulgaris eſt notitiæ. Minus, quam triticum alit. exiccat, & refrigerat. in primo ordine facultatis eſt abſtergentis.

Hyſopum.

Hyſopum, ſiue hortenſe, ſiue montanum uulgo notum eſt. emittit hic frutex plures ſurculos ab vna radice prodeuntes, lignoſo, ſeſquipedales, folia ob longa, duriuſcula, odorata, & amariuſcula. eius radix multifida eſt, & lignoſa. calefacit, & exiccat ordine tertio, & quam tenuium eſt partium. incidit, attenuat, aperit, & abſtergit. Quin etiam viſum acuit.

Ilex.

Ilex arbor eſt ſpectatæ proceritatis, & in Italia notiſſima. eius cortex in rufum nigricat; materia in nigrum rubeſcit; perpetuis folijs laurinis ſimilibus viret; ſed quæ externe candicent, & ſcabre ſint, interneuireſcant, leueſque appareant. Duo ſunt ilicum genera,

alterum folio ſpinoſo, alterum ſine aculeis. Ilex calefacit, & exiccat moderate. Aſtringendi facultate pollet.

Iuncus.

Lib. 4. c. 47. Iunci, ait Dioſcorides, duo genera, vnum leuis nominati, alterum acuti, qui in mucronem faſtigiatur. Cuius etiam duo aſſignantur genera, vnum ſterile, alterum fert ſemen nigrum, rotundum, & craſſiore conſtat calamo, carnoſioreque. Tertius eſt iuncus, qui vocatur oleſchenus; prioribus carnoſior, aſperiorque. Is ſimilem ſupradicto fructum in cacumine parit. Hęc ille. Conſtat eſſentia terrena, leuiter frigida, & aquea, leuiter calida. Semen ſomnum conciliat. Naſcitur in locis paluſtribus. Oritur in Boemia iuncus, quem à floribus ſpecioſis, quos edit, floridum appellant, eiuſdem cum alijs facultatibus.

Iuniperus.

Iuniperus arbor eſt cupreſſo ſimilis, ſed non adeo procera. Spinas ſemper uirentes pro folijs, & grana nigra pro fructu habet. Duo ſunt iuniperi genera, alterum maius, alterum minus. Vtrunque inter calida, & ſicca tertij ordinis enumeratur. fructus moderatius agunt Acris eſt: accenſa ſerpentes fugat. Materia per multos annos incorrupta perdurat. Vmbram ad laſſitudinem conferre exiſtimant. Hinc putant, Heliam ſub Iuniperi umbra obdormiſſe. Iuniperus in Italia frequens cernitur. Reg. 3. c. 19.

Labruſca.

Labruſca uitis eſt ſilueſtris, Duorum eſt generum, quorum alterum uuam, alterum flores tantum profert. Huius facultas viti ſimilis exiſtit.

Lactuca.

Lactuca olus notiſſimum eſt. refrigerat, & humectat. Quare ſomnum cōciliat. oculorum claritati officit: ſtomacho prodeſt, præſertim decocta. Eſt & ſilueſtris lactuca guſtu amara. Hæc adiuuat, ne quis infletur; & eandem ferè, quam ſatiua, uim obtinet.

Lapa-

Lapathum.

Lapathum herba betæ nigræ ſimile eſt, ſed folia ſunt oblongiora, & acutiora. Caulem habet cubitalem, florem rubrum, ſemen minutum, pellucidum, ſubnigricans, radicem crocatam, atque amarã, licet folia dulcia exiſtant. Humectat, & frigefacit. digeſtionem adiuuat. eius ſemen adſtringit. ſponte, frequens in hortis naſci ſolet.

Lappa.

Lappa herba capitula habet leuiter hamata, ideoque veſtibus adhærentia. Triũ eſt generum: alia enim minor, alia maior; alia maxima appellatur. Lappa frugibus eſt inimica. Florem habet intus occultum, & intra ſe generat.

Lens.

Lens legumen folium habet viciæ ſimilem, ſed minus. flore eandem refert. ſiliquam paruam, & compreſſam, in qua ſemina concluduntur rotunda, ac lata, obtinet. Lentis genera ſunt duo, alterum album, alterum ſubrufum. Lens medium inter frigiditatem, caliditatemque locum tenet: in ſecundo tamen ordine exiccat. Aſtringendi ui prædita eſt, ægre concoquitur. ſtomacho obeſt, & inflat: ſi ſæpius in cibo ſumatur, oculorum aciem obtundit.

Lentiſcus.

Lentiſcus arbor myrto eſt ſimilis, ſed aliquanto procerior. cortice eſt ſubrufo, lento, tenaci, flexibili. folia grauiter olent, quem admodum etiam tota planta. Perpetuo lentiſcus uiret. Ter anno fœtus gignit, ter fruges fundit. In caliditatis, frigiditatiſque temperatura media eſt. Moderate aſtringit. In maritimis præſertim locis naſcitur.

Lignum Moyſi.

Legimus in Exodo, Deum Moyſi lignum demonſtraſſe, quo in undas immiſſo aquæ amariſſimæ fluuij Maræ dulces euaſerunt. Quodnam lignum fuerit, ignoratur. Exo. 15.

Lignum

Lignum ſcientiæ boni, & mali, & vitæ.

Præcepit Deus Adamo, vt de ligno vitæ veſceretur, prohibuitque ne de ligno ſcientiæ boni, & mali guſtaret. Quænam ligna hæc eſſent, neſcimus: ſed effectum nouimus. Illud enim certis temporibus ſumptum, corporis diſſolutionem inhibebat: hoc deguſtatum, homini, qui bonum tantum adhuc expertus fuerat, malum etiam deinceps experiri coegit.

Lilium.

Lilium omnibus notum, alterum album eſt, alterum cæruleum. Lilij flos mixtam temperaturã obtinet: cum eſſentia partim tenuis, partim terrea, partim aquea ſit. Folia, & radix trita moderate deſiccant, abſtergunt, & digerunt. In Ægypto, cum Nilus inundat, in ipſa aqua duo liliorum genera naſcuntur, quorum primum lotos ab Ægyptijs appellatur eam Aegyptij dimetiuntur, & ad ſolem ſiccant. Medium loti, quod papaueri aſſimile eſt, coquũt, & ex eo panes faciunt. Loti radix eſculenta eſt, ſuauius, orbiculata, mali magni udine, ſecundũ genus, roſarum effigiem habet: in quo eſculẽta quædam inſtar nuclei oliuæ coagmentata innaſcuntur, quæ & tenera, & areſacta comeduntur. Auctor eſt Herodotus, libro ſecundo. Eſt & aliud lilij genus quod lilium conuallium vocatur, quod folijs plantaginem, cauliculis iuncos refert. Flores fert albicantes, & ſuaui olentes, è quibus menſe Iunio, & Iulio baccæ procedunt rubræ. Hoc flore aiunt cor, cerebrum, atque omnes principes facultates corroborari.

Linum.

Linum nota planta ſemen habet flatuoſum, quod in primo ordine calidum eſt, & in humiditatis, ſiccitatiſque medio quodammodo ſitum. Paulo aduerſus faſcinationes, lini radice vtitur.

Malus.

Malus arbor adeo vbique notã eſt, vt noſtrã deſcriptione nõn indigeat. Fructuum plura ſunt genera, quam explicari poſſint, quæ non ſolum forma, ſed etiam ſapore differunt. Nam alia auſterum,

ſterum, alia acidum, alia dulcem, alia ex his mixtum ſaporem gerunt. Ex quo fit, vt non omnia eandem facultatem obtineant. Nam auſtera aſtringunt, acida frigefaciunt, dulcia medium habent temperamentum. Malus quædam hortenſis eſt, quædam ſilueſtris. Illius fructus ſuauiores exiſtunt.

Malus punica, & granata.

Malus punica arbor non valde procera eſt. Ramos habet flexiles, & ſpinis horridos; folia, quæ figura oleagina, colore myrtea imitantur, rubro pediculo appenſa; flores puniceos; fructus craſſo cortice exterius rufo, interius flauo veſtiuntur. Intus innumera ſunt grana, anguloſa, rubentia, & vinoſa, intra quæ oſſiculum latet, flauis, ac tenuibus membranis diſtincta. Ligni materies flaua eſt, cortex cinericius. Malogranata apud nos hæc poma appellantur: quorum alia dulcia ſunt, alia acida, alia vinoſa, ſeu ſaporis medij, exiccantem, atque aſtringentem facultatem poſſident. Auctor eſt Ælianus, mali punici grana, ſi à circo, lare, turture, vulture, & merula comedantur, illis exitio eſſe. *Lib. 6. c. 45.*

Mandragoras.

Mandragoram vulgo dicunt eſſe herbā, cuius radix hominis ſimilitudinem exprimat: ſed hæc opinio, vt fabuloſa, à doctis viris reijcitur. Nos Dioſcoridis hiſtoriam de mandragora proferemus. *Lib. 4.* Duo inquit, mandragoræ ſunt genera. niger, quæ fœmina exiſtimatur, thridacias appellatus, anguſtioribus folijs, ac minoribus, *cap. 76.* quam lactucæ, viroſis, ac graue olentibus, in terra ſparſis. mala gerit ſorbis ſimilia, pallida, odorata, in quibus ſemen, velut pyrorum; radicibus inhæret, bene magnis, binis, terniſue inter ſe conuolutis, nigris foris, intus albis, craſſo cortice veſtitis: caulem non fert. Alter candidius, qui mas dicitur, nonnullis Morios vocitatus. Huius folia magna, alba, lata, læuia, vt betæ. Mala quam alterius, duplo maiora: colore in crocum inclinante, iucunde cum grauitate quadam olentiam, quorum pomorum cibo aliquantum opiliones ſoporantur. radix alterius ſimilis maior, & candidior: orbata & hæc caule. Et paulo poſt: Alium tradunt eſſe mandragoram, nomine Morion, in opacis iuxta ſpecus enatum; folijs albi mandragoræ minoribus, albis, dodrantalibus, radicem ambientibus, quæ mollis eſt, & candida, paulo minor palmo, pollicemque

craſſitu-

craſsitudine æquat. Hęc Dioſcorides. Mandragoras tertio ordine refrigerat. Quare ſomnũ inducit. Fructus tamen caliditatis cuiuſdam particeps eſt, ſed magis humectat. Radicis cortex & refrigerat, & exiccat, &, vt ſcribit Dioſcorides, ad amatoria conducit.

Lib. 4. c. 71.

Mentha.

Mentha herba notiſsima eſt. Guſtu eſt acris, facultate calida, & ſicca, in tertio ordine, & aſtringit. Eſt & mentha ſilueſtris earundem fere virium, quam Menthaſtrum vulgo nominamus. Mentha adeo viuax eſt, vt è loco, in quo ſemel conſita eſt, magno cum labore extirpetur.

Milium.

Milium non minus, quam triticum, notum. Refrigerat, & exiccat, magis tamen exiccat. Panis ex eo confectus minus cæteris frugibus alit. Herodotus ſcribit, in Babylonia milium, arborum inſtar procerum eſſe.

Lib. 1. c. 4.

Morus.

Morus in Italia frequens eſt cuius fructus alius albus eſt, alius niger. Refrigerat, & humectat, aſtringit, & purgat: alimentum pauciſſimum miniſtrat. Ex mori folijs ſericum conficitur.

Myrica.

Myrica arbor vulgo cognita fructum quaſi florem fert, compage muſcoſum. Aegyptus, & Syria, ſi Dioſcoridi credimus, alteram gignit mitiorem, fructum habentem gallæ proximum. Myrica calefacit, exiccat, abſtergit, incidit, & non nihil aſtringentis facultatis retinet.

Lib. 1. c. 99.

Myrrha.

Myrrham Plinius ita deſcribit: Arbori altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina; caudice duro, & intorto, craſſiore, quam thuris, & ab radice etiam, quàm reliqua ſui parte. corticem læuem, ſimilemque vnedoni: ſcabrum alij, ſpinoſumque dixere. folium oliuæ,

Lib. 12. c. 15.

verum

verum criſpius, & aculeatum iuba olus atri. Aliqui ſimilem iunipero, ſcabriorem tantum, ſpiniſque horridam, folio rotundiore, ſed ſapore iuniperi. Nec non fuere, qui è thuris arbore utrunque naſci mentirentur. Inciduntur bis & ipſę, thuris modo, iiſdemq. temporibus, ſed à radice vſque ad ramos, qui valent. ſudant autem ſponte, priuſquam incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur. Hæc Plinius. Myrrha ſecundi ordinis calefacientium, & exiccantium. Amara eſt, & abſtergit. eius gutta, quam ſtacten appellari diximus, à putredine mortua corpora præſeruat. Naſcitur in Arabia felici. Omnium optima Trogodytica cenſetur.

Myrtus.

Myrtus arbor ramis flexilibus eſt, ac lentis, rubro cortice, folijs longiuſculis, ac perpetuò uirentibus; floribus candidis, atque odoratis, baccis oleæ ſylueſtri ſimilis. Myrtus alia ſatiua, alia ſylueſtris. Mediæ cuiuſdam naturæ eſt. Nam, & ſi frigida ſatis eſt; tenue tamen quoddam calidum habet. Vnde ualenter exiccat, Aſtringendi facultate pollet. In maritimis locis paſſim naſci ſolet.

Nardus, ſeu Nardum.

Nardum ita deſcribit Dioſcorides. Duo nardi genera, vnum Indicum, alterum Syriacum appellatur, non quod in Syria proueniat, ſed quod montis, in quo oritur, pars una ad Syriam, pars altera ad Indos flectitur. ex hoc Syriaci genere præcipuum eſt recens, & leue, largam gerens comam, flauum colore, perquam odoratum, ac cyperum redolens, breui ſpica, amaro ſapore, linguam ſiccante, quamdiu in ſui odoris gratia permaneat. ex Indico autem Nardo, quoddam Gangitis vocatur, a fluuio Gange, apud quem naſcitur, montem præterfluente: quod genus, ob multam loci, in quo prodit, vliginem viribus infirmius eſt, atque procerius adoleſcit, plures ferens ſpicas ab una radice comoſas, vnaque conuolutas, & grauiter olentes. Hæc ille. Nardus hæc exiccat, & calefacit. Acris eſt, & amara, & vim habet aſtringentem: Eſt etiam Nardus montana Syriaca odoratior, ſpica breui, & mutila, ſed eiſdem uiribus pollens. Extat aliud quoqne genus, quod cum Hircorum virus ſupra modum redoleat, improbatur. Eſt alra Nardus Italica, roſmarini more fruticoſa, & lignoſa; uulgo omnibus nota. Eſt & Celtica, exiguè fruticans, colore flauo, & languido, flore luteo. *Lib. 1. cap. 6.*

Oo Harum

Harum utraque uirtus Syriacę ſimiles obtinet. omnes nardi ſpecies cor, & cerebrum corroborant.

Nux.

Nuum plura ſunt genera. aliæ enim iuglandes, aliæ auellanæ, aliæ Indicæ, aliæ myriſticæ, ſeu muſcatæ appellantur. Iuglandes, & auellanæ uulgo notæ ſunt. Indicæ, & Myriſticæ ab Aromatarijs aſſeruantur. Indicæ corticem habent ſubruſum, & ſubdurum, putamen, item prædurum, quod nucleum continet: cuius ſubſtantia pinguis eſt, ac duriuſcula, ſapore dulci butyrum referens. Myriſticæ Perſicis ſunt non abſimiles, fructus noſtratibus nucibus per ſimiles, duro putamine, ac ſubnigro concluduntur. Iuglandis uiridis fructus qualitatis ferè omnis expers uidetur, ſiccus adſtringit. Auellana terreſtris eſt, ac frigida, & magis quam Iuglans, alit. Indicæ mediam quandam obtinent naturam. Nam humectant, & calefaciunt. magis tamen calefaciunt. Myriſticæ 2. ordine calefaciunt, & exiccant. Aſtringentis ſunt facultatis.

Oliua.

Oliua arbor eſt in Italia notiſſima tam ſatiua, quam ſilueſtris, quam Oleaſtrum appelamus. Oliuæ vires ita deſcribit breuibus Galenus ſimplicium medicamentorum libro ſexto: Oliuæ rami quantum habent adſtrictionis, tantum & frigiditatis participes ſunt. Fructus verò ſi quidem ad vnguem maturuit, moderate calidus eſt; ſin immaturus eſt, magis tum aſtringit, tum refrigerat. Hæc Galenus. Oliuæ recrementum vocatur Amurca, quæ aſtringentis eſt facultatis.

Onychè.

Onychen, ſeu Onychan tum gemmæ, tum marmoris, tum oſtreolæ vnguis imaginem referentis genus eſſe, dubitari non debet: ſed non nulli inſuper aſſerunt, onycham herbam, ſeu arborem eſſe aromaticum, guttam eiuſdem nominis producentem: idque ſatis probabile eſt, cum Exodi cap. 30. oyncha inter aromata connumeretur. Mihi vero videtur, onycham illius oſtreolæ tegumentum eſſe, quod, vt auctor eſt Dioſcorides, in Indiæ nardiferis paludibus *Lib. 2. c. 8.*

inueni-

inuenitur. cumque, vt ait idem, ſuauem ſpiret odorem, nil mirum eſt, ſi ad thymiamatis conſtructionem ingrediatur.

Paliurus.

Paliurum ita deſcribit Dioſcorides: Paliurus frutex cognoſcitur, aculeatus, durus: cuius ſemen pingue, & fuliginoſum inuenitur. Hæc ille. Id verò ſemen in ſiliquis concludi Theophraſtus ſcribit. Paliurus aſtringit, digerit, & incidit: In aridis, & montanis locis gignitur. *Lib. 1. c. 104.* *Lib. 3. c. 17. plat. biſt.*

Palma.

Palma arbor eſt procera, caudice ſquamoſo, folijs gladij figura, floribus albis: qui antequam emergant, in volucro quodam palmæ, elate nominato, concluduntur, vnde Dactyli ruſo colore prodeunt. Hi autumno matureſcunt. Palmarum fructus alij exiccant, & aſtringunt, alij, qui dulces, humectant. Oritur palma tum in Aegypto, tum in Syria. In Aegile quoque Africæ loco multas, & ſpatioſas, & fructiferas palmas eſſe Herodotus ſcribit. Hodie in Italiæ quoque plurimis locis hæc planta ſpectatur. *Lib. 4.*

Papyrus.

Papyrus arbor radicem habet obliquam, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, ingracilitatem faſtigiatum cacumen, ſemen nullum. Aegyptij ex ea nauigia texunt, & ex cortice vela. Mandunt eam crudam, decoctamue, ſuccum tantum deuorantes. Præparantur ex ea chartæ. Papyrus in Aegypto naſcitur in locis paluſtribus.

Pepo.

Pepo in Italia notiſſimus eſt: frigeſacit, ſed humectat magis, nec abſtergendi facultate caret.

Pinus.

Pinus alia domeſtica, alia ſilueſtris. Domeſtica numeroſos fundit ramos, in cacumine aculeatos. ſubſtantiæ eſt pinguis, & oleo-

læ. Nues edit ſolidas, in quibus nuclei duris putaminibus obducti concluduntur, quibus ſapor dulcis eſt, ac iucundus. Silueſtris domeſticæ non valde eſt abſimilis: eiuſque multa ſunt genera. Pinus reſinam fundit. Eius nuclei temperatæ ſunt conſtitutionis, & ſi ad caliditatem aliquantulum inclinant. Hæc arbor in Italia frequens cernitur, exciſa emoritur.

Pirus.

Pirus nota eſt arbor. Pirorum plurima, & explicatu difficilia genera ſunt. Illud tantum adnotabimus, pirum aliam domeſticam eſſe, aliam silueſtrem. Pirus exiccandi, aſtringendique facultatem habet. ſed pro qualitate ſuccuum maiori, minoriue vi pollet.

Platanus.

Platanus procera eſt arbor, cortice craſſo, ſubalbicante, fronte vitiginea, auerſa parte candida, ſed multo minore, floſculo paruo, ac pallido, baccis rotundis, ſcabris, & lanuginoſis. Gratam vmbram præbet. Humidis locis gaudet. Frigida eſt, & humida. In Creta, & Aſia copioſa gignitur. Veſpertiliones Platani tactu torpeſcere, ſcribit Aelianus. *Lib. 1. c. 28.*

Populus.

Populus alia albe, alia nigra, tertia Libyca. Alba eſt procera, cortice albicante, & leui; folijs auerſa parte maxime ſub albis. Nigra procerior eſt, & rectior, folio hederaceo, cortice cinericio, nec tenui, materia alba. Libyca folio eſt rotundiore, continue fere ſe mouente, caudica breuiore, cortice nigro, materia imbecilliori. Alba ſterilis eſt. Nigra baccas quaſdam profert. Alba mixtæ temperaturæ eſt, aqueæ, & terreæ. Quare abſtergit. Nigra ſiccior eſt. Vtraque in Italia, & præſertim ſecus flumina, paſſim ſpectatur. Libyca in Boemia, & Germania frequens eſt. Humidis locis oblectatur.

Porrum.

Porrum omnibus notum eſt. Calefacit, extenuat, & incidit. Acri-

Acrimonia, quam poſſidet, niſi bis, ter ue decoquatur, difficulter expoliatur.

Prinus.

Prinus idem eſt, quod Ilex. Alij dicunt eſſe Lentiſcum. Vide ſupra, Lentiſcus.

Quercus.

Quercus ex proceris arboribus notiſſima eſt: nec minus notus eius fructus, qui Glans appellatur. Glandium quædam caſtaneæ modo dulces exiſtunt. Hæc arbor calidæ, ſiccæque, atque etiam aſtringentis facultatis vi pollet.

Rhamnus.

Rhamni fruticis tria ſunt genera. Primum fert aculeos in morem acutæ ſpinæ, folia oblonga, mollia, ſubpinguia, & inter hæc rubentes baccas; corticem album, ac lenem habet. In ſepibus naſcitur. Secundum nigrius eſt, infirmioribus aculeis; folijs latioribus, floribus ſuboroceis, fructu tenui, ac rotundo, in cuius medio nucleus extat. Tertium candidum eſt; fructum profert latum, candidum, ac tenuem. Rhamnus refrigerat, exiccat, & digerit. Fama eſt, inquit Dioſcorides, ramos huius fruticis valuis, feneſtriſue impoſitos veneficia depellere. *Lib. 1. c. 102.*

Roſa.

Roſa adeo nota eſt, vt ſuperfluum ſit eam deſcribere. Roſarum licet plura enumerentur genera, in tria tamen rediguntur. Nam aliæ albæ ſunt, aliæ rubræ, aliæ medium quendam colore obtinent. Roſarum ſubſtantia aquea eſt, non tamen caliditate deſtituitur, vt eius amaritudo indicat. Roſa tum refrigerat, tum aſtringit. *In Macedonia* in hortis Midę Roſas ſexagenum foliorum fragrantiori odore ceteras vincentes naſci, Herodotus octauo libro ſcribit.

Rubus.

Rubi vulgaris fruticis plura ſunt genera: alius nanque arboris

modo

modo craſſeſcens ſurſum tollitur, alius ſepibus implicatur, alius humi ſerpit, alius alijs modis vagatur. Aſtringentis eſt facultatis.

Ruta.

Ruta, nota planta, alia ſatiua, alia ſilueſtris. Satiua tertio ordine, Silueſtris quarto calefacit. Quare vtraque incidit, digerit, reſoluit, prouocat, & flatus valenter pellit. Rutæ odor ſerpentibus eſt infeſtus. Hinc teſtudo contra ſerpentem pugnatura, ruta comeſa, aut origano, ſe munit.

Saliunca.

Saliunca herba nobiliſſimi odoris a Plinio lib. 21. cap. 7. ita deſcribitur: Saliunca folioſa quidem eſt; ſed breuis, & quæ necti non poſſit. Radici numeroſæ cohæret. Herba verius, quam flos, denſa veluti manu preſſa, breuiterque ceſpes ſui generis. Pannonia hanc gignit, & Norica, alpiumque aprica vrbium Eporedia, tantæ ſuauitatis, vt metallum eſſe cœperit. Veſtibus interponi eam, gratiſſimam.

Salix.

Salix nota arbor: cuius ſemen, folia, cortex, & ſuccus deſiccandi, adſtringendique uim habet, ſalicis ſemen epotum, ut ſcribit Ælianus li. 41. 22. beſtias alit: homini verò gignendi facultatem adimet.

Scirpus.

Scirpus eſt leuis iunci ſpecies abſque nodis. Hinc adagium: Nodum in ſcirpo quæris.

Sethim ligna.

Sethim genus arboris eſt naſcentis in eremo montis ſinas, ſpinæ albæ, colore, & folijs, non magnitudine ſimile, putredinis expers, ualidiſſimum, leuiſſimum, & uiſu pulcherrimum: ex quo arcæ federis ligna, ac tabernaculi inſtrumenta effecta fuere; ſic dicta, quod in ſolitudine Sethim naſcatur. Hęc ex Hieronymo in uarijs locis colliguntur.

Si-

Sicomorus.

Sicomorum ita deſcribit Dioſcorides lib. 1. c. 144. Sicomorus arbor eſt magna, fico ſimilis, frondoſa, multo lacte abundans, folijs mori: pomum ter, aut quater annò fert, non ramis, ut fico, ſed caudice ipſò, caprifico non diſſimile, dulcius groſſis, ſiue granis interioribus; quod non matureſcit, niſi ungue, aut ferro ſcalpatur. Naſcitur plurimum Cariæ, Rhodo, locíſque non multi tritici feracibus, vbi prouentu fœcundo, reſtibilique iuuamentum affertur, cum annonæ caritas premit. Hæc ille. Galenus lib. 2. de alimentorum facultatibus ait, Sicomori fructum eſſe paruæ, candidæque ficui aſſimilem, nullã habere acrimoniam, immo dulcedinis eſſe participem, eiuſque facultatem frigidam, & hnmidam eſſe.

Siliqua.

Siliqua arbor ſatis procera eſt, ramis in latitudinem potius, quam in longitudinem protenſis, cortice cinericio, folio lato, duro, raro, cincinnato. ſiliquæ fructus mellei ſunt ſaporis. Naſcuntur apud Italos In Apulia, & Campania. India quoque, & Arabia illas gignit. Siliquæ exiccant, & aſtringunt.

Sinipi, vel Sinipis.

Sinipi, ut Plinius lib. 19. c. 8. eſt auctor, trium eſt generum. Primum gracili folio aſſurgit, 2. rapæ, 3. erucæ frondem exprimit. Quarto ordine calefacit, & exiccat.

Soreth.

Soreth, ut Hieronymus. c. 5. ſuper Eſaiam teſtatur, genus eſt uitis optimæ.

Spina.

Spina nota eſt, cuius tria ſunt genera, acuta, alba, Arabica. Acuta pyraſtro ſimilis, ſed minor ſpinoſa eſt ualde, baccis mirti, rubris, & fragilibus, intra quas eſt nucleus, radice multifida, alta, deſcendente Alba folijs eſt anguſtis, candidis, hiſpidis, acubeatis, cau-

caule bicubitali, albicante, cauo, pollicis craſſitudine, capitulo in cacumine ſpinoſo, & oblongo, floribus purpureis: quibus ſemen ineſt rotundum: utraque deſiccat, & aſtringit. Arabica forma, & uiribus albæ proxima eſt.

Stacte. Vide ſupra Myrrha.
Stirax idem eſt, quod Stacte.

Terebynthus.

Terebynthus arbor folio fraxinum, materia, & cortice lentiſcum refert. Radicibus eſt ualidis, altæ deſcendentibus; flore oleagino, ſed ruſeſcente, baccis, & corniculis rubris. e trunco reſina manet. Terebynthus alia maſcula, alia fœmina, Illa ſterilis eſt, hæc fructus edit. ſecundo ordine calefacit, & exiccat: Inſuper aſtringit. In Phrygia, Macedonia, & Syria magna naſcitur, ſed ea, quam felix Arabia profert, odore cæteras antecellit.

Thyna ligna.

Thyna ligna ex Inſula Ophim afferebantur, ut Reg. lib. 3. c. 10 liquet. Hæc ligna alba eſſe aiunt, & adeo perſpicua, ut in ipſis, ſpeculi more, rerum imagines repræſentuntur.

Thus.

Thus arbor, ut Theophraſtus lib. 9. c. 4 de plant. hiſto. refert, fronde lauri conſtat. ex ea inciſa gutta manet, quæ in gummam coaleſcit, quaq. ad ſuffitiones utimur. Herodotus libro tertio eſt auctor, thuriferas arbores ab alatis ſerpentibus cuſtodiri; eiſque ſtyracis fumo amotis thus capi. ſecundo ordine calefacit, primo exiccat, & paulum aſtringit. In Arabia, & India thus naſci Dioſcorides ſcribit. Herodotus in Caſſio quoque Ægypti monte, qui apud auroram uergit, oriri affirmat.

Dio. lib. 1. c. 70.
Her. li. 2

Tribulus.

Lib. 4. c. 14.

De Tribulo ita ſcribit Dioſcorides: Tribuli genus, unum terreſtre, folijs ad effigiem portulacæ tenuioribus, uiticulis in terra ſtratis, ſpinis ſecundum folia rigidis, præduris, iuxta amnes, & rudera

dera naſcitur. eſt & alterum genus aquis familiare, quod in fluminibus natum comam exerit, aculeos condens; folijs latis, & pediculo longo; caule parte ſumma, quam ima, craſſiore: adſunt ei capillamenta quædam ſpicacea; ſemen durum ab altero non abhorrens. Vterque refrigerantis, & inſpiſſantis eſt natura.

Vepres idem eſt, quod Spina.

Vicia.

Vicia herba eſt cubitali altitudine, folijs petroſelini, ſed amplioribus; floribus cæruleis, ſiliquis paruis, in quibus nigrantia quædam grana continentur. Nihil aliud eſſe uidetur, quam triticum corruptum, & in deteriorem ſpeciem degenerans.

Vitis.

Vitis notiſſima arbor, ex qua uua, unde vinum exprimitur, naſcitur. Vua, præſertim recens, uehementer nutrit. Dulces aluum ſubducunt, ut calidiores; auſteræ aſtringunt. Quod & paſſæ præſtant. Vinum calidum eſt, & humidum. Braſſicę uitibus aduerſantur. Quare inter uites non ſunt ſerendæ. Gruem uitis lacryma perire. Aelianus lib. 6. c. 45. ſcribit.

Vlmus.

Vlmus nota eſt arbor, & ſicca ui prædita eſt. quamobrem tum adſtringit, tum abſtergit.

Vrtica.

Vrtica vulgo cognita calida eſt. Iccirco adurit. Semen, & folia digerentis ſunt facultatis, & quiddam flatuoſum obtinent.

De Metallis. Cap. VIII.

QVOMODO metalla, lapides, cæteraque foſſilia generantur, vndecimo libro exponemus, in quo de gignendi vi agetur. Nunc eorum differentias, atque hiſtoriam proſequemur. Differunt itaque metalla, quæ ſex ſunt, (nam argentum uiuum in ſemimetallis reponitur) inter ſe colore, ſplendore, ſapore, odore, ac pondere. Aurum fuluum eſt, argentum album, æs ſubrubrum, ferrum ſubnigrum, plumbum ſubcinericium, ſtannum medium inter argentum, ac plumbum colorem retinet. Vnumquodque metallum, quo purius eſt, eo ſplendidius: quo craſſius, eo peiori ſapore, atque odore guſtum, odoratumque infeſtat. Metalla omnia, ut denſa, ponderoſa ſunt, & quę danſiora, ponderoſiora exiſtunt. Funduntur ac ducuntur; in metallis, excepto auro, ſpuma, & ſcoria reperiuntur: quæ ſuper natat, ſpuma, quæ in fundo reſidet, ſcoria appellatur, quæ nihil aliud, quam metallorum fæx, eſſe videtur.

Aes.

Lib. 34. cap. 1. Aes ſua prodit uena. fit etiam, vt Plinius ait, e lapide eroſo, quem cadmiam uocant. Aeris natura, ut ſubruber eius color indicat, calida eſt, ſicca, adulta, & incendens. Aes facile ui ignis in ſcoriam uertitur: & ſi, quoniam aqueæ particeps eſt ſubſtantiæ, non difficulter ducitur. In Cypro primo repertum eſt. Apud Maſſagetas, ut Herodotus ſcribit, immenſa æris eſt copia, atque auri; ferri, & argenti nihil. Aere uſto, æris flore, atque æris ſpuma phyſici in medicamentis utuntur. Apud Eſdram legitur, æs pulchrum, vt aurum. Quod ad colorem, non ad ſubſtantiam referendum eſt. Aes Corinthium nouum genus eſt metalli, quod ex commixtione plurium metallorum permixtio primum facta eſt. Quatuor auri partibus ſi una argenti miſceatur, electrum fieri, Plinius teſtatur.

Lib. 1. (Herodotus) — Eſd. 1. c. 8. (Eſdram) — Lib. 33. cap. 4. (Plinius)

Argentum.

Argentum aquea natura conſtat, ut pellucidus eius color oſtendit. Reperitur in omnibus fere prouincijs, ſed in Hiſpania pulcherrimum. facile funditur. Arte etiam perfici alchimiſtæ nugantur. Argentei recrementi, ac ſpumæ magnus eſt in medicinis uſus. Adulterinum dignoſcitur, ſi hominis ori adhibitum protinus ex anhelitu ſudet, ac nubem diſcutiat. Eſt & argentum uiuum ſemper effugiens, Alchimiſtarum materia, quod rerum omnium uenenum Plinius appellat, cum uaſa exedat, ac perrumpat. omnia ei, præter aurum, innatant, quamuis maior ipſorum moles exiſtat. Argentum à ſola natura generatur: nam arte fieri nequit, quicquid Alchimiſtæ aſſeuerent, *Lib. 33. cap. 6.*

Aurum.

Aurum quoque à Sola natura procreatur. Quapropter Alchimiſtis nemo fidem præbeat, aſſerentibus, ſe poſſe argentum uiuum à cæteris foſſilibus extractum in aurum vertere. Aurum inter metalla principatum obtinet plures ob cauſas. Nam cum cætera metalla ab igne patiantur, & abſumantur, ſolum aurum non modo igni reſiſtit, ſed ab eo potius perficitur; tanta eius puritas exiſtit. Vſu non conſumitur: ſalis, acetique iniurias non timet: nulla rubigine conſumitur. In bracteas, & paruas maſſas dilatatur: ſine alia materia netur, ac texitur. Cor confirmat, & gaudio complet. Aurum optimum obrizum appellatur. Id autem eſt, ut putat Plinius, quod ignis colore lucet, uel, ut alijs placet, quod ex Ophir Inſula deferebatur, Obrizum dictum, quaſi Ophirizum. In Æthiopia, & India magna auri eſt copia. In Europæ multis locis, & præſertim in Luſitania, Boemia, & Pannonia auri multum reperitur. Fluminum aurum optimum eſſe, Plinius teſtatur. In Europa Tagus Hiſpaniæ, Titinus, Padus, & Abdua Italiæ, Hebrus Thraciæ aurum ferunt. Diuerſa quoque Boemiæ, & Pannoniæ fluuia idem donant. In Aſia Tmolus Lydiæ, Pactolus, & Ganges, qui Phiſon in Geneſi uocatur, auriferi extant. ſed Gangis aurum optimum eſſe, Geneſis liber edocet. *Lib. 33. cap. 3.* *Lib. 33. cap. 4.* *Gen. 2.*

Ferrum.

Ferrum metallis omnibus ignobilius eſt. Terrea enim eſt eius

ſubſtantia, & dura & facilius mollitur, ac ducitur, quam fundatur. Accedit, quod ob malam mixtionem porroſum eſt, unde, & rubiginem contrahit, &, cum ducitur, paulatim abſumitur, & in ſcoriam uertitur; à ſtagno fuſo tactum frangibile, & nulli uſui idoneum redditur. laudatur quod æroſum minimeque odorum eſt. Arte expurgatum optimum eſt; idq. latini Chalybem, uulgares Acciarum appellant. Vbique fere huius metalli eſt copia: ſed Italia eo plurimum abundat, præſertim Etruria. Ferri ſcoria, & rubigo ad medicamenta plurimum ualent.

Plumbum.

Plumbum aqueum eſt, & maxime impurum. Nam, cum liquatur, quod facillime fit, bona eius pars in ſcoriam terream mutatur. Non magno labore non ſolum liquefit, ſed quoquo verſum ducitur. lotum, atque vſtum morbis opitulatur: quod eius quoque recrementum præſtat: Plumbum aliud album, aliud nigrum. Illud Gallæcia, hoc Cantabria profert. Hoc metallum, ait Plinius, aut ſua prouenit vena, aut cum argento naſcitur. *Lib. 33. cap. 16.*

Stannum.

Stannum aqueæ eſt naturæ, tenuis, & inconcoctæ. Quare omnia metalla non ſolum tactu, ſed etiam odore corrumpit, eaque frangibilia reddit, excepto auro puriſſimo, & plumbo, cum quo ob aqueam, & impuram naturam ueluti cognationẽ quandam contraxiſſe videtur. Antiquitus ex Hiſpania apud Inſulas Caſſaterides effoſsũ aduehebatur, nunc à Britannia affertur. Rubigini aduerſatur. Quamobrem ahenea eo illiniri ſolent. Adulteratur ęre, & plumbo. aceto, & alumine ſuperfuſum æreum colorẽ reddit.

De

De Metallis mixtis. Cap. IX.

HAEC autem metalla, præter ferrum, inter ſe ſe miſcentur. Verum non omnia, cnm quibuslibet conglutinari poſſunt. Aurum cum argento, ac ære conſociatur: cæterorum uero metallorum copulationem auerſatur. Argentum auro, & æri coniungitur. æs non ſolum auro, & argento, ſed etiam ſtanno copulatur: quamuis hac in mixtione æs mirum in modum à ſtanno patiatur, & in duriorem ac fragiliorem ſubſtantiam tranſeat. Ex hac mixtione metallum illud prodit, Bronzo vulgo appellatum, quo tum ad tormenta bellica, tum ad campanas conficiendas fuſores vtuntur. Stannum ſoli plumbo facile admiſcetur, neque plumbum corrumpit, immo ab ipſo deterrimum redditur, ſi bona plumbi pars adijciatur.

Aurichalcum.

Auricalchum, & ſi aurum colore imitatur, nihil tamen aliud eſt, quam æs fuluo colore tinctum. Nam æri, dum funditur, terra quædam vulgo giallamina vocata iniecta, & vitro tuſo, ne exhalet, cooperta, tali ipſum colore inficit. Quare non poſſum non mirari Plinium, qui auricalchi fodinas fuiſſe aſſerit, ſed ſuis temporibus terra effœta eſſe deſijſſe. *Lib. 34. c. 2.*

Electrum.

Electrum ex auro, & ære fieri ſupra diximus. Electrum quoque eſt ipſum, de quo infra in c. de Lapidibus agemus.

De

De Lapidibus, ac primum de pretioſis. *Cap. X.*

LAPIDVM generationem vndecimo libro exponemus. Nunc hiſtoriam breuibus enarrabimus. Differunt itaque inter ſe lapides luciditate, & obſcuritate, colore, ſpiſſitudine, & raritate, leuitate, & grauitate, mollitie, & duritie. Hæc autem omnia diſcrimina ex materiæ diuerſitate proueniunt, vt ſuo loco oſtendemus. Lapidum alij pretioſi ſunt, vt gemmæ omnes; (hæ enim maximi æſtimantur, emuntur, & venduntur) alij nihili penduntur. Sed primum de pretioſis agamus. Gemmarum itaque aliæ opacæ, aliæ pellucidæ exiſtunt: & vtroque ex genere aliæ albæ, aliæ nigræ, aliæ rubræ, aliæ virides, aliæ ex varijs coloribus mixtæ reperiuntur.

Achates.

Achates varijs conſtat coloribus, vitreo, ſanguineo, fulgido. Quandoque aerei coloris reperitur, ſed vt plurimum, purperei. Quibuſdam interſecatur lineis, quæ non nunquam diuerſas imagines referunt. In Achate Siciliæ flumine primum inuentus eſt, vt Volaterranus ex Theophraſto refert. Aliqua plaga percuſſis dolores emollit; tertianis, quartaniſque eſt vtilis. oſſa in aqua feruenti, ſi vna immitatur, vt ferunt, liquefacit. Prodeſt aduerſus ſcorpionum ictus. Sitim, ſi palato admoueatur, ſedat. Spectantium viſum roborat.

comm. li. 27. c. de gemmis.

Adamas.

Adamas, qui inter gemmas principatum obtinet, lapis eſt duriſſimus, & perſpicuus, ſed cryſtallo aliquanto obſcurior. Hirci ſanguine calido tantum ipſum molliri aſſerunt. Sunt, qui argentum viuum idem præſtare putent. Gemmas omnes, & ferrum, non tamen chalybem, penetrat. Si magneti ſupponatur, eius uim impedit,

pedit, ne ferrum trahat. Quantitatis auellanæ non nunquam reperitur. Intra venas auri, vt Plato, in Timæo affirmat, inuenitur. Profert Aethiopia, Arabia, Iudia, Macedonia, Cyprus. De Adamante ita Hieronymus 7. ſuper Amos ſcriptum reliquit: Adamas ſui nominis lapis eſt, quem latinè Indomitum poſſumus appellare, eo quod nulli cedat materiæ, nec ferro quidem. Nam ſi ponatur ſuper incudem, & graui ictu feriatur mallei, antea incus, & malleus uulnus accipiunt, quam Adamas conteratur. cumque ignis omnia domet, & vniuerſa metalla conſumat, reddit adamantem duriorem. ut ne paruulum quidem in eo angulum uis nimij ardoris obtundat. Vidi, & in auro adamantem magnitudine milij; cumque uicinum conſumatur aurum longo vſu, ac nimia uetuſtate, ſolus adamas non atteritur, & nullâ lima imminui poteſt. immò e contrar o limam terit, & quicquid attigerit, lineis ſulcat. Hic lapis duriſſimus, & indomabilis ſolo hircorum cruore diſſoluitur, & miſſus in calidum ſanguinem perdit fortitudinem ſuam. eſt autem paruus, & indecorus, ferrugineum habens colorem, & ſplendorem cryſtalli. Quatuor adamantis genera deſcribuntur. Primus eſt Indicus; ſecundus Arabicus; tertius Macedonius; quartus Cyprius: pro qualitate regionis plus, uel minus duritiam poſſidentes. Dicitur quoque in electri ſimilitudinem uenena deprehendere.

Amethyſtus.

In Arabia, Syria, Armenia minore, Galatia, & India Amethyſtus reperitur. ſed Indica primatum obtinet, & purpureum habet colorem; quamuis cœteris uiolaceus inſit. Hanc ad ebrietatem conferre aiunt.

Berillus.

Berillus ſubuiridis, & perſpicui eſt coloris. ex India aduehitur. epatis doloribus, & oculorum humiditati prodeſt: ſoli oppoſitus ignem accendit.

Carbunculus.

Carbunculus vulgo rubinus nuncupatus pellucidus eſt, rubicundus, & ſolidus, non tamen adeo, vt adamas: ſecundum inter gem-

gemmas locum tenet. eſt quidam alius carbunculus minoris pretij, qui, quod languidius refulget, veluti fœmina cenſetur: Hunc, & grammatam vocant Carbunculus apud Lybicos, Indos, & Garamantes inuenitur; cor lætificat aduerſus peſtilentiam munit.

Calcedonius.

Chalcedonius, ut Albertus Magnus eſt auctor, lapis eſt pallidus, & ſuboſcurus, qui ui lapidis, quem Finientem appellant, perforatus, & collo appenſus, melancholicis lætitiam reddit. Virtutem quoque corporis confirmat.

Chryſolitus.

Lib. 37. c. 9. Chryſolitus, vt at Plinius, aureo colore tranſlucet. Nam lapis eſt ſubuiridis, & ſublucidus, qui ſi ad Solis radium apponatur, ſtellæ inſtar micabit. Ex Aethiopia aduehitur. Auro alligatus, ſtultitiam, vt ferunt, fugat.

Chryſopaſus.

Huic Chryſopaſus ſimilis quaſdam veluti guttas intra micantes habet. In India naſcitur.

Cryſtallus.

Cryſtallus lapis eſt candidiſſimus, & lucidiſſimus. Hunc vi frigoris generari aiunt, & nihil aliud eſſe, quam glaciem vi frigoris vehementis concretam. verum Diodorus lib. tertio eſt auctor, In Arabia cryſtallum oriri ex pura aqua, non à frigore, ſed Solari calore congelata. Mihi neutrum ſatisfacit. Quare probabilius videtur aſſerere, cryſtallum eadem, quo cætere gemmę, ratione oriri: eſſe autem glaciei more peſpicuum, quod aqueus humor in ipſa magis, quam in cæteris gemmis dominetur. Sub lingua poſita ſitim extinguit. Si trita melli admiſceatur, & à mulieribus ſumatur, vbera lacte complet.

Electrum.

Electrum, ſeu Succinum, Ambra vulgo appellatum, lapis eſt, quem

quem Volaterranus ex Theophraſto in Lybia effodi auctor eſt, & ſi alij aiunt, electrum eſſe lacrymas ex populis apud Padum fluentes. Alij aſſerunt eſſe bituminis genus. Pleraque ſunt eius genera. ſed fuluum, ac perſpicuum maxime commendatur. Pallas ad ſe trahit, ſicut magnes ferrum. Infantibus ad vitandas faſcinationes alligatur. *Comm. vrb lib. 27 c. de gemmis.*

Hyacinthus.

Hyacinthus violatum, & fulgidum colorem obtinet. Adeo durus eſt, vt vix ſcalpi queat. Eſt alia huius lapidis ſpecies albeſcens, quæ vilior eſt. vterque lapis aduerſus peſtilentiam valet. ſed illius peculiare eſt, vt venenis aduerſetur. ex Aethiopia aduehitur.

Iaſpis.

Iaſpis alius ſmaragdi ſimilis, alius cryſtalli. cinereus alius, & alius fumi propior colori. Nonnulli lineas albas habent; Aſſyrij vocatur. Fertur hic lapis pro amuleto, & parienti ſuſpenditur aure, vt citius pariat. Hæc Dioſcorides. *Lib. 5. c. 117.*

Ligurius, ſeu Lyncurius.

Ligurius, ſeu potius Lyncurius, gemma eſt ex vrina Lyncis, colore melleo, quæ ab eodem ob humani commodi inuidiam obruta, deinde in ſaxum obduratur. Ferri ramenta attrahit, vt ex Theophraſto. Volateranus refert. *Comm. vr. li. 27 c. de gemmis.*

Margarita.

Margarita lapis eſt albus, & perlucens, veluti ſi parua lux multum album penetraret. Maiores vniones appellantur, quod nulli duo indiſcreti reperiantur. De Margarita ita Aelianus lib. 10. cap. 14. ſcribit: Margaritæ, quæ alio nomine vniones appellantur, in conchis generantur. Tranquillo mari hæ conchæ capiuntur, & ex eis margarita eximitur, & non nulli piſcatores ipſas poſtea liberas dimittunt. Hic lapis rotundus eſt, & leuis. ſi quis ipſum expolire tentabit, aſperiorem reddet. In parua concha magnam reperies margaritam, in magna paruam. Sunt qui aſſerunt, in vna concha viginti margaritas procreatas fuiſſe. Hæc Aelianus. Mar-

garita ſpiritus, vt aiunt, roborat, & ſanguis fluxui medetur. Vulgo Perla nuncupatur. Aceto liquatur. Naſcitur in Boſphoro, in Britannia, & in Arabia ad perſicum ſinum maris rubri; ſed quæ ab Oceano Indico affertur, omnium optima exiſtimatur.

Onyx.

Onyx nigri coloris vngui hominis ſimilis eſt. Plurimas uariaſque cum lacteis Zonis uenas habet. ex multis conſtat coloribus, atque illis quidem ingratis. qui tamen in unum copulati gratiſſimum colorem reddunt. In Media, Arabia, & Gange inuenitur. Aiunt, hunc lapidem atram bilem excitare. Eſt etiam onyx tum conchilij genus, tum marmoris, ut ſupra adnotauimus.

Saphirus.

Saphirus gemma eſt cærulea, & perſpicua. Quartum ſibi locum inter gemmas uindicat. Aureis punctis pellucet. In Syrtibus reperitur.

Sardius.

Sardius ita dictus, quod primum Sardibus ſit repertus, colore eſt rubeo, ſed adeo ſpiſſo, vt eius ſubſtantia difficulter viſui peruia ſit. lætum hominem, vt ferunt, reddit,

Smaragdus.

Smaragdus tertium locum inter gemmas obtinet. Lapis eſt viridis, nitidiſſimus, atque adeo perſpicuus, vt ſua viriditate propinquum aerem tingat. Ad comitialem morbum, & viſus debilitatem confert. Aduerſus venena prodeſt. Naſcitur, auctore, vt ait Volaterranus, Theophraſto, in India, & in Cypri ærifodinis. Si quis coiens hunc lapidem in digito habuerit, lapidem confringi aiunt.

Comm. vr. li. 27. c. de gemmis.

Topatius.

Topatius alius aureum, alius croceum colorem habet. Aurei coloris pretioſior exiſtimatur. In Aethiopia naſcitur. Ferunt hunc lapidem Hæmorrhoicis, & Lunaticis auxiliari.

De

De reliquis lapidibus. Cap. XI.

Alabaſtrum.

ALABASTRVM pro vnguentarijs vaſis conficiendis quærebatur. laudatur quod mellei eſt coloris, neque translucet. Vitium eſt corneus, candiduſque color. Naſcitur in Aegypto, in India, & Damaſci.

Marmor.

Marmor lapis eſt notus. Diuerſorum eſt colorum. aliud enim album eſt, aliud atrum, aliud ex ijs mixtum: ex varijs item locis aſportabatur. Quare quoddam Aegyptium, quoddam Numidicum, quoddam Cariſtium, quoddam Parium appellatur. Erat quoque Lacedæmonium viride, & Synadicum rubens.

Silex.

Silex lapis eſt duriſſimus, quo ad ſternendas potiſſimum publicas vias Romani vtebantur.

De cæteris foſſilibus, quae Semimineralia vocantur. Cap. XII.

SVNT etiam quædam foſſilia, quæ neque inter lapides, neque inter metalla reponi iure poſſunt, atque iccirco Semimineralia vulgo appellantur. Quorum alia terream, alia aqueam, alia igneam naturam obtinent. Sed in eorum enumeratione facilius id, quod propoſuimus, apparebit.

Bitumen.

Bitumen limus eſt tenax, quaſi pinguedo quædam, aquis ſupernatans, quod ad litus extractum concreſcit, denſatur, ac tenaciſſimum redditur. Vis eius calida eſt. De Bitumine ita ſcribit Dioſcorides lib. primo, c. 83. Bitumen Iudaicum cæteris anteponitur. Cuius probatio eſt, ut purpuræ modo ſplendeat, ſitque ponderoſum, ac ualidum odorem uibret. Nigrum autem, & ſordidum uitioſum eſt. Adulteratur pice. Naſcitur in Phœnice, Babylone, Zacynto, & Sydone. Nigrum inuenitur in Agrigentino Siciliæ, fontibus innatans, quo utuntur ad lucernarum lumina olei uice. Hęc Dioſcorides. Charadrium, Herinaceum, & Potamogeten bitumine occidi, Aelianus li. 6. c. 45 teſtatur.

Nitrum.

Nitrum inter ſales connumeratur. Calidum eſt, ſiccum, aduſtum, ſalſum, mordificans, atque in ijs omnibus qualitatibus ſalem excedit. Cuius illud indicium eſt, quod nitrariæ ne herbas quidem proferant, cum tamen ſalinæ illas producant. Optimum eſt, quod tenuiſſimum, ſpongioſum, fiſtuloſum, & album, quale in Clytis Macedoniæ inuenitur. Nitri ſpuma ipſo nitro magis probatur, eaque potiſſimum, quæ eſt leuiſſima, glebosa, friabilis, colore pene purpureo, aut ſpumoſa, & mordens. Nitrum tum natura prodit, tum ante conficitur.

Pix.

Etſi pix, quam è terra defluere in noſtris regionibus ſcimus, humor potius uiſcoſus ſit, quam lapis, aut metallum, quoniam tamen defluxa dureſcit, non abſque cauſa ſemimineralibus adnumerari poteſt. eſt itaque pix humor uiſcoſus & niger. Probatur ſplendens, ſincera, leuis. Pix, vt ſcribit lib. primo c. 78. Dioſcorides, è pinguiſſimis pini, piceæq. arboris congregatur. ſed certe è terra etiam ſcaturit, ut in mea Verulana Diœceſi apud oppidum Caſtrum nuncupatum, & Babuci in monte, qui ab incolis Mons fici appellatur, uidere quilibet poterit, eaque eſt optima. Eſt etiam pix facticia, cuius conficiendæ, ac parandę rationem Matthiolus deſcri-

Super loco citato Dioſcoridis.

deſcribit. Pix deſiccat, & calefacit, ſed ſicca plus deſiccat, nec abſtergendi ui caret.

Sal.

Sal alius natiuus eſt, alius facticius, ſed prior efficacior eſt. Calidus eſt, ſiccus, ſalſus, mordens. Metalla, cæteraque, quibus aſſociatus fuerit, corrodit. Humida exiccando à putredine conſeruat. Elicitur facticius ex aqua marina, ſed tamen ex cinere quoque, & urina animalium educo poteſt. Eſt quoque fluuiatilis, & lacuſtris. Multis locis in Europa, & extra Europam ſal foditur. Sal in ignem iniectus crepitat. & velut hoſtis quidam refugit, Calabro excepto, qui neque crepitat, neque diſſilit, ſed veluti ferrum igneſcit. Sal alius candidus eſt, alius ad rufum colorem inclinat.

Stibium.

Stibium eſt id, quod ab Aromatarijs Antimonium uocatur. De eo ſic Plinius lib. 33. c. 6. In iiſdem argenti metallis inuenitur, ut proprie dicamus, ſpumę lapis candidæ, nitentiſque, non tamen tranſlucentis; Stimmi appellant, alij Stibium, alij Alabaſtrum, aliqui Larbaſon. Duo eius genera, mas, & fœmina. Magis probant fœminam. Horridior eſt mas, ſcabriorque, & minus ponderoſus, minuſque radians, & arenoſior. fœmina contra nitet, friabilis, fiſſuriſque, non globis, dehiſcens. Vis eius reſtringit, ac refrigerat. Principalis autem circa oculos. Hæc Plinius. In Germania, & in agro Senenſi Stibij plurimum reperitur.

Sulphur.

Sulphur notiſsimum eſt. Aliud natiuum eſt, aliud facticium. Natiuum in Sicilia, & multis præterea Italię partibus plurimum reperitur. Aliud eſt album, aliud flauum, aliud uiride, aliud ſubnigrum. Aiunt etiam rubrum reperiri, quod tamen nunquam vidi. Eius ſubſtantia terrea eſt, ſed pinguis, calida, & ſicca. Sulphur, ubi diutius inhæret, exulcerat. Igni admotum ſtatim accenditur, nec extinguitur, donec pinguedo omnis conſumpta fuerit, ob quā etiam facile funditur. male olet.

Vitrum.

Lib. 36. Vitrum tranſparens eſt, lucidum, & frangibile. Scribit Plinius,
cap. 26. Tiberij tempore fuiſſe repertum, ut uitrum flexibile eſſet: ſed, cum id pretioſis metallis detraheret, inuentoris officinam abolitam. Idem teſtatur, uitrum in Syria caſu à mercatoribus inuentum eſſe. Nam, cum ij ad litus fluminis Beli apud Ptolmaidem ui tempeſtatis adacti conſediſſent, dum cibum caperent, animaduerterunt, ſuppoſita ſaxa ab igne liquefieri. Quare ea in ſuas regiones aſportantes, artificibus ad fundenda viria uiam ſtruxerunt. Alij vitrum Alchimiſtarum inuentum eſſe aſſerunt. Quicquid ſit, vitrum magno eſt vſui. Nam ex eo diuerſorum colorum pocula, & vaſa fiunt, cum facile tum fundatur, tum tingatur. Specula quoque ex ipſo conficiuntur. Maximam vitri copiam in Aethiopia eſſe Diodorus lib. 3. ſcrip. reliquit.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER DECIMVS.

DE CORPORE HVMANO.

Partium ſimplicium, & compoſitarum enumeratio. Cap. I.

POSTREMO de Homine agendum eſt qui, veluti rerum vniuerſitatis compendium, omnia, eſſentiam ſcilicet, vitam, ſenſum, atque intelligentiam intra ſe admirabili quadam ratione concludit. Verum, cum homo anima, & corpore conſtet, iure optimo vtriuſque hiſtoria diligenter eſt pertractanda. Prius autem humani corporis fabrica ante oculos ponenda eſt, vt exactior animæ cognitio haberi poſſit, cum anima corpore vtatur, neque abſque corporis inſtrumentis, dum corpori conſociata eſt, operetur. Humani igitur corporis partes, aliæ ſimplices ſunt, aliæ compoſitæ. Simplices ſunt eę, ex quibus ceteræ conſtituuntur, ut os, cartilago, unguis, ligamentum, neruus, membrana, fibra, caro, & quatuor humores. Hę tantum partes ſimplices ſunt: cæterę verò omnes aut ex ijs componuntur, aut ſub ijs continentur. Partes compoſitæ ſunt, caput, collum, thorax, abdomen, brachium, manus, femur, tibia, pes, & muſculus, cuius hæ omnes participes exiſtunt. Sunt prætereà aliæ partes intra cauitatem corporis, à ſummo ce-

rebro

rebro ad infimum uſque abdomen, & partes genitales collocatæ, quæ Viſcera appellantur. A ſimplicibus itaque partibus auſpicemur.

De Oſsibus. Cap. II.

OS eſt pars animalis duriſſima, ſicciſſima, maximeque terrea, grauis, alba, & ſenſus omnis expers, præter dentes, in quibus inſignis ſenſus reperitur. Oſſa autem non ſentire illud, argumento eſt, quod, ſi ab oſſibus membrana illa pertenuis, Perioſtion appellata, quæ ipſa ambit, abradatur, ſine ullo dolore, immò ſine ullo prorſus ſenſu oſſa diſſecantur. Oſſa ueluti fundamenta quædam ſunt, quibus vniuerſum corpus ſubſternitur, ac ſuſtinetur. Hoc eſt eorum præcipuum munus, & ſi interdum propugnaculi uice funduntur. Differunt oſſa tum magnitudine, tum forma, tum uſu. Nam alia magna, alia parua, alia oblonga, alia breuia, alia lęuia, alia aſpera, alia hanc, alia illam figuram referunt. Præterea alia proceſſibus, alia appendicibus muniuntur, alia commiſſuris diſtinguūtur, alia carent; alia cauitatem habent amplā, alia anguſtam. Quę omnia pro varia oſſiū functione natura fabricata eſt. Omnia oſſa foraminibus referta ſunt, licet quibuſdam foramina adeo ſint parua, ut uix appareant. Oſſa humana non ſunt prorſus ſolida, ſed alia inſignes, alia fungoſas obtinent cauernulas, in quibus continetur medulla, ex qua nutriuntur. Oſſium quædam appendicibus, proceſſibus fere omnia donantur. Appendix eſt os oſſi adnatum, in ſuprema, inferaque eius parte conſiſtens, quæ, dum animal tenellum eſt, ipſa quoque eſt mollis, ſed, creſcente animali in duritiam tranſit, adeo, vt vere Os appellari queat. Hęc in pueris facile diſcernitur, ſed in adultis uix ab eo, cuius appendix eſt, dignoſcitur. Appendicum vſus eſt, velut Galenus ſentit, vt medullam in oſsium finibus exiſtentem coerceant, ne diffluat. quanquam Columbus cen et factas eſſe, vt ex ipſarum, & oſsium articulatione ligamēta prodeant. Proceſſus eſt pars in oſſe, tuberculi, aut gibbi inſtar procedens: cuius caput quoniā in oſsium ſinus ingreditur, pro ſituū cauitate nunc depreſſum eſt, nunc oblongum. Nam humili ſinui depreſſum, profundo oblongum conuenit. Eſt vero Proceſſus pars oſſis, non pars oſſi adiuncta, quem-

2. de vſu part. c. 8. Lib. 1. cap. 2.

quemadmodum appendix. Coniunguntur autem oſſa duobus modis, aut cum motu, aut ſine motu. Prima coniunctio Articulus, ſecunda Symphyſis ab Anatomicis vocatur. Articulus in duas diuiditur ſpecies; Diarthroſin, & Synarthroſin. Diarthroſis eſt coniunctio ad motum manifeſtum, Synarthroſis ad obſcurum. Rurſus tam Diarthroſis, quam Synarthroſis in tres diſſecatur ſpecies, quarum prima Enarthroſis ſecunda Arthrodia, tertia Gynglimos nominatur. Enarthroſis eſt, cum rotundum, aut oblongum caput in cauum aliquod inſeritur, vt coniunctio humeri cum ſcapula, ac tertium os brachialis cum primo, & ſecundo eiuſdem. Arthrodia eſt, cum depreſſum caput in ſinum leuiter cauum immittitur; ita vt radius cum cubito, & quædam brachialis oſſa inter ſe committantur. Gynglimos eſt, cum oſſa ita copulantur, vt alterum alterum ingrediatur, ita vt vtrumque, & ſuſcipiat, & ſuſcipiatur. Hoc pacto cubitus cum humero, & tali os cum calce conſociatur. Symphyſis tres ſunt ſpecies, Sutura, Harmonia, Gomphoſis. Sutura eſt coniunctio in ſerræ modum, vt ſutura coronalis. Harmonia eſt ſtructura ſimplici linea facta, veluti ſunt commiſſuræ maxillæ ſuperioris. Gomphoſis eſt, cum claui more os oſſi inſeritur, vt dentes in maxillis. Hæc autem omnia aut cartilagine, vt os pubis, aut ligamento, vt articuli, aut carne, vt dentes, copulantur. Prima ſpecies Syncondroſis, ſecunda Syndeſmoſis, tertia Syſſarcoſis appellatur.

De Vnguibus. *Cap. III.*

VNGVES mediam quandam naturam inter oſſa, & cartilagines obtinent, cum oſsibus ſint molliores, cartilaginibus duriores. Quare mihi non probatur ſententia eorum, qui vngues inter cartilagines reponunt. Carent vngues omni ſenſu, licet ſub vnguibus exquiſitus ſenſus reperiatur. Cuius rei ea cauſa eſt. quod vngues tū à cute, tum à tendinibus muſculos digitorum extendentibus originem trahunt: qui tendines ſub vnguibus ad digitorum vſque extremitates deferuntur. Vngues digitos tuentur, ne ab extrinſecis offendantur: eoſque ad apprehendendum magno vſui eſſe experientia edocemur.

De Cartilagine. Cap. IV.

CARTILAGO eſt corpus ſimplex, exangue, frigidum, & ſiccum, omniſque ſenſus expers, eius ſubſtantia inter vngues, & ligamenta media eſt, vnguibus quidem mollior, ligamentis autem durior: albedine tantum oſſibus, vnguibus, & ligamentis communicat. Cartilagines ſua mollitie cedunt, neque franguntur, & ſi non adeo, vt oſſa, reſiſtunt, ſuamque ſedem, aut formam non facile conmutant. Harum multiplex eſt vſus: nunc enim operiunt, nũc ſuſtinent, modo propugnaculorum munere funguntur, modo præſtant, ne oſſa iuuicem atterantur, quandoque efficiunt, vt oſſa annexa firmius cohæreant, quandoque articulorum, quos & mucore ſuper appoſito ſubungunt, motus faciliores reddunt. Nam cuique articulo, ſiue eius motus ſit obſcurus, ſiue manifeſtus, ſua cartilago deſtinatur.

De Ligamentis. Cap. V.

LIGAMENTVM eſt pars ſimplex poſt os, vngues, & cartilagiuem maxime terrea, frigida, ſicca, dura, & exanguis. Mediam inter neruum & cartilaginem ſubſtantiam habet, ner uo duriorem, ſed cartilagine molliorem: quæ licet aſpectu neruea eſſe videatur, ſenſu tamen, motuque omni priuatur. Iecoris ligamenta excipio, quę non omni prorſus ſenſu carent. Prudenti autem ratione à natura factum eſt, ne ligamenta ſentirent, vt ſcilicet, cum oſſa mouentur, non doleremus. Quod profecto eueniret, ſi ligamenta, ſenſu prædita eſſent. Ligamenta, vt plurimum, ab oſſe incipiunt, & in os deſinunt. Genita ſunt tum ob muſculorum pruductionem; tum vt noſtra membra colligent; vnde & nomen ſumpſere. Ligamentorum alia tenuia ſunt, alia craſſa, non nulla magna, non nulla parua, quædam lata, quædam anguſta, quædam teretia, quæ-

dam

dam aſpera, & alias inſuper habent differentias. Tenui medulla nutriuntur. Iccirco inter oſſa, & appendices collocantur, vt ſuum commodius trahant alimentum. De Ligamentis, eorumque natura nunquam diſſeruit Ariſtoteles: quinimmo ne meminit quidem. Quare mihi videtur, ipſum nullum diſcrimen inter neruum, & ligamentum poſuiſſe. Neque mihi probatur, quod quidam aiunt, Ariſtotelem nerui nomine etiam ligamentum intelligere. ſi enim id eſſet, alicubi certe dixiſſet, hos neruos, qui ligamenta ſunt, non ſentire. ſed cum ſemper dicat, neruos ſentire, duorum alterum fateamur, neceſſe eſt, aut inter ligamentum, & neruum nihil ex eius ſententia differre, aut ipſum ligamenti naturam ignoraſſe. Verum hoc cæteri viderint. In tota corporis mole varia ligamenta reperies, quæ multifariam oſſa inter ſe ſe, ac alia quædam membra colligant. Cum tot igitur tanq. varia ſint, de quoque ligamento non agemus. Horum enim tam exactam enumerationem ad Anatomos reijcimus.

De Neruo. Cap. VI.

NERVVS eſt pars ſimplex, mollis, frigida, & humida, exanguis, ſenſu tantum, aut ſenſu, & motu ſimul prædita; eſtq. organum, per quod ſenſus, motuſque ad vniuerſum corpus defertur. eius figura oblonga eſt, & ſphærica. Is, vt tutior ſit, membrana induitur. Porroſi ſunt nerui, vt ſpiritibus animalibus iter pateat. Eorum origo eſt tum à cerebro, tum à ſpinali medulla, à quibus egredientes per vniuerſum corpus diſſeminantur, vt latius patebit, cum in ſermonem de cerebro incidemus. Neruorum triplex eſt vſus: alij enim ſenſui, alij motui deſeruiunt, alij diſcernunt, quid moleſtiam afferat, quid non afferat, vt nerui inſtrumentorum nutritionis. Verum illud adnotat Galenus 9. de vſu partium, cap. 13. & 14. neruos, quò longius à cerebro digrediuntur, eo duriores fieri: Cæterum duri à ſpinali medulla, molles à cerebro exoriuntur: licet horum aliqui in itinere mollitiem amittant. Duri motui, molles ſenſui famulantur. Quare nerui molles à cerebro progredientes, qui ſuam ſemper ſeruant mollitiem, vt qui ad ventriculum proficiſcuntur, numquam motorij euadunt: qui verò in itinere exiccati duriores

fiunt, motorij tandem proueniunt, vt ij, qui in labiorum muſculis inſeruntur. ex neruis ſoli optici, qui viſui ſubſeruiunt, caui ſunt, quo ſpiritum à cerebro recipere queant.

De Membrana. Cap. VII.

MEMBRANA eſt pars corporis ſimplex, exanguis, denſa, modice craſſa, lata, plana, alba, tenuis, facileque dilatabilis. Membranæ ob multiplicem vſum à natura effectæ fuere. Nam quędam totum corpus ambiunt, & natiuum colorem fouent, ac ab extrinſecis exteriora omnia tutantur, quales ſunt cutis, cuticula, & membrana carnea, quædam viſcera, & alia ſingularia membra circundant, vt peritonæum, pleura, omentum, perioſtium, ſcrotum, pericardium, meninges. Nam peritonæum viſcera, pleura vitalia membra continet: omentum inteſtina circumfouet, ſicut perioſtium oſſa, ſcrotum teſtes, pericardium cor, & meninges cerebrum. Nonnullæ partes ab inuicem ſeparant, vt mediaſtinum, meſenterium, & diaphragma, & ſiquæ aliæ reperiuntur, quæ partem à parte diuidunt. Nanque mediaſtinum cor à pulmone, meſenterium inteſtina ab inteſtinis, diaphragma, ſeu ſeptũ tranſuerſum partes naturales à vitalibus diſtinguit. Illud lectorem admonemus, toto in corpore, ac præſertim in arterijs, venis meſeraicis, & veſcica magnam membranarum copiam inueniri.

De Fibris. Cap. VIII.

FIBRAE, ſeu villi ſunt fila quædam olonga, gracilia, alba, ſolida, valida frigidi, ac ſicci temperamenti, à natura productæ, vt animalibus, & naturalibus facultatibus inſeruiant, quo ſuas actiones obire queant. Harũ quędã ſunt rectæ quædam obliquæ, quædam tranſuerſæ. Rectę attrahunt, tranſuerſæ expellunt, obliquæ retinent. Præterea per vniuerſum corpus diſperguntur, vt animali facultati ad voluntarium motum deſeruiant.

De

De Venis. *Cap. IX.*

EX membrana, & fibris vena, & arteria conflantur. Vena itaque eſt vas album, concauum, ex tenui quadam ſubſtantia partim fibroſa, partim membranea conſtans, à qua tum ſanguis continetur, tum per vniuerſum corpus defertur. Vna conſtat tunica, ſed fibris triplicibus contexitur. Venæ ſemper arterijs incubant. A iecore, vt infra oſtendemus, originem ducunt.

De Arterijs. *Cap. X.*

ARTERIA eſt vas membraneum, & fibroſum, albicans, teres, & cauum, quo vitalis ſpirtus, ac tenuiſſimus, calidisſimuſque ſanguis contentus per vniuerſum corpus diſtribuitur. Duplici arteria ueſtitur tunica, quarum exterior venarum tunicæ ſimilis eſt; interior verò hanc quintupla parte ſuperat. Itaque arteriuram tunicæ tunicis uenarum ſexcuplo ſunt craſsiores. Ita Galenus in ſexto de uſu partium, & ſeptimo de anatomica adminiſtratione ex Hierophilo confirmat. Verum hic animaduertendum eſt, in vena arterioſa, & arteria venoſa, quæ ambæ à corde ad pulmonem proficiſcuntur, rem aliter ſe habere. Nam arteria ſimplici, vena duplici tunica induitur. Rei diuerſitatem in capite de Corde explicabimus, vbi etiam oſtendemus, quam ob cauſam arteriæ duplices, venæ ſimplices tunicas obtineant. Interiores arteriarum tunicæ tranſuerſis fibris præditæ ſunt. Arteriæ omnes à corde oriuntur.

De vſu c.10. lib. De anat. admi. c. 5. lib. 7.

De

De Carne. Cap X I.

CARO, vt Gal. 10. Methodi adnotauit, tribus modis dicitur: quorum vnus eſt proprius, duo improprij. Proprie Caro appellatur pars noſtri corporis ſimplex, mollis, moderate calida, rubicunda, ſenſus omnis expers, fibras muſculorum complectens, ex ſanguine mediocriter exiccato proueniens, in muſculis oppoſita, vt incorruptas, infractaſque eorum fibras ſeruaret. Hæc, quoniam ad eam reparandam materia ſemper ſuppeditari poteſt, deperdita reſtituitur, vt in ſinuoſis vlceribus videre licet. Alterum Carnis genus nomine caret, huic finitimum, ſed tamen diuerſum, quod fibras omnes cordis, ventriculi œſophagi, inteſtinorum, veſicæ, atque utriuſque vteri ambit. Tertium genus eſt propria cuiuſque viſceris ſubſtantia, qualis eſt caro cerebri, pulmonum, hepatis, lienis, ac renum. Primum carnis genus, quod in muſculis reperitur, ob eum, quem diximus, uſum factum eſt: reliqua duo, quæ per ſe exiſtunt, producta fuere, vt vacuitates, & inteſtina in contactu partium occurrentia replerent.

De Glandulis. Cap. XII.

GLANDVLA eſt corpus carneum, rotundum, oblongum, rarum, ſpongiæ modo molle, ac poris refertum. Earum multiplex eſt vſus: quædam enim venis, atque arterijs lectuli inſtar ſubſternuntur, vt illas detineant, ne lædantur; quædam vacuas ſedes replent; aliæ humiditates deſcendentes continent, ne ob motum loca exiccentur, nonnullæ excrementa ſuſcipiunt. Huiuſmodi glandulæ in varijs noſtri corporis locis inueniuntur. Quæ omnia in diſſimilarium partiũ numeratione clariora euadent.

De quatuor humoribus. Cap. XIII.

IN Corpore ſunt quatuor humores, qui quatuor elementorum vices gerunt. Hi ſunt ſanguis, pituita, flaua bilis, atra bilis, Sanguis, aeris more, calidus eſt, & humidus: pituita aquæ modo, frigida, & humida; flaua bilis, ignis inſtar, calidus, & ſiccus; atra bilis, ueluti terra, frigida, & ſicca. Sanguis itaque, cuius origo eſt in capite, humor eſt moderate calidus, & humidus, & rubicundus, quo ſolo omnia membra nutriuntur, præter lientem, qui melancholico excremento alitur. Cum autem ſanguis per corpus diſtribuitur, ſemper cum lotio defertur. Nam lotium ſanguinis vehiculum eſt, & prohibet, ne alicubi ſiſtat, cum eius beneficio ſanguis à magnis venis ad mediocres, & paruas ſine vllo labore properet. Hic humor in corpore frigidus, & humidus pituita nuncupatur, qui cum ſanguinem, vt tranſmittatur, adiuuit, quia venis oneri eſſet, ad renes deportatur, vbi à ſanguine ſeparatus per vreteres in veſicam deuehitur. Flaua bilis tenue ſanguinis excrementum, eſt omnis humor in nobis calidus, & ſiccus, quorum alter naturalis eſt, & proprie Flaua bilis vocatur, alter à naturæ mediocritate recedit. Vterque eſt acris, & mordens. Flauam bilim à ſanguine ſeiunctam ſuſcipit, & continet veſicula quædam in iecoris concauo collocata. Atra bilis communi ſignificatione dicitur omnis humor, craſſus, & niger, ſiue ſit ſanguinis limus, ſiue ſanguis uſtus. Verum proprie appellatur humor craſſus, ac terreus, præter naturam exuſtione mordax, acidus, acerbus, ſplendidus, exedens, malignus, qui effuſus in terram ebullit, eamque fermenti, & aceti modo attollit, & vlcera inſanabilia excitat, tamque inſuauis eſt, vt ea ne muſca quidem diguſtet. Atra bilis, cum à ſanguine ſeparatur, in lienem tranſmittitur, qui in ſiniſtro hypocondrio inter ſeptum tranſuerſum, & renem ſiniſtrum conſtituitur. Verum de Liene ſuo loco exactius agemus.

De Pinguedine, Medulla, Lacte, & Semine. Cap. XIV.

EX ſanguine procreantur pinguedo medulla, lac, & ſemen. Pinguedo itaque eſt pars corporis, quoad ſenſum ſimpliciſſima, humida, & exanguis, licet ex craſſo ſanguine exudet. Hæc inter cutim, & internam eius membranam carneã toto in corpore inuenitur, præterquam in ſcroto, & pene. In cęteris vero membris eam reperire poteris. Eius vſus eſt multiplex. Nam, & natiuum calorem continet, & propugnaculi vice fungitur, & in inedijs pro cibo eſſe ſolet. Pinguedinem calidam eſſe, illa oſtendunt, & quod in flammam facile tranſmutatur, & quod vice olei fungitur. Medulla pinguedini proxima eſt, Nam eſt ſubſtantia humida, pinguis, alba, ſenſus expers, in cauis oſſibus ad ea nutrienda contenta. Lac eſt benignum corporis excrementum, è ſanguine rubro in candidum mutato, ad fœtus nutrimentum in mammis redundans. Semen quoque nil aliud eſt, quam ſanguis à natura ad generationem procreatus, qui initio ruber eſt, ſed cum ad teſtes peruenit, ibi elaboratur, ac teſtium colorem album induitur. Sed Seminis ſubſtantiam ſequenti libro fuſe exponemus.

De Muſculis. Cap. XV.

POST ſimplicium partium enumerationem compoſitæ exponendæ ſunt. Initium autem à capite ſuſcipiemus, ſi tamen muſculorum, qui & ipſi compoſiti ſunt, naturam, & vſum prius commonſtrauerimus. Id autem iccirco faciendum eſſe cenſemus, quod nulla humani corporis pars, quæ voluntario motu cietur, muſculorum eſt expers. Eſt igitur Muſculus motus voluntarij inſtrumentum, ſine quo nulla animalis pars

volun-

voluntarie moueri poteſt. Hęc autem vis ei demandatur ope neruorum, qui ſenſus, motuſque omnis inſtrumenta exiſtunt. Quoniam vero partes omnes motu voluntario prǽditæ & flecti, & extendi debent, icirco duobus minimum indigent muſculis, quorum alter flectat, alter extendat. Conſtruitur autem muſculus ex fibroſa carne, neruis, venis, ligamentis, arterijs, & membrana. Caro molem tribuit; neruum vim motiuam elargitur; ligamentum facit, vt in mouendo ſit ualidus; vena ſanguinem, quo nutriatur, defert; arteria vitalem calorem miniſtrat; membrana hæc omnia inuoluit, & muſculum à muſculo diſterminat. Hunc alij murem, alij lacertum, alij piſciculum vocant. Nam ipſe & muri, & lacerto, & piſci, vt plurimum, eſt adſimilis. Muſculi in tendines deſinunt. Eſt autem tendo in muſculo pars alba, dura, denſa, inſigni ſenſu prędita. Nerueus eſt tendo, ſed non eſt neruus. Nam durior eſt tendo, rotundior, ac magis pellucet. Tendines ex neruis & ligamentis in muſculis diſperſis progenerantur, ſentiunt, mouentur, & muſculos oſſibus colligant. ſenſum, & motum, a neruis; vt colligent, à ligamentis habent. Tendinum alij perforati ſunt, alij foraminibus carent; & ex illis alij vnico foramine, alij pluribus donantur. ſed non omnes muſculi in tendines deſinunt: nam quidam tendonibus priuantur, quibuſdam in exortu, quibuſdam in medio tendines adſunt. Præterea quibuſdam muſculis vnus, quibuſdam plures tendines dantur. Muſculorum, tendinumque figuræ diuerſæ ſunt. Nam muſculorum alqui lati ſunt, alij trilateri, alij quadrilateri, alij orbiculares, alij craſſi, alij tenues, alij breues, alij prolixi, alijs vnum fibrarum genus, alijs duo, tria alijs conſtituuntur. Tendinum quoque nonnulli lati ſunt, & teretes, nonnulli teretes quidem, ſed breues, alij oblongi, alij lati, alij decurtati. Muſculi ab oſſibus oriuntur, & in oſſa terminantur, ſed non omnes: nam alij à cartilaginibus naſcuntur, alij à membranis oriuntur, & in membranas deſinunt. Alij poſt ortum deſcendunt, alij aſcendũt.

De Capite. *Cap. XVI.*

Ariſtot. de par. ani. lib. 4. cap. 10. Gal. 8. de vſu. par. c. 4. & 5.

CAPVT eſt totum id, quod ſupra collum eminet. eius forma rotunda eſt, & oblonga. Tale factum eſt caput, vt recte Ariſtoteles ſenſit, cerebri gratia, non propter oculos, vt perſuadere conatur Galenus: quanquam oculi in ſumma capitis ſede, tanquam in ſpecula, conſtitui debuere. Diuiditur caput in caluariam, maxillas, & labia. Caluaria, ſeu cranium eſt ſuprema capitis pars à maxillis diſtincta. Huius plures ſunt partes, frons, occiput, ſinciput, tempora, aures, naſus, cilia, palpebræ, oculi, capilli. ſunt & cerebrum, & cerebellum. Verum de his in tractatu de Viſceribus agemus. Frons eſt anterior capitis pars ſupra cilia collocata. Occiput eſt poſterior caluariæ pars, in qua cerebellum ſitum eſt. Sinciput eſt pars inter frontem, & occiput, in qua cerebrum reſidet. Tempora ſunt partes ſupra aures poſitæ. Aures ſubſtratæ organum ſunt auditus. Binę ſunt. ex cartilaginea ſubſtantia conſtant, non membranea, vel oſſea, ne aut facile frangerentur, ſi tenues fuiſſent, aut graues nimium eſſent, ſi ex craſſa, & ſolida materia conſtarent. ſed cartilagineæ exiſtentes neque franguntur, neque grauant, & commode ſuſtinentur. Naſus eſt odoratus inſtrumentum, cuius duo foramina nares appellantur. eius inferior pars cartilaginea eſt, cum tamen ſuperior ſit oſſea. Id autem factum eſt, vt claudi, dilatarique facile poſſet, & ne ab extrinſecis læderetur. Naſi duæ alæ mobiles effectæ ſunt, tum propter inſpirationes maiores, ac ſubitas, tum propter efflationes. Palpebrarum ſubſtantia cartilaginea eſt. Hæ oculorum ſunt propugnaculum, & eoſdem claudunt. Palpebra ſuperior inferiore maior eſt. Illa mouetur, hæc non mouetur, ne corrugetur, atque vt oculorum excrementa facilius diffluant. Adiecta ſunt Cilia, vt oculorum vallum: ſuis enim pilis exigua corpora arcent, ne in oculos apertos incidant. Oculi viſionis ſunt inſtrumentum. Eorum figura rotunda eſt. Videndi facultas à cerebro ad oculos per neruos opticos, ſeu viſiuos defertur, qui caui facti ſunt, vt ſpiritum à cerebro facilius recipiant. Tres oculum inueſtiunt membranæ, & ſi recentiores ſex adnumerant. Prima cornea dicta, quod cornu inſtar pelluceat, duriuſcula eſt, & à craſſiore cerebri mem-

membrana, dura matre vocata, exoritur. ſecunda vuea nuncupata, quoniam in modnm acini vuæ extra læuis eſt, intra aſpera, à pia matre ſubtiliori cerebri membrana deducitur, & cornea tenuior exiſtit. Hæc quoniã multi color eſt, & arcus cæleſtis colores refert, Iris etiam vocatur cornea Tertia ab eadem pia matre emanans Aranealis nominatur, quod in morem aranealis telę ſubtiliſſima extet. Tres in oculo ſunt humores, aqueus, qui extimus eſt, cryſtallinus, qui in medio locatur, & vitreus, qui in intima ſede conſiſtit. In oculi centro eſt quoddam ueluti punctum pernigrum, cuius beneficiò, quod ſpiritu plenum ſit, videmus: cuiuſque inopia ſenes imbecillum uiſum obtinent. Quinque cuique oculo ad motum muſculi deſeruiunt, de quibus paulo poſt dicemus. Duæ quoque in quolibet oculo adſunt glandulæ, altera ſupra, altera infra ad oculum irrorandum creatæ. Cum hæ comprimuntur, aut atteruntur, aut nimiò ſunt humore plenæ, lacrymas emittimus. Sunt etiam venæ, & arteriæ in oculis, quibus aluntur, & ſpiritu pollent. Magna quoque pinguedinis portio inter oculos, & muſculos ipſis famulantibus, neruumque opticum reperitur. Id factum eſt, ne oculi, qui perenni agitantur motu, exiccarentur. Capilli ſunt capitis pili ſuperne eius cutim contegentes. Maxillas eas appellamus partes, in quibus dentes figuntur. Duæ ſunt, ſuperior, & inferior. Illa in homine, & cæteris animalibus immobilis extat, crocodilo excepto, qui ſuperiorem mouet, inferiore immobili permanente: cuius rei cauſam ſupra attulimus. Hæc verò mouetur. Intra maxillas lingua, & palatum collocantur: de quibus in ſermone de Viſceribus loquemur. Labia duo vltimum ſunt effingendæ vocis inſtrumentum. Caluariæ oſſa in meditullio fungoſa ſunt, & pumici ſimilia, ſed vtranque ſuperficiem tum interiorem, tum exteriorem, denſam, ac leuem habent. Hac Galenus, & Ariſtoteles ſex eſſe cenſent. *Gal. in li.* Veſalius cum recentioribus octo adnumerat, *de oſsib.* occipitis unum, ſincipitis duo, frontis vnum, & temporum duo, & *Ari. de* præter hæc os cuneale, & os ethmoides nuncupatum. Cuneale *hiſt. ani.* eſt, quod inter oſſa capitis, & ſuperioris maxillæ, veluti cuneus *li. 3. c. 7.* quidam, immittitur: ethmoides in media frontis baſi ponitur, atque ita vocatur, quod varijs diſtinctum foraminibus cribri ſpeciem imitetur ἠθμὸς enim cribrum ſignificat. Hæc oſſa ſuturis diſtinguuntur: quarum tres ſunt legitimæ, videlicet, Labdoides, Coronalis, & Sagittalis. Labdoides in occipitij baſe eſt, atque ita nominatur, quoniam Græcæ litteræ effigiem refert. Dirimit oſſa ſincipitis, ac temporum ab oſſe occipitis. Coronalis e regione labdoides oſſa ſin-

cipitis ab oſſe frontis diſtinguit; Coronalis dicta, quod coronam ſua figura aſſimilet. ſagittalis duo ſincipitis oſſa per medium recta diuidit. Vnde & recta nuncupatur. Cæteræ aliæ ſuturæ, quæ quinque ſunt, mixtam ex ſutura, & harmonia ſtructuram ſapere videntur. Præter hæc octo oſſa, recentiores quædam in organo auditorio oſſicula inuenerunt. Veſalius duo enumerat, alterum malleoli, alterum incudis vicem gerens. Columbus tertium addit ſtapedi ſimile. ſub caluaria ſitū eſt os iugale, quod tū caluariæ tum maxillæ ſuperioris portio exiſtit. Nam conſtat ex duobus proceſſibus, quorū ſuperior ad caluariam, inferior ad maxillā ſuperiorem pertinet. Ambo coniuncti iugo ſimile os efficiunt. Id os omni medulla carere Ga-

Cap. 18. lenus xi. de vſu partium, & eum ſecutus Veſalius putauere. Columbus contrarium obſeruauit. Ab hoc oſſe manſorius muſculus oritur. Protinus hæc oſſa ſubſequitur os maxillæ ſuperioris, duodecim, vel tredecim oſſibus harmonice coniunctis diſtinctum; ita ſeparatum, ne, ſi maxilla ex vno oſſe conſtitueretur, parte vna laborante, omnes laborarent; vel, ſicut alijs placet, vt inde ligamenta muſculorum conſtructionem ingredientia prodire poſſent. Hoc

11. *de vſu par. c.* 18. os medullę expers eſſe Galenus opinatur. Quod Columbus non probat. Maxilla inferior, vt ad mandendum, mordendumque ſit aptior, vno oſſe conſtat; licet Galenus duo recenſeat. In quaque ma-

11. *de uſu par. c.* 20 xilla dentes ſunt ſexdecim. omnes itaque dentes triginta duo ſunt, & ſi in quibuſdam hic numerus variat. Pro dentium numero natura totidem alueolos, quibus infigerentur, fabricata fuit. Quatuor in maxillæ medio poſiti vocantur inciſorij, quos hinc inde duo canini appellati ſubſequuntur. In extremitatibus vtrinque adſunt quinque molares nuncupati. Inciſorij itaque in quaque maxilla ſunt quatuor, canini duo, molares decem inciſorij; & canini vna radice donantur; at molares pluribus; & ſuperiores vna radice inferiores, excedunt. Inferiores, vt plurimum, duabus, ſuperiores tribus radicibus conſtant. ſed quandoq. inferiores radices tres, ſuperiores quatuor obtinent. Inferioribus radices breuiores ſunt, ſuperioribus longiores. Poſtremi maxillares breuiſſimas habent radices. ſunt autem radices omnes perforatæ, neruumque, arteriam, & venam admittunt. Dentes inſigni præditi ſunt ſenſu, quamuis cætera oſſa omni ſenſu careant. Diſcriminis ea cauſa eſt, quod à cerebro neruuli quidam ad dentes deriuantur, qui eorum ſubſtantiam ad eam vſque partem, in qua gingiuarum terminus eſt, ingredientes, atque in ea ſiſtentes, ita aſſiciunt, vt ingentem dolorem inuehant. In cæteris verò oſſibus res aliter ſe habet. Nam,

licet

licet quibuſdam in locis nerui aliqui per eorum ſubſtantiam tranſeant, vt aliorſum tendant, nulli tamen in eis gradum ſiſtunt. Interna autem dentium pars dolet, non externa, quoniam hic neruuli illi non adſunt. Quare hæc pars ſine ullo ſenſu diſſecatur. Galenus obſeruauit (nam magno dentium dolore vexabatur) dentes non modo dolere, ſed etiam pulſare. Nam non ſolum nerui, ſed etiam arteriæ, & venæ ad ipſos pertingunt. Dentes maxillis per Gomphoſim vniuntur. In capite ſunt non nulla foramina; per quæ nerui, arteriæ, venæ, & pituita deferuntur. Poſtremum capitis os eſt illud, quod linguæ præſertim deſeruit, Hyoides vocatum, quoniam υ Græcæ litteræ effigiem retinet. Huius oſſis plures ſunt utilitates: ſiquidem (præterquam quæ linguæ adnectitur) multi ab ipſo muſculi prodeunt, ab eodemque aſpera arteria aſtringitur, & dirigitur. Multæ in capite adſunt cartilagines. Nam in ſingulis oculorum palpebris duæ ſunt cartilagines, altera ſupra, altera infra, quarum ſuperiores ſunt inferioribus maiores. Aurium ſubſtantia, vt diximus, cartilaginea eſt. Tres in naſo reperies cartilagines, quarum duæ latera conſtituunt, tertia interiacet, vt duo foramina efficiantur. In inferiori maxilla inter eiuſdem proceſſus, ac temporũ oſſa duę ſunt cartilagines, quarum beneficio hæc maxilla promptius mouetur. Præterea multa in capite ſunt ligamẽta, ſed ea præcipua ſunt, quibus caput vertebris adnectitur, quæq. capitis motui famulantur: nec non illa, quæ capitis os cũ ſuperiori maxilla coniungũt, ac demũ ea, quę ob linguę conſtructionẽ inter oſſa hyoidis tranſeũt. Cum autẽ caput duplici motu, proprio ſcilicet & alieno, hoc eſt colli moueatur, natura illi tribuit muſculos, quibus agitaretur. Proprij capitis motus ſunt tres, ante, retro, & in latus. Illi duo ſub prima ceruicis vertebra fiunt, tertius ſuper ſecũda. His motibus muſculi deſeruientes quatuordecim, ſeptem vtrinque adnumerantur, qui omnes à vertebris exoriuntur. Duo caput ad poſteriorem partem trahunt, ſex ad eandem partem rectè adducunt, duo verſus anteriora ducunt, duo poſtremi caput anterius inclinant. De altero capitis motu ſequẽti capite agemus. In capitis poſteriore parte duo ſunt muſculi, qui ſupercilia trahunt: totidem ſunt in fronte, qui eadem attollunt. Naſus duos habet muſculos ipſum dilatantes: nam qui naſum conſtringunt, ſunt ſuperioris labij muſculi. labia deorſum à duobus muſculis latis in collo ſitis mouentur. ſunt & quatuor alij varijs labiorum motibus ſeruientes. Muſculi palpebras mouentes ſex ſunt, tres vtrinque, quorum alij palpebras claudunt, alij trahunt, alij oculos aperiunt. Muſculi ocu-

li oculos mouẽtes decem ſunt, quinque vtrinque, quorum duo ſurſum, duo deorſum, duo dextrorſum, duo ſiniſtrorſum, omnes verò ſimul oculos circunducunt, duo reliqui eoſdem ſiſtunt. In auribus perraro muſculum aliquem inuenies. In maxilla inferiori octo, hoc eſt, quatuor vtrinque ſunt muſculi: quorum duo temporales dicti, ac duo in ore latitantes maxillam claudunt; duo manſorij vocati, propter diuerſas, quas obtinent, fibras, ante, retro, in latera, & in orbem agunt; duo poſtremi aperiunt. os Hyoidis ab octo quatuor vtrinque muſculis mouetur: quorum duo directè, duo oppoſito modo, duo ſurſum, duo deorſum trahunt. In max lla inferiori, & penes aures multæ ſunt glandulæ tum venarum, arteriarumque diſtinctioni, tum quibuſdam cerebri ſuperfluitatibus ſuſcipiendis deſtinatæ, quæ iccirco emunctoria appellantur.

De Collo. Cap. XVII.

COLLVM eſt quicquid inter caput, & thoracem collocatur. Factum eſt, vt in eo aſperæ arteriȩ caput, quod vocis princeps eſt inſtrumentum, gereretur, vtque caput fulciret, eiuſque motibus inſeruiret. eius ſeptem ſunt vertebræ Dicuntur autem vertebræ vniuerſi dorſi oſſa, quorum beneficio recte ſtare, ambulare, & flecti poſſumus. Dorſum verò eſt totum id, quod poſteriori in parte à baſi capitis ad extremum vſque coccidem poſitum eſt. In dorſo, qua vertebrarum ſeries producitur, vertebræ inter ſe craſſis cartilaginibus connectuntur, prima excepta, quȩ nulla cartilagine donatur. Præſtant hæ cartilagines, vt corpus antrorſum, retrorſum, & in latus vertatur. Hic adnotatu dignum eſt, inter primum, & ſecundum coccidis os quandam reperiri cartilaginem in mulieribus ſatis amplam; quæ, dum pariunt, dilatatur. Dorſi præterea vertebræ non ſolum cartilaginibus, ſed etiam ligamentis inter ſe committuntur. Collo octo, quatuor vtrinque deſeruiunt muſculi, quorum duo ceruicem ad anteriora, duo ad poſteriora flectunt: quatuor in latus adducunt. Collo moto neceſſe eſt caput moueri. Iccirco is, qui eſt primarius colli motus, capitis eſt ſecundarius. Totidem dorſo famulantur muſculi: quorum duo, cum ſimul operantur, dorſum in anteriora adducunt; cum ſeorſum agunt, ad latus trahunt; duo vniuerſum dorſum,

ſum, & caput ad poſteriorem partem flectunt, duo lumbos inclinant, duo thoracem erigunt.

De Thorace. Cap. XVIII.

THORAX appellatur, quicquid collum, & ſeptum tranſuerſum, brachijs demptis, interiacet. In hoc vitalia viſcera continentur. Eſt Thorax precipuum reſpirationis inſtrumentum. Quapropter, cum aere inſpirato, & expirato pulmones aſſidue moueantur, thorax modo attollitur, modo comprimitur, prout reſpirationis beneficium poſtulat. Thoracis partes ſunt pectus, & ſcapulæ. Pectus eſt anterior pars, in qua mammillæ cordis propugnaculum, & lactis receptaculum collocantur Quarum natura craſſis indumentis non abſimilis iccirco glandulosa facta eſt, vt alba exiſtens rubrum ſanguinem in candidum lac facile verteret. Collocatæ verò ſunt mãmillæ in anteriori thoracis parte tum ob venuſtatem, tum vt commodius lac infanti præberetur. ſitus earum eſt inter cutim, & carneam membranam. ſcapulas dicimus ſuperiores partes, quæ ad extraneos ictus propulſandos propugnaculi vicem gerunt. Cuique thoracis vertebræ binæ coſtæ valido nexu conglutinantur, ita vt coſtæ omnes viginti quatuor exiſtant. Quarum quatuordecim in ſeptem ſuperioribus vertebris ſitæ legitimæ ſunt, reliquæ decem nothę. Vocantur autem illæ legitimæ, quoniam verè pectoris oſſi per Athrodiam media cartilagine adnectuntur. Hę autem dicuntur nothæ, quia cum pectoris oſſe non coniunguntur, ſed ſuis cartilaginibus cum ſuperiorum coſtarum cartilaginibus colligantur, pręter duodecimam, quæ cum ſepto tranſuerſo connectitur. Hic eſt coſtarum verus numerus tam in viris, quam in mulieribus. Quod ſi quandoque ſint plures, vel pauciores, id materiæ exceſſui, defectuiue eſt aſcribendum. Neque aliquis cenſeat, coſtam vnam viro deeſſe, propterea quod in Geneſi ſcriptum eſt, à Deo coſtam vnam *Gen. 2.* viro ablatam, & ex ea mulierem factam eſſe. Nam ſi coſta aliqua ab animali eximatur, caro coſtæ proxima, vt excellentes medici experti ſunt, denuo in coſtam concreſcit. Quare eodem loco ſcriptum eſt, Deum pro coſta repoſuiſſe carnem, quam probabile eſt ſentire, rurſus in coſtam coaluiſſe. Vnde inſpicimus tot in viro,

quot in fœmina coſtas eſſe. Coſtæ partim oſſea, partim cartilaginea natura conſtant. Nam legitimæ, quæ pectus attingunt, cartilagineæ ſunt, cæteræ oſſeæ. ſpuriæ verò, & ſi quæ vertebris adnectuntur, oſſeæ ſunt; quę tamen reliquis cartilaginibus adiunguntur, multam producunt cartilaginem, legitimarum cartilaginibus multo molliorem. longę effectæ ſunt coſtarum cartilagines, ne perenni, quo aguntur, motu lęderentur. Pectoris os, quod ſua figura gladium refert, quatuor conſtat oſſibus, mollibus, & fungoſis, quæ per ſymphyſim cartilaginis ope connectuntur, coſtarumque depreſſionem, & elationem ſequuntur. In ima huius oſſis parte cartilago quædam eſt, quę à figura Mucronata appellatur. Hæc ſepti trauerſi, vel, vt alijs placet ventriculi propugnaculum exiſtit, & cordi præſidet. Quare vulnus huic inflictum letale eſt. ſcapulæ, quæ geminæ ſunt, (nam altera ad dexteram, altera ad læuam ſita eſt) ſcutatam formam habent. Interna parte concauæ ſunt, externa prominent. cum iugulis, & humero, de quibus paulo poſt dicemus, articulantur: cæteris verò oſſibus non, niſi muſculorum ope, copulantur. A ſupremo pectoris oſſe ſingula vtrinque oſſa progrediuntur, flexuoſa, & rotunda, quæ ad ſcapulæ ſummum caput aſcendunt. ea clauiculæ vocantur, quoniam humerum cum ſcapula ita claudunt, vt neque ad thoracem, neque ad pectus brachia delabi queant. ſolent etiam iugula appellari, quod iugo ſimilia ſint. literę noſtrę I ita formatæ effigiē imitantur. Sub iugulis duæ ſunt glandulæ, factæ, vt partes illas humectent. In ſuprema pectoris parte vtrinque eſt cartilago. Hæ in vociferationibus, & cibis deglutiendis plurimum reſpirationi conferunt, nec non brachij motum expeditiorem reddunt. Inter primum, & ſecundum pectoris os alia adeſt cartilago mollis, quæ ligamenti munere fungitur. Coſtis omnibus interiori in parte adnaſcuntur cartilagines, quæ earum dilatationem, & compreſſionem maximopere adiuuant. In ſcapulæ capite, vbi ſinus quidam eſt, cartilago eius augendi cauſa apponitur. Thoraci octoginta nouem ſeruiunt muſculi; qui præſtant, vt thorax dilatetur, & conſtringatur. Præter hos octo ſunt muſculi, quatuor vtrinque, ſcapulas mouentes: quorum duo pro fibrarum varietate, ac ſitu nunc oblique, nunc deorſum trahunt, nunc ad dorſum ſcapulas adducunt; duo ante, duo retro trahunt, duo attollunt.

De

De Brachio. Cap. XIX.

BRACHIVM eſt, quod à ſummo humero ad extremam vſque manum porrigitur. Cuius duæ ſunt partes, humerus, & cubitus. Humerus eſt, quod parte ſuperiore cum ſcapula, inferiore cum cubito coniungitur. Cubitus eſt, quod humero, & brachiali adnectitur. Humeri os vni cum eſt, cubiti duo, quorum inferius vlna, ſuperius radius nominatur. Vtraque tum humero, tum brachiali iunguntur. Vlnę cum humero articulatio, pręſtat, vt brachium extendatur, & flectatur. Radij vero cum humero coniunctio efficit, vt manum obliquè ad latera deducamus. Humero maſculi inſeruiunt ſeptem, quorum primus humerum ad pectus ſupra, infra, & ad medium adducit; ſecundus brachium attollit; tertius deorſum verſus poſteriora trahit; quartus vario modo deorſum, & aliquantulum oblique ducit; reliqui tres circumaguntur. Neque cubitus ſuis deſtituitur muſculis: quatuor enim obtinet, quorum duo flectunt, duo extēdunt. ſub axilla plures ſunt glandulæ, quæ, quod cordis nonnullis ſuperfluitatibus ſuſcipiendis ſubſeruiunt, cordis emunctorium vocantur. In flexura cubiti natura glādulas quaſdam ob vaſorum diuiſionem fabricata fuit.

De Manu. Cap. XX.

MANVS eſt quicquid à cubiti termino ad extremos vſque digitos extenditur. Hæc iure inſtrumentorum inſtrumentum appellatur. Nam quod cæteris animantibus defenſoria arma illis a natura indita præſtant, id omnes homines manuum beneficio aſſequuntur: ſunt enim hæ pro cornibus, vngulis, dentibus, & vnguibus. ſi quidem homines manibus enſem, haſtam, lapidem, cæteraque inſtrumenta bellica pertractant, eiſque validius cornu, vngula, dente, & vngue percutiunt. Inſuper cætera animalia cominus tantum feriunt: at homines manu, & cominus, & eminus vulnerant. Pręterea manus defenſoria

Tt arma,

arma; ſi deſunt, fabricantur, & domus, vt operimento, & propugnaculo ſint, extruunt, atque, vt in ſumma dicam, manuum auxilio omnia ad hominum vſum neceſſaria præparantur. Manus in tres diuiditur partes, Brachiale, Poſt brachiale, & Digitos. Brachiale eſt pars cubito inhærens. Poſt brachiale, quæ inter brachiale, & digitos iacet, quæ & palma dicitur. Digiti ſunt manus pars extrema: quos plures natura formauit, vt manus facile omnia comprehendere poſſet. Nanque minima duobus, mediocria tribus, aut quatuor, magna quinque comprehendit. Quod ſi grauis moles extet, altera adhibetur manus, vt, quod vna nequit, duæ perficiant. Digitorum autem intrinſecus ea eſt conſtitutio, vt neque dura ſit, neque ſatis mollis. Nam ſi dura eſſet, nunquam digiti parua comprehenderent; ſi nimium eſſet mollis, facile, quæ comprehendūtur, effluerēt. Sunt itaque digiti moderate molles, vt omnia ſine labore comprehendant, & retineant. Atque, vt hæc omnia fortius operentur, vngues extrinſecus pro firmamento appoſiti fuere: quos digitorum ſummitatibus æquales eſſe conuenit. Nam immodice longi parua apprehendere nequeunt: qui ad ſnmmos digitos non perueniunt, inualidi ſunt ad comprehendendum. Brachiale octo oſſibus conſtat, quæ parua ſunt, & variam figuram præſeferunt. Totus motus brachialis ad agendum extremam manum tum ad latera, tum ad pronum, atque ſupinum conſumitur. Poſt brachialis quatuor ſunt oſſa. Digitorum quindecim enumerantur, ſingulisque digitis terna internodia tribuuntur. Iuxta brachiale cartilago eſt, quæ ſinum illum vacuum implet. Brachialis vnum eſt validum ligamentum, eius oſſicula ita colligans, vt proprios motus edere poſſint; & præter hæc ſex alia, quæ tendinibus digitis, & extremæ manui deſeruientibus continendis deſtinantur. Manum mouent muſculi decem, & ſeptem, quorum octo ſunt interni, nouem externi. Ex internis primus digitis flectendis auxiliatur; ſecundus, & tertius brachiale flectunt, cum ambo agunt: cum verò ſinguli operantur, obliqui nunc ſurſum, nunc deorſum mouent; quartus, & quintus ſuis tendinibus quatuor digitos flectunt, ſed quintus inſuper eoſdem aſtringit; ſextus pollicem flectit; ſeptimus, & octauus radium in pronum vertunt. ex exterioribus primus quatuor digitos ſuis tendinibus extendit; ſecundus minimum digitum à reliquis abducit; tertius indicem oblique extendit; quartus pollicem à cæteris ſeiungit; quintus pollicem extendit; ſextus, & ſeptimus extremam manum extendunt; octauus, & nonus manum ſupinam reddunt, & radium exterius mouent. Præter os muſculos

in

in extrema manu ſunt alij numero vnus, & viginti, qui diuerſis manus motibus famulantur.

De Abdomine. Cap. XXI.

ABDOMEN eſt ea pars, quæ ſub ſepto tranſuerſo collocatur, & ad extremam vſque cauitatem ſub inteſtinis protenditur. In abdomine nutritionis, & generationis membra continentur. eius pars anterior venter dicitur, poſteriores partes ſunt, lumbi, os ſacrum, & coccyx. Ilia quoque inter abdominis partes recenſeri queunt, quæ a lateribus ad anteriorem partem exporriguntur. Ventris pars media eſt vmbiculus, vnde infans, dum in matris vtero vitam ducit, alimentum trahit. Lumbi ſub thoracis vertebris, os ſacrum ſub lumbis, coccyx ſub oſſe ſacro locantur. Ilia tranſuerſis ſacri oſſis proceſſibus committuntur. Lumborum quinque ſunt vertebræ, ſacri oſſis ſex, coccydis quatuor. Hic de vertebris illud adnotandum videtur, colli, thoràcis, & lumborum vertebras propriè vertebras eſſe, cum ijs vertamur. oſſis verò ſacri, & coccydis vertebræ non proprie vertebræ ſunt, cum nullum vertendi vſum præſtent. ſed ita nominantur, quod vertebrarum ſimilitudinem retineant. Præterea non eodem articulationis genere hæ, & illæ copulantur: illæ enim per arthrodiam, hæ per ſymphyſim vniuntur. Oſsi ſacro adnectitur Ilium os, quod tranſuerſis oſsis ſacri partibus valide committitur. In tres autem partes utrinque diuiditur: quarum ſuprema omnium latiſsima, quæ ſacro oſſi adhæret, ilium os totius nomine vocatur; anterior, quæ leuitatis cauſa amplum in medio foramen habet, os pubis nominatur; quæ media inter hæc ſita eſt, os coxendicis nuncupatur. Hæc omnia, tanquam oſſium baſis, immobilia exiſtunt. eorum anterior pars vtero, veſicæ, reliquiſque inteſtinis adiungitur, & peluis figuram refert. In coxendicis capite cartilago eſt, quæ ſinum auget. Inter oſſa pubis inuenies cartilaginem, illa glutini modo copulantem. Sunt & ligamenta, quæ ſacrum os cum coxendice coniungunt. Abdominis octo ſunt muſculi, qui etiam thoracis motus adiuuant. Duo deſcendentes inteſtina premunt; & fœtuum, vrinæ, partuſque expulſioni famulantur; duo aſcendentes tum inteſtina

comprimunt, tum coſtas deorſum trahunt, vt thorax dilatetur, duo recte abdominis anteriora contrahunt, ac thoraci ſunt adiumento; duo poſtremi tranſuerſi abdomen, & hypocondria comprimunt. Inter abdomen, & femur in inguine complures ſunt glandulæ, quæ iecoris emunctorium vocantur. Inſuper in abdomine ob venarum, arteriarumque diuiſionem innumeræ penè glandulę inueniuntur.

De Femore. Cap. XXII.

FEMVR eſt quicquid ab ilijs ad tibiam protenditur. eius os vnicum eſt, & omnium, quæ in homine ſunt, ampliſſimum. Inrer femur, & ſupremam tibiam duæ ſunt cartilagines, altera interior, altera exterior, quæ ſinus augent. ſunt & ligamenta, quæ femoris, ac tibiæ oſſa connectunt. Femori, cum omni motus genere donetur, decem natura tribuit muſculos, quibus apte moueretur. ex ijs tres femur extendunt, ſurſum attrahunt, ductionem adiuuant; quartus femur ad ſe trahit, & eius circumductionem adiuuat; quintus, & ſextus flectunt; ſeptimus femur ad femur adducit, & femur femori ſuperimponit; octauus femur erigit; duo poſtremi veluti propugnacula ſunt, & præſtant, vt recte incedamus.

De Tibia. Cap. XXIII.

TIBIA eſt, quod inter femur, & pedem collocatur. Duobus conſtat oſſibus, quorum anterius maius, & craſſius totius nomine tibia, ſeu crus vocatur; poſterius minus, & gracilius ſura, ſeu fibula appellatur. In inferiori tibiæ parte duo adſunt malleoli, quorum alter internus tibiæ, alter externus ſuræ proprius eſt. Hi facti ſunt pro tali validiori articulatione. Articulationis tibiæ, & femoris pars poſterior poples dicitur, pars anterior genu: in quo quædam ſunt glandulæ ob vaſorum diuiſionem factæ. Genu os quod-

quoddam cartilaginoſum ſuperpoſitum eſt, ſcuti effigiem referens, quod patella, ſeu genu rotula nominatur. Id effectum eſt, vt tibiæ articulum nimis patentem contegeret, & laxationem, quæ alioqui facillima fuiſſet, prohibere poſſet. Tibiam, ac fibulam cum pede ligamenta connectunt. Tibiæ decem ſunt muſculi; quorum quinque tibiam flectunt, quatuor extendunt; vnus qui ſub pollice latet, obliquè, & ſi obſcure, mouet. ſed Veſalius motum obliquum in tibia non admittit.

De Pede. Cap. XXIV.

PES in tres diuiditur partes, quarum prima tarſus, ſecunda pedium, ſeu pedis planta, tertia digiti appellantur. eſt autem pes vna cum crure ambulationis inſtrumentum. fit enim ambulatio altero crure in terram firmato, altero circunlato. ſed firmatio pedis, circumlatio cruris eſt actio. Tarſi oſſa ſunt ſeptem: quorum primum talus, ſecundum calx, tertium ſcaphoides, ſeu nauiforme, quartum cyboides, ſiue cubi forma appellatur: cætera tria nomine carent. Horum varia eſt figura. Præſtant, vt pes commode flecti, reflecti, & circumduci queat. Pedium quinque conſtat oſſibus, teretibus, & oblongis. Digiti ſunt quinque, quorum oſſa quatuordecim. ſingulis digitis tres inſunt articuli, præter pollicem, cui duo tantum obtigerunt. Inter digitorum internodia adſunt oſſicula quædam orbicularia, & depreſſa, ſeſamina vocata, effecta, vt tum vacuum repleant illud, quod inter digitos extat, tum propugnaculo ſint articulis, tum digitos in rebus apprehendendis adiuuent. Pedi duodecim deſeruiunt muſculi in tibia ſiti: quorum ſeptem ſunt poſteriores, quinque anteriores, & à quibuſdam pes extenditur, à quibuſdam flectitur, à quibusdam ad latera ducitur. Nam ex poſterioribus primus, ſecundus, & quartus pedem extendunt; tertius, & quintus in interiora vertunt; ſextus quatuor flectit digitos, quos etiam validis tendinibus affigit; ſeptimus pollicem flectit: ex anterioribus verò primus extremum pedem flectit; ſecundus quatuor digitos extendit; tertius pollicem extendit; quartus pedem ad exteriora uertit; quintus pedem ad exteriora trahit. Cum autem prædicti

omnes

omnes muſculi ſimul agunt, pedem humi figunt. Pręter hos ſunt decem, & octo muſculi in extremo pede poſiti, qui omnes digitis famulantur.

De Cerebro, Cerebello, & Spinali Medulla. Cap. XXV.

DEHINC de viſceribus, ac primum de Cerebro verba faciamus. Cerebrum eſt animalis facultatis ſedes, abeoque vniuerſum corpus ſentiendi, & mouendi vim obtinet: eſt enim ſenſus, motuſque omnis fons, & origo. eius ſubſtantia frigidiſſima eſt, alba, & mollis. figura orbicularis, & oblonga. Circa cerebrum duæ ſunt membranæ, altera craſſa, altera tenuis; quarum primam duram, ſecundam piam matrem appellant. Hæ cerebrum inuoluunt: ſed pia mater ipſam cerebri ſubſtantiam attingit; dura verò aliquantulum diſtat. Hæc caluariam egreſſa membranā creat, pericranion vocatam, quòd exteriorem cranij partem circundet. Vtraque harum membranarum ſentit: ſed pia mater inſigniori ſenſu pollet. In capitis vertice hæ membranæ duplicatæ dexteram partem à ſiniſtra ſeiungunt: ſed in poſteriore capitis parte quadruplicantur, cerebrumque à cerebello diſtinguunt. Quid ſit autem Cerebellum, non multo poſt audies. Multæ in cerebro adſunt ſpiræ, inteſtinorum inſtar, vt ipsum leuius ſit, & in ſyſtole, ac dyaſtole (nam hos motus in cerebro reperiri recentiores aliqui obſeruarunt) promptius moueatur. In cerebri ventriculis, qui quatuor ſunt, ſpiritus gignuntur animales, qui deinde per neruos in totum corpus diffunduntur. Duæ in cerebro ſunt glandulæ, vna inter cerebrum, & cerebellum, conarion nuncupata, quod coni imaginem gerat; altera in ſphænoide, quæ cerebri excrementa ſuſcipiens, ea ad naſum, palatumque tranſmittit. Cerebri ſubſtantiam, vt Columbus in publicis diſſectionibus palam oſtendebat, venę, atque arteriæ ingrediuntur, ne cerebrum alimento, vitalique ſpiritu deſtituatur. In poſteriori caluariæ parte ſub duris membranis extat cerebellum, quod ab eiſdem membra-
8. de vſu nis veſtitur. Cerebelli ſubſtantia non eſt cerebri ſubſtantiæ abſimi-
par.c. 13 lis, & ſi aliquanto durior exiſtit, vt Galeno videtur. In anteriori

cerebri parte circa eius baſim duo cernuntur proceſſus, mãmillares appellati; oblongi, ac tenues, è cerebri ſubſtantia conſtantes; ad quos cum odores per nares attracti aſcendunt, diſcernimus, quæ bene, quæue male oleant. A cerebro ortum ducunt ſeptem neruorum paria, quorum ſiniſtri ſiniſtrorſum, dextri dextrorſum feruntur. Primum par ad oculorum duo foramina deductum viſiuam vim ad oculos defert. Hi nerui craſſi, & molles ſunt, & optici, ſeu viſiui nuncupantur. Secundum ad oculorum, & palpebrarum muſculos deriuatur. Tertium caluariam penetrans varie per illam, ac totum ferè caput diſſeminatur. Quartum guſtus ſenſui deſeruit. Quintum auditui famulatur. Sextum omnibus thoracis, atque abdominis viſceribus ſenſum impartit. Ab hoc exoriuntur recurrẽtes nerui, per quos formandę vocis virtus effertur. Septimũ ad extremã vſque linguam peruenit, vt illam ſenſus, motuſque participem reddat. Nam lingua guſtandi vim à quarto neruorum coniugio; ſenſum verò, ac motum à ſeptimo recipit. Præter dicta ſunt quinque alia neruorum paria, quæ non à cerebro, ſed à ſpinali medulla, quæ à cerebro oritur, nihilq. aliud, quam elongatum cerebrum videtur, originem trahunt: quorum rami per vniuerſum penè corpus ſenſum, ac motum diffundunt.

De Lingua, Palato, ac Tunica inueſtiente. Cap. XXVI.

INTER ſuperiorem, inferioremque maxillam collocatur palatum, ac lingua: quorum vtrunque tum guſti; tum effingendæ voci deſeruit. Vtriusque ſubſtantia ſpongioſa eſt, & mollis: talis enim caro ad ſapores facile ſuſcipiendos, & diſcernendos aptisſima eſt. Linguæ figura longa eſt, & lata, & in acutum deſinit. Cum Hyoide lingua colligatur. Sub eius radice duæ ſunt glandulæ, partes illas humectantes. Linguam, & palatum quadam tunica inueſtit, quæ etiam œſophagum, ventriculum, inteſtina, & laringem ambit. linguæ ſeptem ſunt muſculi: quorum duo linguam extra os, & labia exerunt; duo ſurſum in latus trahunt, ſi ambo ſimul agant: ſed ſi vnus tantum operatur, linguam ad ſe trahit. duo deorſum trahunt, poſtremus eſui confert.

De

De aſpera Arteria. Cap. XXVII.

EIDEM oſsi hyoidi aſpera arteria adnectitur, quæ intra colli longitudinem anteriori in parte delata ad pulmonem vſque deſcendit, & per illius ſubſtantiam diſſeminatur. eius ſubſtantia cartilaginea eſt. Caput, quod laryngem vocamus, adeo durum eſt, vt nonnulli ipſum inter oſſa adnumerent. Quamuis enim larynx in adoleſcentibus cartilaginea eſſe videatur, tractu tamen temporis in oſſeam duritiem conuertitur. Tres ſunt laryngis cartilagines, quæ oſsium vicem gerunt. Nam ibi muſculi & ſine aliquo oſſe inſeruntur, & nonnulli innaſcuntur. In laryngis medio eſt linea quædam oblonga, quæ glottis vocatur. ſupra laryngem adeſt operculum, linguæ effigiem imitans, quod tum lingula, tum vulula, tum columella, tum gargareon, tum epiglottis nuncupatur: cui vſus triplex eſt, Nam & humiditatem à cerebro defluentem detinet, vt partes illas humectet; & voci, pronuntiationique non parum conducit, & facit, ne puluis, qui quandoque vel nobis in uitis os ingreditur, in aſperam arteriam delabatur. Aſpera arteria imperfectis anulis veluti ſemicirculis diſtinguitur. Per ipſam reſpiramus, efflamus, & vocem reddimus. Quæ ne impedirentur ſanguine omnino vacua effecta fuit. Inſuper nil in aſperam arteriam intrat. ſed potionis aliquid interdum ingreditur, & ad pulmones defertur. Id autē non per mediam arteriam iter facit, ſed circum eius tunicas expreſſum delabitur. In linguę lateribus duæ adſunt glandulæ, pariſthimiæ, tonſillę, amygdalæ, & fauces dictæ. Hæ factæ fuerunt, vt cerebri humiditatem ſuſciperent, qua regionem hanc humectarent. laryngis quatuordecim ſunt muſculi, quinque communes, & nouem proprij. ex communibus duo laryngis ſuperiorem partem aſtringunt, inferiorem dilatant; duo contra illam dilatant, hanc aſtringunt. quintus cibi, potuſque deglutioni ſubſeruit. Proprij, qui à larynge oriuntur, & in eandem deſinunt, nouem exiſtunt, quorum duo inferiorem glottidis partem aſtringunt, & ſuperiorem dilatant, duo rectè trahunt, quatuor anteriorem partem aſtringunt, & poſteriorem dilatant, poſtremus contra operatur.

De Corde. Cap. XXVIII.

COR vitalis caloris fons exiſtit, vitaleſque ſpiritus in pulmone pręparatos perficit. eſt arteriarum omnium origo. eſt in thorace princeps; in cuius ſiniſtra parte, ſupra ſeptum tranſuerſum, quod etiam tangit, collocatur. Membrana ſatis dura pericardio appellata inuoluitur, idque, vt hæc tum cor contineat, & colliget, tum prohibeat, ne, dum cor dilatatur, & conſtringitur, à pectoris oſſe, aut à coſtis attingatur. Præter pericardium, alia cor veſtitur tunica, quæ eius ſubſtantiam attingit. Inter cor & pericardium non modica adeſt pinguedo: quam etſi Peripatetici pinguedinem eſſe negant; quoniam tamen admoto igne liquefit, pinguedinem eſſe recentiores anatomici aſſeuerant. Confert autem, ne cor aſſiduo motu exiccetur. Cordis figura pyramidem ex parte imitatur: verum depreſſa aliquantum eſt. ſubſtantia valida eſt, ne perenni agitatione diſrumpatur. Tribus fibrarum generibus cor donatur, rectis, obliquis, ac tranſuerſis, vt trahant, contineant, & expellant. Duo adſunt in corde ventriculi, alter dexter, alter ſiniſter, quos tres eſſe Ariſtoteles ſcriptum reliquit. In dextro ſanguis eſt naturalis, in ſiniſtro vitalis; inq. illo maior ſanguinis, in hęc maior ſpiritus copia reperitur. Totidem in corde ſunt auriculæ, quaſi appendices quædam cordis ſyſtolem, & dyaſtolem adiuuantes. Circa cordis baſim quatuor ſunt orificia, duo ad ventriculum dextrum, duo ad ſiniſtrum. In illo eſt vena caua, venaque arterioſa; in hac adeſt arteria aorte, & arteria venoſa, de quibus mox loquemur. Nutritur cor à vena coronali, qua circundatur. In hominis corde non eſt oſſiculum aliquod, vt Galenus opinatus eſt. A cordis ſiniſtro ventriculo oritur arteria magna aorte nuncupata, quæ in duos ſcinditur ramos, quorum maior deorſum, minor ſurſum fertur. Hi deinde in varios ſurculos diſſecti, ad vniuerſum corpus viuificandum diſperguntur. ſed quoniam de vena arterioſa, & arteria venoſa mentionem fecimus, locus poſtulare videtur, vt vtriuſque naturam explicemus. A corde itaque ad pulmonem duo feruntur vaſa, arteria venoſa, & vena arterioſa. Illa, quæ arteriali, ac ſubtili ſanguine referta eſt, à ſiniſtro cordis ventriculo exoritur; hæc, quæ naturali, & craſſo ſanguine plena eſt, à iecore venarum

De part. ani. li. 3. cap. 4.

6. de vſu. par. c. 19

Vu fonte

ſonte per dextrum cordis ventriculum proficiſcitur. Dicitur autem illa arteria venoſa, qui licet arterioſum ſanguinem contineat, eius tamen vas venoſa, ac ſimplici tunica conſtat: hæc autem vocatur vena arterioſa, qui etſi venoſum, & craſſum ſanguinem includit, ipſius tamen vas ex arterioſa, hoc eſt duplici tunica, qualis eſt arteriæ, conflatur. Cæteræ quidem omnes arteriæ craſſas habent tunicas, venæ tenues. ſed in his vaſis, quę ad pulmonem tendunt, ſecus ſe res habet. Nam venæ vas craſſum eſt, arteriæ tenue. Huius rei diuerſitas quærenda eſt, ſed ante exponendum, cur arteriarum tunicæ craſsæ ſint, venarum tenues. Arteriarum tunicas craſſas eſſe oportuit, ne aut ſpiritus per ipſas means facile difflueret, neue eædem ob ſpirituum vehementem, ac perpetuum motum diſrumperentur. Venarum autem tunicæ tenues factæ ſunt, vt craſſum ſanguinis alimentum ſine labore in omnes corporis partes diffunderetur. ſed cur in vena arterioſa, & arteria venoſa contrarium ſpectatur? Pulmo non craſſo, ſed ſubtili ſanguine alitur. Si venæ arterioſæ tunica ſimplex eſſet, non ſolum ſubtilis, ſed etiam craſſus ſanguis ad pulmonem pertingeret, qui certe non paruam illi moleſtiam inferret. Ne igitur id eueniret incommodum, ſagax natura huius venę tunicam craſſam fabricauit. Adde, quòd in pulmone vitales ſpiritus præparantur: quod vt commodè fieret, prouidendum erat, vt ſanguis ad tantam rem deſtinatus puriſſimus eſſet. Niſi igitur huius venæ tunica craſſa extaret, craſſus etiam ſanguis cum tenui egrederetur, & vitalium ſpirituum præparatio magna ex parte impedita, & pulmoni non exiguus labor additus fuiſſet. Arteriæ verò, vt nos cenſemus, tunica tenuis eſſecta eſt, vt ſpiritus in pulmone præparati per hanc ad ſiniſtrum cordis ventriculum non difficulter deferretur. Neque periculum imminebat, vt hęc arteria diſrumperetur: ſi quidem ſpiritus per ipſam ad cor progredientes, cum adhuc non ſint pènitus elaborati, ſed ſolum præparati, tantam vim nequaquam obtinent, vt arteriam illam diſrumpere queant. Id verum eſſe tibi perſuadebis, ſi animaduertes, hanc arteriam non pulſare, cum tamen reliquæ pulſent. Nam arterię pulſandi vim à corde, & ſpiritibus elaboratis habent: hæc autem, quoniam ſpiritus non dum elaboratos à pulmone ſuſcipit, pulſandi vi ex neceſſitate caret. Non itaque crediderim, verum eſſe illud, quod Galenus ſexto de vſu partium ſcripſit, hac arteria elaboratum in corde ſanguinem, quo pulmo nutriatur, contineri. Nam ſanguis in vena arterioſa contentus pulmoni abundè alimentum pręſtat. Cenſemus itaque pulmonem vena arterioſa nutriri;

per

per arteriam autem venoſam ſpiritus præparatos cum arterioſo ſanguine ad cor tranſmitti, vt ibi tandem vitalis caloris ui elaborentur.

De Pulmone. Cap. XXIX.

PVLMO in thorace poſitus eſt, vertebrarumque corporibus, cordi, atque aſperæ arteriæ adnectitur. eius figura extra rotunda, eſt intra caua. Duæ ſunt pulmonis partes, altera dextra, altera ſiniſtra; ſed quatuor ſunt lobi: idque factum eſt, vt pulmo tum facilius cor amplecteretur, tum agilius moueri poſſet. Pulmonis ſubſtantia rara eſt, leuis, & ſpongiæ in morem poroſa, coloreque ſubrubro, & veluti ex ſpuma quadam ſanguinis, quam aliqui vocant affuſionem, conſtituitur. Inuoluitur à membrana pleura, quam paulo poſt deſcribemus. Per eius ſubſtantiam diſſeminantur, aſpera arteria, vena arterioſa, & arteria venoſa. Factus eſt pulmo tum ob cordis refrigerationem; quod efficit, dum frigidum aerem inſpiratum ad illud defert; tum ob reſpirationem. Accedit, quod formandæ voci deſeruit. Præterea in eo vitales præparantur ſpiritus, qui in corde tandem perficiuntur? Inſuper is animales ſpiritus alit. Nam aerem, quo ſpiritus animales nutriuntur, concoquit, & per aſperam arteriam ad cerebrum animalium ſpirituum ſedem affert. eius motus à thorace prouenit. Pulmo non magno ſenſu præditus eſt. Nam licet paruuli neui eius tunicam attingant, non tamen ſubſtantiam ingrediuntur. Nutritur, vt ſupra diximus, puriſſimo ſanguine venę arterioſæ.

De Pleura. Cap. XXX.

QVICQVID in thoracis cauitate continetur, membrana quædam tenuis, nerueaque, quæ tum ſuccingens, tum pleura vocatur, complectitur. Hæc vertebrarum corpori hęret, ſub coſtis labitur, & ſeptum tranſuerſum supernè inueſtit: Dein de ſpinæ affixa, quaſi reduplicata à ſummo ad imum thoracem, atque ipſum pulmonem in duas partes ſecat: vnde mediaſtinum appellatur. *Id* autem à prudenti natura effectum eſt, vt ſi alteram pulmonis partem lædi contingeret, altera illæſa, permaneret; vtque reſpirationis, & vocis manus non penitus deperiret. Nam ſi, ut in magnis vulneribus euenit, venter vnus offendatur, dimidium tum vocis, tum reſpirationis deperditur. Quod ſi vnus venter eſſet, parte una offenſa, omnis tum vocis, tum reſpirationis actio amitteretur. Vt igitur, parte vna læſa, altera incolumis remaneat; duo in thorace ventres effecti fuere.

De Oeſophago, ſeu Gula. Cap. XXXI.

OESOPHAGVS, ſeu Gula, eſt via cibi, & potus. eius ſubſtantia membranea eſt, neruea, & exanguis, oritur poſt laryngem, cui adnectitur, in ima faucium cauitate. eius iter eſt inter guttur, & vertebras. Recta graditur, donec cordi accedat: tum illi cedens ad dexteram inflectitur: rurſus ad ſeptum tranſuerſum prope iecur ad læuam redit. Hic ſeptum perforat, & in ventriculum, cui continuus eſt, implantatur. Duabus tunicis, interna; & externa veſtitur. Illi adſunt fibræ rectæ, vt attrahant; huic tranſuerſę, vt cibum, potumque deorſum pellant. In thoracis cauitate duæ ſunt glandulæ, œſophago hęrentes, vt his aſſidue humectetur, atque ita cibus facilius tranſ mittatur.

De Septo tranſuerſo. Cap. XXXII.

SEPTVM tranſuerſum, ſeu Diaphragma eſt muſculus inter thoracem, & abdomen ſitus, naturalia membra à vitalibus diſtinguens, & propugnaculi vice eſt pulmoni: atque id eſt proprium eius munus: licet Ariſtoteles illud inſuper factum aſſeuerauerit, ne vapores, qui à cibo attolluntur, cor læderent. Reſpirationi quoque conducit. Ipſius figura orbicularis eſt, eo læſo rarò euadimus. duobus prædi̧tum eſt foraminibus, quorum alterum in dextera, alterum in ſiniſtra parte collocatur. Per dextrum caua vena aſcendit, in ſiniſtrum deſcendit oeſophagus, qui ventriculo terminatur. Alij tertium addunt foramen, per quod arteriam magnam tranſire contendunt. ſed Galenus cum Hippocrate idem foramen oeſophago, & huic arterię deſeruire affirmant.

3. de par. ani. c. 10.

Galen. de ana. admi. lib 5. cap. 8.

De Peritonæo. Cap. XXXIII.

VNIVERSA abdominis cauitas membrana peritonæo nuncupata circundatur, quæ interna parte lęuis eſt, externa aſpera. eius figura ſubſphærica eſt.

De Hypocondrijs ſeu Præcordijs. Cap. XXXIV.

HYPOCONDRIA, ſeu Præcordia appellamus abdominis latera, alterum dextrum, alterum ſiniſtrum, quorum illud epar, hoc lienem contegit.

De Iecore. Cap. XXXV.

5. de par. ani. c. 4. & 2. de gen. ani. cap. 4.

IECVR, vt recentiores anatomici experientia deprehendere, eſt primum membrum, quod in nobis gignitur, licet Ariſtoteles putet, cor primum generari. Id tanquam princeps in dextro abdominis latere ſub mendoſis coſtis locatur, ibique duobus cum diaphragmate connectitur ligamentis non prorſus ſenſus expertibus, quorum dextrum ſuſpenſorium vocatur, ſiniſtrum nomine caret. ſed quamuis iecur dextrum latus, veluti ſuam regionem, poſſideat, non tamen paruam ſiniſtri partem occupat. eius figura ad ſphæricam accedit: eſt enim interior pars caua, & aſpera exterior, gibba, & læuis. Iecur, & ſi in quadrupedibus in lobos diſtinguitur, in homine tamen integrum exiſtit, præterquam in anteriori parte, & extremo iecore, vbi aliqua diuiſio intercedit. Tenuiſſima peritonæi membrana ambitur, iccirco ſuperficie tenus non ſine ſenſu exiſtit. ſubſtantia eius concretus ſanguis videtur. In hoc tanquam abdominis rege vis concupiſcibilis reſidet. ſolo in iecore ſanguis generatur: quicquid Peripatetici dicant. Iecur omnium venarum radix eſt, non cor, vt ex diſſectionibus patet. Duæ inſignes venæ, altera in caua, altera in gibba iecoris parte exoriuntur, quarum hæc caua, illa porta appellatur. Per has duas venas in totum corpus diſparguntur rami, quorum hiſtoriam, qui noſſe deſiderant, anatomicos legant. Portę duplex officium eſt, alterum, vt eius rami, qui per meſentarium, de quo paulo poſt agemus, diffunduntur, chilum à ventriculo, & inteſtinis exugant, attrahant, & ad iecur deferant, vt ſanguis demum euadat; alterum, vt ijdem rami ſanguinem in ventriculum, meſenterium, omentum, inteſtinaque ad ea alenda comportent. Cauæ munus eſt, vt ipſius rami chylum in ſanguinem verſum per totum corpus ad illud nutriendum afferant, ac diſtribuant. omnia enim membra, atque etiam ipſum iecur, ſanguine aluntur, præter lienem, qui melancholico humore nutritur.

De

De Veſiculabilis. Cap. XXXVI.

SVB iecoris parte dextra, eademque concaua adeſt veſicula bilem ſuſcipiens, continens, & expellens. Bilis expulſa, atque ad inteſtina delata ad fæces excernendas irritat. Huius veſiculæ figura oblonga eſt, ſubſtantia membranea.

De Liene. Cap. XXXVII.

IN ſiniſtro hypocondrio adeſt lien, atræ bilis receptaculum, qua etiam alitur. In qua nutritione acidus quidam ſeiungitur humor, qui per venæ portæ ramum ad ventriculum indigentem delatus famem excitat. Circundatur lien tenui peritonæi membrana. eius figura pedis plantam refert: color ſubliuidus eſt: ſubſtantia ſpongiæ modo poris referta, vt humorem melancholicum, terreum, & craſſum ſuſcipere poſſit.

De Ventriculo. Cap. XXXVIII.

GVLAE ſub ſepto tranſuerſo adhæret ventriculus, qui licet inter præcordia collocetur, maiorem tamen ſiniſtri partem ſibi vendicat. Adeo deſcendit, vt penè ad vmbiculum perueniat. A iecore, liene, & omento contegitur. Figuram obtinet ſphæricam, & oblongam. Duo habet orificia, quorum ſiniſtro cibum, aç potum ſuſcipit; dextro chylo, quem confecit, iter præbet, vt deſcendat. Tribus veſtitur tunicis: duabus fibræ contigere; alteri, quæ interna eſt, rectæ, & obliquæ, vt cibum tum attrahant, tum contineant, quamdiu coquatur; alteri tranſuerſæ, vt deorſum trudant. Tertia fibris caret, & inuolucri vice fungitur. Præter quatuor vires, attractricem, expultricem, retentricem, & digerentem, quæ omnibus corporis

parti-

partibus inſunt, in ventriculo indigentiæ ſenſus reperitur. Vſus ventriculi eſt, cibum, & potum in chylum, hoc eſt, albam quandam ſubſtantiam lacti ſimilem conuertere. ſubſtantia eius membranea eſt, & neruea.

De Inteſtinis. Cap. XXXIX.

VENTRICVLO adiuncta ſunt inteſtina, ſubſtantia pene eadem, ſed ſubtiliori: ſita ſunt in inferiori ventriculi parte, & ad anum vſque pertingunt, maioremque abdominis partem occupant. ſex ſunt inteſtina, quorum tria ſuperiora tenuia, inferiora craſſa exiſtunt. Tenuium primum appellatur duodenum, quod duodecim digitorum longitudine conſtet; ſecundum ieiunum, quoniam in ſectionibus ſemper vacuum inuenitur; tertium ileon ob varias ſpiras. Craſſorum primum vocatur cæcum, quod vno tantum foramine donetur; ſecundum colon, cuius variæ ſunt reuolutiones; tertium à ſitu rectum. Inteſtina facta ſunt, vt fœces detineant. Ad propellendum verò tranſuerſę illis fibræ dantur. Sub inteſtinis in ano tres ſunt muſculi, quorum vnus fœtus detinet, ne nobis in uitis elabantur; duo rectum inteſtinum ſurſum retinent, ne forte in quibuſdam conatibus, vt interdum euenit, egrediantur.

De Meſenterio. Cap. XL.

INTER inteſtina poſitum eſt membrum quoddam Meſenterium appellatum, quod inteſtina continet. Id à ſpina exoritur, nihilque aliud eſt, ſi eius ſubſtantiam ſpectes, quam Peritonæum duplex. Hic adſunt venæ illæ meſeraicæ nuncupatæ, quæ chylum exugunt, & ad epar adducunt. Hic ſunt arteriæ, nerui, & glandulæ complures, quæ hæc vaſa diuidunt, ac tutantur.

De Omento. Cap. XLI.

IN anteriori parte inteſtinorum, & ſupra lienem eſt aliud peritonæum, in quod & venæ, & nerui, & arteriæ, & adeps diſſeminantur : quod factum eſt, vt tum inteſtinis tutamento, tum concoctioni faciendæ adiumento eſſet. Id Latini Omentum, Arabes Zirbum vocant.

De Renibus. Cap. XLII.

RENES duo ſunt, dexter, & ſiniſter: quorum vterque dorſo, & nothis coſtis adnectitur. ſiniſter dextro ſuperior eſt in homine, licet in cæteris animalibus contrarium ſpectetur. Quare ne fidem adhibeas Galeno, qui in homine dextrum ſiniſtro ſuperiorem eſſe tam conſtanter aſſeuerat. *De vſu par. li. 5. cap. 6.* Renum figura faſeolo eſt ſimilis; ſubſtantia dura, ac denſa; color ſubrufus. facti fuerunt renes, vt ſeroſum ſanguinem per uenas emulgentes appellatas attraherent. In renibus lotium à ſanguine ſeiungitur;& hoc quidem renes aluntur, illud verò per vreteres, ſeu vaſa vrinaria, quorum ſubſtantia alba, craſſa & neruea eſt, ad veſicam defertur. Renes, præter peritonæum, propria etiam tunica inuoluuntur.

De Veſica Cap. XLIII.

VESICA in ima abdominis parte, quæ ſumen vocatur, ſub oſſe pubis collocatur: cuius figura rotunda eſt, ſubſtantia neruea. eius tunica contrahitur, & extenditur. veſica fibras habet rectas, obliquas, ac tranſuerſas, vt attrahant, contineant,& propellant. Hi enim ſunt veſicæ uſus. Veſicæ collum anguſtum eſt, ac penè carneum. Hic duæ ſunt glandulæ, paraſthatæ

 dictæ,

dictæ, ſemen ſuſcipientes, & continentes; nec non muſculus conſtringens, ne nobis inuitis vrina egrediatur. In fœminis veſica matrici adhæret, & glandulis caret.

De Inſtrumentis generationi deſeruientibus, ac primum de vaſis ſeminarijs. Cap. XLIV.

QVAE dudum membra recenſuimus, nutritioni famulantur: quæ ſubnectemus, generationi deſeruiunt. ſunt autem hæc, vaſa ſeminaria, teſtes, penis, vterus, vmbiculus. Vaſa ſeminaria alia ſemen præparant, alia id iam elaboratũ ad penis radicem deferunt. Vaſa præparatiua quatuor ſunt, duę venæ, & duæ arteriæ: deferentia ſunt duo, vena vna, & arteria vna. Nec intereſt, de maſculo ne, an de fœmina loquaris: totidem enim in vtroque extant. Hoc modo diſcrimen eſt, quod maſculi vaſa longiora ſunt, fœminæ breuiora.

De Teſtibus. Cap. XLV.

TESTIVM locus eſt Scrotum: ita enim appellatur pellis, in qua includuntur. eorum figura ouo ſimilis eſt, ſubſtantia rara, laxa, & alba. Teſtes in mari extra prominent: in mulieribus propter earum nimiam frigiditatem in abdomen concluduntur. Generationis gratia facti ſunt, vt ſemen in ipſis perficiatur. In fœminis membrana vna, in viris pluribus obuoluuntur. nam tutiori loco fœminarum, quam maſculorum teſtes collocantur. Teſtibus duo deſeruiũt muſculi, qui à parte ſuperiore oſſis pubis emanant. Hi tamen eos ſuſpendunt ne delabantur, tum eoſdem attrahunt. Penis & vteri hiſtoriam vt notam præterimus.

De

De Vmbilico. Cap. XLVI.

VMBILICVS medio in ventre ſitus eſt. Id nihil aliud eſt, quam receptaculum quatuor vaſorum, quæ fœtui, dum eſt in matris vtero, ſeruiunt; quæque infante in lucem edito, ſuo munere priuantur, & ligamentorum vice funguntur. Hæc autem ſunt, vena vmbilicalis, duæ arterię vmbilicales, & vas vrinarium dictum: quorum primo foetus alitur, ſecundo in uitalibus ſpiritibus fouetur, tertio vrinam reddit.

De contegentibus fabricam humani corpori. Cap. XLVII.

HANC humani corporis fabricam inuoluunt, cuticula, cutis, pinguedo, membrana carnea, pili, & perioſtium. Cuticula extima, eſt tenuiſſima, ſenſuſque omnis expers. Facile aboletur, & facile reſtituitur. Huic ſubeſt cutis, cuius ſubſtantia neruea eſt; ſed alicubi craſſior, alicubi ſubtilior, alicubi pertinax, alicubi laxa exiſtit. Craſſa eſt in capite, reliquis in membris minus craſſa. Pertinax eſt in facie, auribus, vola, & pedis planta, alibi laxa. Porris abundat, vnde ſudor exit. Sub cute adeſt pinguedo, cuius naturam ſupra expoſuimus. Pinguedini ſubiacet membrana carnea, quæ vniuerſum corpus ambit.

Pili etiam totum fere corpus contegunt. Pilorum ſubſtantia ſicca eſt, figura longa, ac tenuis. è cute emergunt, illam totam perforantes. Affiguntur pinguedini, à qua aluntur, præterquam in ſcroto, vbi pinguedo nulla extat. Corpori propugnaculo ſunt, & decori. In planta pedis & in vola pilos ne quæſieris. Denique inuenies perioſtium, membranam tenuem, atque inſigni ſenſu præditam, quæ oſſa circundat. Hanc neque in interna caluaria, neque in dentibus reperies; multo minus in oſſium articulatione ſpectabis. Nam ſi ibi adeſſet, magni in illorum motu dolores excitarentur.

DIVINARVM INSTITVTIONVM

LIBER VNDECIMVS.

DE ANIMA VEGETATIVA.

De Animæ definitione, ac diuiſione. Cap. I.

POSTHÆC de anima diſſeramus. Animam ita definit Ariſtoteles. Anima eſt actus corporis naturalis organici, potentia vitam habentis. Actus duplex eſt, primus, & ſecundus. Primus eſt rei forma, quæ rei dat, vt ſit. ſecundus eſt operatio, quæ à forma proficiſcitur. Anima non eſt operatio, verum id, quod operatur, ipſa ſcilicet eſſentia, perfectio, ac forma rei, quæ eadem eſt actus primus. Eſt autem anima actus corporis, ſed non cuiuſque corporis: non enim eſt actus corporis artificialis, ſed tantum naturalis. Neque eſt actus cuiuſlibet corporis naturalis, ſed tantum eius, quod varijs diſtinguitur organis. ſimplicia enim corpora, & omogenea, vt ignis, aer, lapis, ferrum, atque huiuſcemodi reliqua, quorum partes omnes ſimiles ſunt, anima carent. Quæ verò diuerſis conſtant organis, vt plantæ, bruta, & homines anima pollent. Verum omne corpus organicum vitam ex neceſſitate habet; &, quod vitam habet, ex neceſſitate eſt organicum. Satis itaque erat dixiſſe, animam eſſe formam corporis organici, cum idem ſit organicum,

Lib. 2. de ani. c. 1.

cum,

cum, & vitam habens. ſed vt dilucidior eſſet definitio, dictum eſt, Vitam habentis. Vita autem eſt principium operationis internum, quod in homine tum motu, tum cognitione; in plantis verò, & brutis motu maxime dignoſcitur, motu inquam, quo vitam habens mouetur, vt operetur, non vt quieſcat. Quare corpora ſimplicia, & omogenea vitam non habent, quamuis moueantur. Non enim mouentur, vt operentur, ſed vt quieſcant. In corpore autem organico anima non ſemper operatur: quoniam tamen id corpus eiuſmodi eſt, vt in eo ſemper anima poſſit operari, vitam habet, licet anima in eo non operetur. Quamobrem in animæ definitione non abſolute dictum eſt, Vitam habentis, ſed Potentia vitam habentis. Sunt qui putent, hanc particulam, Potentia, adiunctam eſſe, vt oſtenderetur, animam ſuas operationes per potentias exercere. Non enim idem eſt eſſentia, & potentia animæ: ſed anima eſt primum principium operans: potentia verò eſt uis, & facultas, qua anima operatur. Vt: anima vegetatiua eſt ipſa animæ eſſentia; uires vero, generatiua, nutritiua, & auctrix, ſunt eius potentiæ quibus ipſa generat, nutrit, & auget. Idem dicendum eſt de ſenſitiua, & intellectiua, quæ proprijs potentijs agunt. An vero eſſentia animæ à potentia re diſtinguatur, an tantum ratione, Thomiſtæ, & Scotiſtæ diſputent: quorum illi re, hi ratione eas diſtingui aſſerunt. Eſt itaque recta Animæ definitio: Anima eſt actus corporis naturalis, organici, potentia vitam habentis. Solet quoque Anima ita definiri: Anima eſt principium internum, quo ſumus, viuimus, mouemur, & intelligimus. Vitam verò habentia in hoc globo ſublunari quædam tantum uiuunt, vt plantæ; quædam viuunt, & ſentiunt, vt bruta animalia; quędam viuunt, ſentiunt, & intelligunt, vt homo. Quapropter tria ſunt animæ genera, vegetatiuum, ſenſitiuum, & intellectiuum. Atque hæc ita ſe habent, vt vegetatiuum ſine ſenſitiuo, & intellectiuo, & ſenſitiuum ſine intellectiuo eſſe queat. Nam & plantæ ſine ſenſu, & intellectu ſunt, & bruta ſentiunt, ſed non intelligunt. Verum neque ſenſitiuum ſine vegetatiuo, neque intellectiuum ſine vegetatiuo, & ſenſitiuo eſſe poteſt. Nam bruta omnia vegetatiua prædita ſunt, & homo tum vegetatiua, tum ſenſitiua vi pollet, neque ſenſitiuum ſine vegetatiuo, neque intellectiuum abſque vtroque reperitur. Nolim quiſpiam me carpat, quod dixerim, intellectiuum ſine ſenſitiuo, & vegetatiuo eſſe non poſſe, cum & ſubſtantiæ ſeparatæ, & rationales animæ corporis vinculis ſolutæ vtroque priuentur. Nos enim animæ rationali, dum mortali corpori alligata eſt, has condiciones

nes ineſſe dicimus. De Anima ſeparata infra agemus. De Angelis verò ſupra diſputatum eſt. Nunc de Anima, dum in corpore exiſtit, ac primum de vegetatiua, ſermonem faciamus.

De anima vegetatiua, & vegetatiuarum potentiarum numero. *Cap. II.*

ANIMA itaque vegetatiua eſt actus corporis naturalis organici potentia vitam vegetatiuam habentis. Potentiarum vero vegetatiuarum numerus ex vegetatiuę animæ operationibus ſumitur. Quot ſunt enim ipſius primarię operationes totidem quoque ſunt potentiæ. Verum tres ſunt operationes, generare, nutrire, & augere. Totidem igitur ſunt potentiæ, ſcilicet generatiua, nutritiua, & auctrix. Has uires Galenus naturales appellat, quoniam ipſis res producuntur, conſeruantur, & ad debitam quantitatem perducuntur. Generatione enim producuntur, nutritione conſeruantur, & auctione debitam quantitatem adipiſcuntur. Harum virium ſedem Ariſtoteles in corde locauit, quippe qui opinatus eſt, uenas, quæ illarum ſunt inſtrumenta, à corde initium capere. At Galenus, cæterique recentiores ex ſectionibus deprehendere, venas non à corde, ſed ab epate originem ducere, alimentaque in epate perfici, & ab illo per venas in vniuerſum corpus diſtribui. Quare naturalium virium ſedem in epate poſuerunt. Verum hęc ſuperiori libro exactius declarata fuere. Naturalium facultatum omnium obiectum eſt alimentum: hoc enim natura utitur tum ad nutriendum, tum ad generandum. Quatenus enim ad conſeruandum aptum eſt, nutritiuæ potentię eſt obiectum: quatenus verò per ipſum corpus ad debitam quantitatem peruenit, auctricem facultatem reſpicit: at quatenus ad generandum eſt idoneum, vim generatiuam ſpectat. Sunt etiam quædam naturales uires non primarię, ſed ijs ſubſeruientes, vt ſunt attractiua, digeſtiua, retentiua, atque expulſiua. De ijs itaque à nobis eſt dicendum, ac primum de generatiua. Nam, licet, ſi indiuiduum iam exiſtens ob oculos ponas, primo ipſum nutritur,

In lib. de natu. facul.

3. de par. ani. c. 5.

tritur, deinde augetur, ac poſtremo ab ipſo aliud generatur: ſi tamen idem vt producendum conſideres, primo loco generatur, deinceps augetur, & nutritur.

De Elementorum generatione. *Cap. III.*

VERVM de generatione viuentium acturi, rem paulo altius repetamus, ac prius de generatione ſimplicium, compoſitorumque corporum omnium ſermonem faciemus: ita enim arbitramur futurum, vt exactiorem de plantarum, atque animalium generatione doctrinam habeamus. Ac primo loco ſimplicium generationem explicabimus. Philoſophi definiunt, Generationem eſſe tranſitum alicuius rei ab eo, quod non erat, ad id, quod eſt. Cum igitur aliquid eſſe incipit id, quod non erat, generari dicitur. Exempli gratia: Animal antequam animal fieret, ſemen erat. Cum igitur ex ſemine factum eſt animal, generatum eſt, quoniam factum eſt, quod prius non erat. Generationi opponitur corruptio, quæ nihil aliud eſt, quam tranſitus ab eo, quod eſt, ad id, quod non erat. verbigratia: Cum animal moritur, corrumpi dicitur, quoniam definit eſſe animal, quod erat, & fit cadauer, quod non erat. Hæc prænotauimus, vt quæ dicentur dilucidiora fiant. Nunc ad propoſitum redeamus. Paſsim conceditur, ſimplicia corpora eſſe quatuor; ignem, aerem, aquam, ac terram. Hęc inter ſe contrarijs qualitatibus diſsident: neque ex ipſis reperire eſt aliquod, quod cum alio non pugnet. Nam & ſi vni minus, quam alteri aduerſatur, fieri tamen minime poteſt, vt aliqua ratione non obſiſtat. Ignis etenim calidus, & ſiccus eſt; aer calidus, & humidus; aqua humida, & frigida; terra frigida, & ſicca. Ignis ſummas cum aqua inimicitias gerit, illius humiditatem, frigiditatemque aduerſis qualitatibus oppugnans: non tamen cæteris elementis eſt concors. Nam caliditate terræ frigiditatem, ſiccitate aeris humiditatem impugnat. Nec minus aqua humiditate terræ ſiccitati, fri-

eidita-

giditate aeris caliditati aduerſatur, quamuis igni pacem prorſus deneget. Aer quoque ſuis qualitatibus terræ frigiditati, ac ſiccitati repugnat; idem tamen interea humiditate in ignis ſiccitatem, caliditate in terrę frigiditatem inuehitur. Nec maior in terra quies, dum frigiditate ignis caliditati, ſiccitate aquæ humiditati, & vtriſque ambabus aeris qualitatibus aduerſatur. Dum ſimplicia corpora inter ſe pugnant, alterum alteri perniciem machinatur: & quoniam in totum elementum agere nequit, partem oppugnat, vt illlam deſtruat, & in ſuam naturam conuertat. In hac pugna elementum, quod ſuperat, alterum ſibi ſimilem efficit, & illud, quam ipſum retinet, formam induere cogit. ex hac mutua elementorum actione, & perpeſſione aſſidue alterum in alterius naturam ex parte mutatur. verum non æquo labore quodlibet inquo dlibet mutatur. Nam cũ duo inter ſe diſſident elementa, quibus ambæ aduerſantes qualitates obuenere, ſi præſertim vtriuſque vires æquæ ſint, difficilis eſt alterius in alterum mutatio: magna enim vtrinque pugna excitatur, cum actio repugnantiæ par eſt, neque facile alterum ab altero vinci poteſt, veluti cum ignis aduerſus aquam, aut aer aduerſus terram pugnat. Quòd ſi duo elementa, quæ vnica tantum qualitate diſſident, inter ſe concurrant; multo facilius alterum alterum ſuperabit, cum vnius tantum qualitatis perniciem affectet: ſicuti cum ignis aerem, aut aer aquam, aut aqua terram inſectatur. Simplicium itaque corporum generatio mutua ipſorum inter ſe actione, ac repugnantia producitur. Qua in generatione non totum elementum, ſed quædam tantum ipſius pars in vincentis corporis naturam tranſmutatur. eſt quoque alius modus, quo interdum contingit elementum inelementum conuerti, cum ſcilicet eorum aliquod marceſcit: tunc enim hoc in illud, ac ſemper in deterius mutatur: veluti cum aer putreſcit, non in ignem, ſed in aquam, aut in terram uertitur: ſimiliter cum aqua corrumpitur, non aer, aut ignis, ſed terra euadit. Huius rei ea cauſa eſt, quòd eorum putreſcens materia non ab agente attenuatur, ſed ipſa per ſe ipſam extinguitur. Quare decidens deteriorem ſemper formam accipiat neceſſe eſt. Hoc pacto ignis, aer, & aqua putreſcunt: terræ verò id non accidit, quoniam ipſa deteriorem formam ſumere nequit. Quamobrem ſi putreſcat, non in aliud elementum tranſmutabitur, ſed alicuius mixti corporis compoſitionem ingredietur.

De Generatione mixtorum in genere. Cap. IV.

HS ita de elementorum generatione expoſitis, explicemus, quanam ratione mixta generentur. Frequenti Philoſophorum conſenſu receptum eſt, mixta omnia ex quatuor elementis oriri, ipſiſque inter ſe conuenientibus componi, atque ita temperari, vt conuenientem accipiant formam. Quod quonam pacto fiat, generatim oſtendamus. omnia ex elementis componuntur, cum ipſa inter ſe coierint. Id autem factu difficile eſt, dum eorum qualitates in ſuo ſtatu permanent: quamdiu enim ignis eſt ſumme calidus, & ſiccus; aer humidus, & calidus, aqua humida, & frigida; terra frigida, & ſicca; fieri non poteſt, vt elementa aliquam ſubeant compoſitionem, cum illis ſuo in ſtatu exiſtentibus, pugna potius excitetur, quam pax aliqua proueniat. Quapropter neceſſe eſt, vt elementorum qualitates ſenſim remittantur. Quod cum factum fuerit, pugna deſiſtente, concordia ſubſequitur. Dum enim aqua ſumme frigida, & humida eſt, ignis calidus, & ſiccus, qui fieri poteſt, vt aliquo inter ſe fœdere iungantur? Dum item terra frigida eſt, & ſicca, aer calidus, & humidus, quonam pacto conuenientior? Neceſſe itaque eſt, cuiuſque elementi qualitates remitti, & ad quandam redigi moderationem. Tunc enim difficile non erit, vt ex elementis concordiam ineuntibus aliud conſtituatur, quod nullum elementorum ſit; ſed ex ijs compactum; in quo elementa non actu, ſed poteſtate tantum remaneant. Cum enim elementa mixti compoſitionem ingrediuntur, ipſorum formæ corrumpuntur, ac mixtum quandam aliam induit formam, quæ non elementi alicuius, ſed mixti forma appellanda eſt. Quod niſi ita eſſet, compoſitum plures haberet formas, nempe elementorum. Id autem à communi Philoſophorum ſchola non probatur, aſſerentium, vnius vnam tantum formam eſſe. Hic illud nullo pacto obliuiſci debemus, Solem cauſam eſſe generationis vniuerſalem; eiuſque acceſſu generationem fieri, receſſu corruptionem induci; atque obliquo eius motu generationem

continuari, nihilque ſine eiuſdem actione in rerum natura gigni poſſe. His ita breuiter explicatis, mixtorum generationem ſigillatim exponamus.

De Materia eorum, quæ in aere generantur. Cap. V.

CVMQVE mixtorum quædam inanimata ſint, quædam animata, prius de illis, vt imperfectioribus, ſermonem faciemus. Mixtorũ itaque inanimatorum quędam in aere quędã in terra generantur. Primi generis ſunt aqua, nix, vẽtus, & his ſimilia; ſecundi, metalla, lapides, & huiuſcemodi reliqua ea, quæ in aere gignuntur, ab exhalationibus originem ducunt. eſt autem exhalatio fumea materia ab aqua, & terra vi Solaris caloris illam calefacientis, ac raram reddentis in ſublime elata, omnem quidem exhalationem calidam eſſe neceſſe eſt, quoniam talis eſt eleuans calor. Verum, quoniam id, vnde exhalatio educitur, partim humidum eſt, vt aqua, partim ſiccum, vt terra, neceſſe eſt, alteram exhalationem eſſe calidam, & humidam alteram calidam, & ſiccam. Quæ calida eſt, humida eſt, Vapor appellatur: quæ verò calida eſt, & ſicca, generis ſibi nomen retinuit, atque Exhalatio nuncupatur. Verum, quamuis exhalationum alia calida, & humida ſit; alia calida, & ſicca, non tamen eiuſmodi eas eſſe dixerimus, vt nihil reliquarum qualitatum admixtum habeant: ſed illas ita cenſeri affirmamus, quod in ijs hæ qualitates præualeant. Nam cum calido, & humido non nihil etiam frigidi, & ſicci effertur, quemadmodum etiam cum calido, & ſicco aliquæ partes tum frigidæ, tum humidæ aſcendunt.

De flammis, trabibus, capreis, ſtellis diſcurrentibus, hiatibus, foueis, cruentis ſimilitudinibus, ac ſtellis crinitis.
Cap. VI.

CVM igitur exalationes in ſublime euehuntur, atque in ſupremam aeris regionem calidam, & ſuccenſam peruenerint, accenduntur, & multas, uariaſque imagines pro materiæ ratione, atque ſitu referunt. Quare in ſublimi nunc flammæ, nunc trabes, modo capreæ, modo ſydera diſcurrentia cernuntur. Quandoque vel hiatuum, vel fouearum, vel cruentorum colorum ſimilitudines apparent. Interdum eiſdem ex cauſis ſtellas crinitas iudicamus. Aliæ præterea conſpiciuntur figuræ, quas longum eſſet enumerare. Cum itaque exhalationes raræ ſunt, & in longum, ac latum diſtenduntur, flammæ videntur. ſin autem in longum magis, quam in latum producuntur, nunc trabes, nunc capreæ, nunc ſtellæ diſcurrentes cenſentur. Nam ſi ſcintillent, (quod ob nimiam inflammationem euenit) Capreæ nominantur; ſin minus, Trabes appellantur. Quod ſi exhalationis longitudines per partes exiguas; & frequentes diſperſæ ſint, diſcurrentes ſtellæ vocantur. Quæ ſi ab aere, cui propinquę ſunt, refrigeratæ diſplodantur, tranſuerſæ, vt plurimum; actæ, velut eiaculatæ cadere videntur: ſi vero elatæ exhalationes denſæ ſint, & lumen minus, vt ſtellarum, aut lunæ in ipſas incidat, pro denſitatis ratione varij apparent colores. Nam ſi minus denſæ ſint, punicei, & rubri, clarique colores videntur; ſi magis, cærulei, nigri, & obſcuri. ex quo etiam euenit, vt modo hiatus, modo fouea exiſtimentur. Nam cum lux in colore partim cæruleo, partim nigro diſtrahitur, quandam ementitur altitudinem, quæ nunc hiatum, nunc foueam præſefert. Minor, enim materiæ quantitas hiatum, maior foueam repræſentat. Cum autem contingit, vt magna ſit elatæ exhalationis denſæ quantitas, & igneum principium neque vehementer comburat, neque adeo imbecillum ſit, vt cito reſtinguatur, tunc ſtella crinita, ſeu cometa redditur. Verum quandoque

crinita ſtella per ſe exiſtens exhalatio ignita eſt, quam ſtellam appellamus criuitam,quamuis non ſit ſtella, ſed exhalatio; idque euenit, cum exhalatio in inferiori parte tertiæ regionis aeris collocatur. Quod ſi exhalatio ſupremam huius regionis partem obtineat, & ſub aliqua ſtella conſtituatur, nos ſtellam illam comatam diiudicamus, & donec exhalatio diſſoluta fuerit, ſtella comata videtur. Nam cum exhalatio non ſecus, ac ſtella firmamenti motu circumvoluatur, neceſſe eſt ſtellam crinitam videri, donec exhalatio perdurarit. longo verò tempore cometa aſpicitur, quoniam exhalatio, cum copioſa ſit, non ſimul, ſed paulatim pars poſt partem conſumitur; veluti ſi in longum palearum cumulum ignem altera ex parte inijcias, non ſimul, ſed paulatim paleæ comburuntur. Duæ præſertim huius exhalationis figuræ apparent. Nam ſi exhalatio ſimili vſquequaque forma tam in longum, quam in latum figuratur, Crinita appellatur. ſin autem in longum protendatur, Pogonias, hoc eſt Barbata nuncupatur. Cometę quoties crebri fulgent, annum ſiccum, & ventoſum pronunciant: cum rariores flagrant, contrarium accidit. Verum, vt plurimum, cum apparent, anni tempora ventoſa ſubſequuntur. Vulgo aiunt, Cometas principum interitus, & regnorum mutationis prænuncios eſſe. Hinc Virgilius de portentis, quæ Cæſaris mortem pręuenerunt, loquens, ait; *Geor. 1.*

Nec diri toties arſere Cometę.

De Ventis. Cap. VII.

VENTORVM quoque materia eſt calida, & ſicca aſpiratio. cum enim hæc ſurſum aſcendit, & in frigidũ multum incidit, ab hoc repercuſſa, deorſum truditur, atque exagitatur. Hæc exhalatio repercuſſa, atque exagitata ventus eſt. Fiunt autem venti remiſſiores, aut vehementiores pro frigiditatis repercutientis ratione. Nam ſi pauca frigiditas eſt, aſpiratio lenius mouetur; ſi nimia, vehementius agitatur. Durant verò longiori, breuioriq. tempore pro materiæ quantitate, dum obſiſtens frigus permanet. Niſi enim aſpiratio diſſoluatur, aut frigiditas è ſuperiori loco receſſerit, ſemper venti durant: ſin autem eorum altera euaneſcat, neceſſe eſt ventos ceſſare. Ventorum origo à terra eſt: hinc enim ex-

halatio extrahitur; ſed motus initium à ſuperiori ducitur loco, vnde aſpiratio depellitur. Remiſſiores ventorum flatus ſunt priores, ac poſteriores, quam medij. Huius rei ea cauſa eſt, quam in principio aſpirationes non dum omnes aſcenderunt, in fine earum bona pars diſſoluta eſt. At medio tempore eædem ſunt copioſiores, cum & omnes aſcenderint, & adhuc conſiſtant. Plures, ac vehementiores venti ab Aquilone, & Auſtro, quam ob ortu, aut occaſu flare conſueuerunt. Cum enim Sol ab ortu ad occaſum continenter feratur, non paucam ijs in locis exhalationum copiam abſumit: quod in Septentrione, atque Auſtro efficere nequit, cum alternis temporibus nunc ad ea loca accedat, nunc ab eiſdem recedat. Cum igitur maior his in locis aſpirationum copia inueniatur, neceſſe eſt, plures, ac maiores ventos in ipſis generari. Adde, quod ibidem eandem ob cauſam frigidum repercutiens amplius, & copioſius exiſtit. Quare vehementiores ibi venti procreantur. Ventos
Met. 2. c. 6. duodecim Ariſtoteles enumerat, quorum tres ab ortu, tres ab occaſu, tres a Septentrione, tres ab Auſtro flare dicit. Ab ortu flant Apeliotes, Cæcias, & Eurus; ab occaſu Zephyrus, Lybs, & Argeſtes; à Septentrione Boreas, Meſes, & Traſcias; à meridie Auſter, Lybonotus, & Phœnicias. Principes horum ſunt, Apeliotes, Zephyrus, Boreas, & Auſter: reliqui inter hos collocantur. Eurus, & Phoenicias inter Apeliotem, & Auſtrum ponuntur. Meſes, & Cæcias ſiti ſunt inter Boream, & Apeliotem. Argeſtes, & Traſcias ſedem ſibi inter Zephyrum, & Boream vindicant. Lybs, & Lybonotus medium inter Zephyrum, & Auſtrum locum obtinent. Qui à Septentrione ſpirant, frigidi ſunt, & ſicci, qui ab Auſtro, calidi, & humidi. Qui flant ab ortu, quoniam calidiores, & humidiores pertranſeunt regiones, calidiores, & humidiores ſunt ijs, qui ab occaſu ſpirant: hi etenim moderatè calidi ſunt, & ſicci. omnes venti, vt diximus, ex calida, & ſicca aſpiratione gignuntur. Sed, quoniam aliqui per humida, aliqui per frigida loca tranſeunt, euenit, vt nunc frigiditatem, nunc humiditatem contrahentes, tum humidi, tum frigidi cenſeantur.

De Terræmotu. Cap. VIII.

CVM autem contingit, vt venti intra terram concludantur, propria quod aut exhalatio, quæ extra ſpirare debuerat, intro relabitur, aut ſpiritus, qui extra prodierant, rurſus per terræ foramina terræ viſcera ingrediantur, tunc terram concuti neceſſe eſt: eaque commotio Terræmotus appellatur. Tranquillo cęlo, vt plurimum, huiuſmodi concuſſus, ac vehementiſſimus prouenit: tunc enim tota ſimul exhalatio in terræ viſceribus continetur. Cum autem venti ſpirant, raro terra agitur. Quòd ſi interdum ventis flantibus mouentur, remiſſius cietur, quoniam cauſa magna eſt parte diſtracta eſt, cum venti partim in terra claudantur, partim per aera vagentur. Nocte, ac meridie crebrius, ac vehementius terra quatitur. Nocte enim aſpirationes, quæ ob Solis abſentiam excitari nequeunt, vt foras erumpant, intro recurrunt: meridie à nimio calore ad intimas terræ partes impelluntur, atq. egredi prohibētur. Æſtate, atque hyeme partim ob gelu, partim ob æſtum terra raro commouetur: gelu enim, atque æſtus exhalationes extinguit. ſępius verò quatitur autumno, ac vere. His enim temporibus neque gelu, neque æſtus aſpirationes diſſipat. In Euripis, ac fungoſis, cauernoſiſque locis maximi terræmotus excitantur. In Euripis quidem, quoniam ſpiritus, qui è terra efflare parati erant, iterum intra terram repelluntur: in cauernoſis vero, quoniam cum illic includuntur, egredi nequeunt. At inſulæ, quæ in medio mari iacent, minus terræmotus affliguntur, quoniam frigida aquarum copia frigiditas reddit aſpirationes, ac terreſtres concurſiones prohibet. Terræmotus durant, quouſque incluſi ſpiritus egrediantur. Quare, cum ij intra aliqua concluduntur loca, ex quibus egredi difficile eſt, tunc terræmotus longiſſimo tempore durant, cum præſertim magna ſpirituum copia exiſtit. Quod ſi exitus prohibeatur, loca, atque ipſæ etiam vrbes funditus diruuntur. Duo terræmotuum ex Ariſtotelis ſententia ſunt genera, tremor, ac pulſus: ille in latum vibrat, (quod raro contigit) hic ſurſum, ac deorſum quatit. Albertus Magnus plures terræmotuum enumerat ſpecies, quæ ad has duas facile reducuntur: quas qui noſſe deſiderat, ipſum perlegat.

Met. li. 2 c. 8.

De tonitruo, fulgure, procella, vortice, praſtere, ac fulmine. Cap. IX.

EX eadem calida, & ſicca aſpiratione tonitrua, fulgura, procellæ, vortices, præſteres, ac fulmina generantur. Nam, cum exhalatio quandoque in nubibus concludatur, in ſuperiorem locum ſuapte natura tendit; verum cum in nubem denſam, ac frigidam inciderit, deturbata præter naturam deorſum truditur, & ad circunſtantes alliditur nubes. Quod cum fit, plagam incutiat neceſſe eſt, ſonitumque edat, qui tonitru vocatur. Cumque nubis cauitates, in quas halitus hic incidit, ſint inæquales; & ex huiuſmodi conflictu varia ſonorumgenera procreantur. Interdum euenit, vt hæc aſpiratio exturbata tenui, imbecilloque ardore corripiatur: eaque eſt, quam fulgur, ſeu coruſcationem appellare conſueuimus. Fulgur autem poſt tonitru agitur, ſed ante tonitru videtur, quoniam viſus veluti tenuior aurium ſenſum præcedit; ſicuti in remigatione perſpicuum eſt. Nam, licet remos aquam percutientes videamus, ſonitus tamen multo poſt auditu percipitur. Tonitrui ſonitus cum aer vehementer commouetur, nonnunquam animalia proſternit, atque arbores frangit. Non defuerunt, qui ex tonitruo ſurdi euaſerint, cum aer commotus, & ad auditum violenter delatus, huius ſenſus organi meningens corrumperet. Atque eo, quem diximus, modo tonitru, ac fulgur generantur: quorum materia tenuis, neque valde copioſa exiſtit. Cum vero aſpiratio in nubibus contenta corpulentior, eſt, & copioſa, neque impeditur, quando repercuſſa ſecerni queat, tunc gignitur Ventus ecnephias, ſeu procella nominatus; qui ob celerem, ac vehementem ſecretionem violentus admodum eſt. Quod ſi ſpiritus à ſuperiori nube deturbatus ab inferiori prohibeatur, quo minus egredi poſſit, vt fieri ſolet, cum in anguſtius locis ventus concluditur, neceſſe eſt, cum neque ſurſum tendere, neque deorſum ferri poſſit, ipſum in latus ferri, ac demum circumuolui. Quare è ſuperiori in partem inferiorem exturbatus vertigines agit;

cum-

cumque in terram deſcenderit, denuo repercuſſus aſcendit, & ſecum quæcunque poteſt in excelſum contorta eleuat. Hic ſpiritus, ſi nullo ſuffundatur colore, Typhon, ſeu Vortex vocatur. quod ſi tenuior euaſerit, atque ex motu ignem conceperit, Præſter, ſeu accenſus turbo nuncupatur. ſin autem aſpiratio in nube incluſa copioſa ſit, vnita, ac tenuis, cum a nube ui detruditur, igneſcit, ac fulmen generatur. Fulminum vero tria ſunt genera, penetrans, diſſipans, & adurens. Primum ſubtiliſſimum eſt; ſecundum valde conglobatum; tertium mediam quandam naturam ſapere videtur. Ex ijs concludit Ariſtoteles, hæc omnia ſpiritum eſſe. accidit nonnunquam, ædes flamine ictas, antequam tangerentur, concuſſas eſſe. *Met. 3. c. 1.* Verum id mirum non eſt, quoniam ventus ſemper fulmen aut præcedit, aut ſubſequitur. Non deſunt, qui aſſerant, fulmen lapidem eſſe in nubibus genitum. Dicunt enim viſcoſam exhalationem quandoque in nubibus contineri, eamque concoctam lapidem euadere. Quod ego an verum ſit ambigo. Multi quidem, ac varijs effectus à fulminibus prodeunt, quos longum eſſet enumerare. Hæc omnia, quæ diximus raro æſtate, & hyeme; vere autem, & autumno crebro eueniunt. Hyeme enim aſpirationes raro aſcendunt, æſtate verò à Solis calore diſſipantur. At vere, & autumno neutrum accidit, cum neque nimius calor eas diſtrahat, neque frigus obſtet, quo minus afferantur.

De pluuia, rore, pruina, niue, & grandine. Cap. X.

IN media aeris regione gignuntur pluuia, ros, pruina, nix, & grando: quorum omnium eadem eſt materia, vapor, inquam, qui in hanc regionem à Solis calore eleuatur. Cum enim vapor euectus, ac multus ad mediam aeris peruenerit regionem, quæ frigidiſſima eſt (quoniam calor ex ſolarium radiorum repercuſſu productus eo non pertingit) caliditate deſtitutus, frigeſcit, atque in nubem coagulatur, & ex illo aqua oritur, quæ deinde in terram defluit. Quod ſi vapor denſari nequierit, galigo gignitur, pluuiæ

pręnuncia. Hæc verò intelligantur de ea caligine, quæ pluuiam præcedit, non de illa, quæ ſubſequitur. Hęc enim cum ſit nubis excrementum, ſerenitatis potius eſt ſignum, illa, tanquam nebula quædam ſterilis, pluuiam prænunciat. Is vapor, cum tenuibus partibus defluit, Gutta; cum plenioribus, Pluuia vocatur. Quandoque accidit, vt nubes ob nimium frigus congeletur. Quod cum fit, nix generatur. Cum verò vapor paucus eſt, & neque in altum ſatis tolli, neque in nubem cogi, neque congelari propter tempns ſubcalidum poteſt, demiſſus ros nuncupatur, qui tepido præſertim tempore multus decidit. Quod ſi ante geletur, quam denuo in nubem concreſcat, (quod hyeme, & frigidis in locis euenire ſolet) pruina appellatur. Efficitur autem tam ros, quam pruina, cum ſudum, ac placidum eſt cœlum, neque ventis exagitatur. Nam niſi cœlum ſit ſerenum, nihil in ſublimem euehitur: cum adſunt venti, nihil concreſcere poteſt. Neque hæc ambo in valde ſublimibus locis generantur, cum in altis montibus neque ros, neque pruina reperiatur. Id autem euenit, quia aer in montium cacuminibus aſſidue agitatus hos vapores diſſipat, ac diſſoluit. Cum verò cum calida, & humida exhalatione multum frigus aſcendit, inter utrunque pugna, antipariſtaſis vocata, exoritur, & frigus à calore circum obſidetur, & cogitur. Quod cum fit, ſi calor minor circumſteterit, nec valde preſſerit, ſolus imber generatur: ſin autem calor vehementius coegerit, tunc oritur grando, quæ nihil aliud eſt, quam gelu, ſeu aqua congelata; & pro guttarum conglaciatarum ratione quandoque minor exiſtit. Tepidis temporibus, vt vere, & autumno crebrior grando, quam æſtate, aut hyeme decidit. Aduerſus enim ille in nubibus conatus his præſertim temporibus excitatur, cum æſtate ſiccitas, hyeme frigiditas hunc fieri conatum prohibeat. Altis in montibus rarò grandines gignuntur. Quod indicium eſt, ipſas in imo potius, quam in alto loco generari. Aqua igitur fit, cum vapor in nubem condenſatur; nix, cum nubes tota gelatur; ros, cum vapor neque ſurſum ſatis aſcendit, neque congelatur; pruina, cum concreſcit, priuſquam in nubem coeat; grando, cum pluuia ob antipariſtaſim congelatur.

De ijs, quæ in ſublimi ex repercuſſu fiunt. Cap. XI.

SVNT quædam in ſublimi apparentia, quę repercuſſu aut viſualium radiorum ad Solem, aut Solarium radiorum ad aſpectum fiunt, quæ ſiue hoc, ſiue illo pacto eueniant, nihil refert. Nam, qui viſionem emiſſione viſualium radiorum fieri aſſerunt, quales ſunt Platonici, hi eoſdem radios ad Solem reflecti ex neceſſitate fatentur: qui vero, vt Peripatetici, ſpecierum viſibilium receptione res videri autumant, Solares radios ad aſpectum reflecti aſſeuerare coguntur: quanquam Ariſtoteles, qui ſecundo lib. de anima affirmat, res cerni viſibilium ſpecierum receptione, Meteororum lib. tertio, tanquam ſuorum dogmatum oblitus, effectus illos, quos mox enarrabimus, reflexione viſualium radiorum ad Solem prouenire exiſtimauit. Hi autem ſunt, Halo, Iris, Parelia, & Virgę. Quorum vt exactior habeatur cognitio, prius aliqua de radijs ſunt exponenda, quæ rei ipſi maxime conducunt. Radiorum itaque alius eſt rectus, alius reflexus, alius fractus. Rectus eſt, qui a cono pyramidis viſualis ad eiuſdem baſim recta protenditur. Conus autem eſt in oculo, baſis vero in ſuperficie rei viſæ. Hic radius in perſpicuum corpus incidens, illud tranſgreditur, neque, dum eius vis manet, ſubſiſtit, donec in denſum aliquod incidat corpus, à quo non in rem aliam reflectitur, ſed in ſe ipſum tantum reuocatur. Radius reflexus eſt, qui cum minime perpendicularis ſit, ſed potius obliquus, denſo alicui obiecto occurrens, quoniam illud pertranſire nequit, retro conuertitur. Is radius quandoque in aliquod incidit obiectum, quod aut ſpeculum eſt, aut ſpeculi rationem obtinet: quod ſi fuerit perſpicuum læue, & magnum, cum æqualis, ac libera fiat omnium radiorum reflexio, non modo color, ſed etiam ſimulacrum rei viſę aſpectui offeretur. ſin autem fuerit aſperum, nihil horum continget. ſi verò fuerit paruum, ac

Cap. 7. à c. 2. vſque ad finem lib.

læue, color quidem videbitur, ſed effigies minime cernetur. Idem accidet, ſi ſpeculum ſit læue, ſed inæquale. Is autem color non ſemper qualis eſt apparet: quandoque enim aut quoniam ſpeculi colore admiſcetur, aut ob aſpectus imbecillitatem diuerſi coloris faciem exhibet. Quandoque verò contigit, radium in obiectum non ſolum denſum, verum etiam cauum incidere: quod cum fit, radius ſcindatur neceſſe eſt, adeo, vt altera pars huc, alia illuc reflectatur. Cum autem euenit, vt oculus, res viſa, & obiectum, à quo fit reflexio, in eadem recta linea inueniantur, quilibet radij eiuſdem potentiæ in orbem reflectuntur. Radius fractus eſt, qui ex medio aliquo perſpicuo in aliud perſpicuum, ſed diuerſa perſpicuitate affectum, tranſiens tandem frangitur. Radius enim in denſum obiectum incurrens, reflectitur: ſin autem in perſpicuum ex perſpicuo, non eiuſdem tamen perſpicuitatis inciderit, cum non omnis progrediendi facultas ei ſubtrahatur, procedit quidem, ſed quoniam non eadem eſt procedendi potentia, ob perſpicuitatis varietatem frangitur, & quouſque potentia durat, progreditur. Id vero patitur radius ab omni corpore perſpicuo, vt cryſtallo, aqua, aere, & id genus reliquis. His ita breuiter declaratis, propoſitarum affectionum cauſas, atque accidentia explicauimus.

De Halone, ſeu Corona. Cap. XII.

HALO, ſeu Corona appellatur circulus, ſeu circuli portio, quæ in modum coronæ Solem, Lunam, aut aliud quoduis ſidus redimere videtur. Huius media candida eſt, ambitus niger. Halo hoc pacto generatur. Cum vapor, nondum in nubem verſus, aſcendit, in paruas guttas, veluti ſpecula quædam, mutatur; quæ ob exiguitatem, licet rei viſæ referant colorem, imaginem tamen repræſentare nullo modo poſſunt. Cum itaque acciderit, vt hic vapor inter ſidus, & noſtrum aſpectum interponatur, aſpectus à caligine circum ſidus, vt apparet, coacta ad idem ſidus reflectitur: cumque omni ex parte æque reflectatur, neceſſe eſt halonem pro vaporis proportione aut integrum orbem, aut orbis partem eſſe. Candor, qui in halone conſpicitur, ſidus eſt, cuius figura propter ſpeculorum exilitatem videri nequit. Coronæ

næ pars media, vt diximus, candida eſt, ambitus ſubniger. Huius rei ea cauſa eſt, quod viſiui radij ad medium ducti validiores ſunt ijs, qui ad ambitum ducuntur: radij enim, quo minus à perpendiculari diſtant, eo ſunt valentiores. Quod æſtate in Solis radijs aperte experimur. Validiores autem radij magis, quam imbecilliores, ſideris colorem referunt. Fit autem hæc imago non longe à terra. Is enim locus quietior eſt, ac tranquillior, cum à ſpiritibus minus vrgeatur. Corona frequentius circa Lunam, & cætera aſtra, quam circa Solem aſpicitur. Sol enim huiuſmodi coagmentationem citius labefactare, & deijcere ſolet. Aeſtate, & hyeme coronæ raro apparent, ſæpe vere, & autumno. Nam cum huiuſmodi affectiones moderatum frigus, moderatumque calorem requirant, ne vapores aut ab illo nimis denſentur, aut ab hoc diſſoluantur, hinc euenit, vt hyeme, vel æſtate raro appareant. Vere autem, & autumno, cum vtraque cauſa eſſet, crebrius texuntur. Fiunt vero tum die, tum nocte, tũ circa meridiem, tum pomeridianis horis; verum oriente, occidenteue Sole rarius. Coronarum contextus aquam prænunciant, quamquam cum aut diſtrahitur, aut lente tabeſcit, nunc tranquillum cœlum, nunc ventoſum portendit. Diſtractio enim ventorum argumentum eſt, trabes tranquillitatis.


B
D
E
C
F
A

De Iride. Cap. XIII.

EX eiſdem prope cauſis generatur arcus, quem Iridem appellamus. Is duplex plerunque eſt, interior, & exterior, atque ille ab hoc continetur. Vtriuſque ambitus triplex, ac tricolor ſpectatur: alius enim puniceum, alius viridem, alius cœruleum colorem refert. Verum exterioris arcus colores paulo obſcuriores apparent. Non autem eodem ordine colores in exteriori, atque interiori arcu diſponuntur. Interioris enim ſupremus ambitus puniceus eſt, medius viridis, infimus cœruleus, eum præſeferens colorem, quem violaceum, ſeu pauonaceum vulgo appellamus. At exterioris infimus puniceus eſt, medius viridis, ſupremus cœruleus. Arcus nunquam circulus integer exiſtit, neque maior, quam dimidius vnquam videtur, licet quandoque ſemicirculo minor appareat. Nam oriente, occidenteue Sole, quanquam ambitus minores extant, ſemicircularis inſpicitur: cum vero Sol altiorem locum obtinet, ſemicirculo minor ſpectatur, quamuis per id temporis ambitus exiſtant maiores. Hyeme arcus qualibet diei hora conſiſtere poteſt; æſtate uerò circa meridiem nunquam conſpicitur. Fit igitur Arcus hoc pacto. Cum vapor in nubem coierit, atque hæc in guttas quæ tamen non dum defluunt, verſa fuerit, hæ guttæ veluti ſpecula quædam euadunt. Cum itaque è nubis regione Sol conſtiterit, & Solis lumen in guttas inciderit, hæ ſpeculorum more Solis aliquid exprimunt;



cumque ob exiguitatem eius imaginem oſtendere nequeant, colorem ſaltem, continuumque coloris tractum, cum ſpecula continua ſint, repræſentabunt. Ita Sole aduerſus nubem locato, ſi in eadem recta linea aſpectus inter Solem & nubem, quæ cauſa eſt, conſtituatur, à ſtillis, quæ ſpeculorum vice funguntur, ad Solem reflectitur, atque hæc arcus emphaſis perficitur. Materialis igitur arcus cauſa ſtillis in nube exiſtentibus aſcribenda eſt, efficiens Soli. Formalis nihil aliud eſt, quam ipſamet arcus emphaſis, quam apparentiam vocare liceat. Finalis quærenda non eſt, cum in naturalibus finis, & forma idem cenſeantur. Colorum in arcu varietas tum à varia Solaris luminis, ſeu albi cum nigro (nubes enim nigra eſt) permixtione, tum à maiori, minoriue viſualis radij vi prouenit. Cum enim album nigro admixtum eſt, quo validior erit radius, eo candidius apparebit; quo imbecillior, eo obſcurius. Incidens itaque aſpectus radius in nubem Solaribus radijs illuminatam, in primo ſpeculorum ambitu puniceum percipit colorem, ab albo quidem deficientem, ſed viridi candidiorem: talis enim color in nigro illuſtrato primo apparet. Cum vero ad ſecundum ambitum peruenerit, langueſcit, coloremque viridem puniceo nigriorem aſpicit; cum autem tertium ambitum contigerit, multo debilior effectus cæruleum colorem ad nigrum maximè accedentem intuetur. Demum radius penitus debilitatus alium colorem con-

conſpicere nequit. In exteriori arcu hi colores ob radij maiorem imbecillitatem, quæ à longiori diſtantia prouenit, obſcuriores apparent. Cur autem in ſecundi arcus ambitu colores non eodem, quo primi, ordine diſponantur, magna eſt inter Philoſophos altercatio. Nos autem (nihil tamen aſſerentes) arbitramur, id euenire, quoniam radius ab oculo egrediens in nubis cauitatem incidens, vno, eodemque ictu inter ſupremum interioris arcus ambitum, ac exterioris infimum incurrit. Quare ibi in duas partes ſectus, altera eius pars in ſuperiorem, altera in inferiorem locum reflexa tendit, & altera interiorem, altera exteriorem arcum producit. Id verum eſſe, viridis color in vtriuſque medio ambitu ſitus demonſtrat. Nam ſicut radij altera pars, quæ deorſum flectitur, deſcendendo primo loco puniceum, ſecundo viridem, tertio cœruleũ colorem refert; ita altera pars, quæ aſcendit, eodem ordine illos percipit, & à puniceo in viridem, à viridi in cœruleum fertur. Nonnunquam inter puniceum, viridemque ambitum color quidam veluti flauus videtur. Verum is non eſt Iridis color, ſed talis ex colorum diſpoſitione apparet, quoniam ſcilicet puniceus iuxta viridem poſitus flauum neſcio quid referre ſolet. Figura arcus ſuapte natura eſt circularis. Nam, vt ſupra diximus, quoties euenit, veluti in arcu, vt oculus, res viſa, & corpus, à quo fit reflexio, in eadem recta linea inueniantur, neceſſe eſt, quaſlibet eiuſdem potentiæ reflexiones circumduci. Cur ergo arcus circuli ſectio eſt, non circulus? Quoniam terra impedit, quo minus circulus videri poſſit. Quapropter ex perſpectiuorum ſententia, ſi quis eſſet in centro mundi, & terræ moles non obſtaret, hæc emphaſis, cum perfecta eſt, (de hac enim loquimur) non arcus, ſed integer, ac perfectus circulus appareret. Oriente, occidente ue Sole arcus ſemicircularis eſt, quoniam Sol nubem aduerſam aſpiciens in ſpecula omnia in nube exiſtentia lumen iacere poteſt. eleuato autem Sole, cum id fieri nequeat, neceſſe eſt, arcum ſemicirculo minorem eſſe; quantoque altius, ac rectius lumen in nubem incidit, tanto minores arcus ſectiones apparent. Atque hęc etiam cauſa reddenda videtur, cur æſtate meridie arcus non fiant, hyeme vero qualibet hora aſpiciantur. Nam æſtate Sol meridie ſupra nubem incidit, hyeme verò ipſam aduerſam ſemper reſpicit. Arcus circa Lunam raro conſpici ſolet, tum quod colores in tenebris lateant, tum quod, quæ nocte fiunt, non adeo diligenter obſeruantur. Hunc arcum plenilunio tantum ſpectari Ariſtoteles eſt auctor. Albertus verò à ſe viſum dicit, Luna vtrinque gibba exiſtente. Dubitant aliqui, an ante *Met.lib.3 cap.2.*

A a a dilu-

Gen. 9. diluuium arcus fuerit in nubibus, icciroo, quod ſcriptum eſt in Geneſi, arcum datum fuiſſe à Deo, vt eſſet ſignum, ipſum poſthac diluuium non eſſe in terram immiſſurum. Ita enim ibi Moyſes teſtatum reliquit: Dixit Deus: Hoc eſt ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum in generationes ſempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram: cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omnī anima viuente, quæ carnem vegetat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem. Hæc Moyſes. Sed certè dubitandum non eſt, quin arcus etiam ante diluuium fuerit, cum ſit effectus naturalis: ſed conſtituit Deus, vt is effectus, quanquam naturalis, ſuæ voluntatis diſpoſitionem hominibus indicaret, ſe ſcilicet, quouſque arcus in nubibus aſpiciuntur, nunquam aquis diluuij terram perditurum. Addit Albertus Meteororum tertio, arcus apparitionem per magnum tempus quencunque cataclyſmum excludere, ſiue ille per aquam, ſiue per ignem ſit futurus, Puniceus enim color, qui rubro aſſimilis eſt, ex humido inflammato prouenit, atque icciroo ſignificat aquam igni non dominari. Viridis verò, cum ex aqueo indigeſto procreatur, indicat, ignem aqua potiorem non eſſe. Cum igitur hi colores oſtendant, neque ignem ab aquam, neque aquā ab igne ſuperari, conſequitur, arcus apparitionem quencunque cataclyſmum excludere. Hæc Alberti opinio ſatis eſt ingenioſa, ſed, quam vera, cæteri dijudicent.

De Parelijs, & Virgis. Cap. XIV.

INTERDVM in cœlo Parelia, hoc eſt Solis geminatæ imagines, nec non & Virgæ apparent. Horum vtrunque neque ab oriente, neque ab occidente, ſed ad latera Solis, hoc eſt, ad Auſtrum, aut Boream videtur. Neutrum noctе fit, ſed Sole ſe ſe exerente, aut abdente, & crebrius ſeſe abdente. Raro etiam fit Sole medium cœlum tenente, quod quandoque in Boſphoro accidiſſe Ariſtoteles tertio Meteororum refert. Cum itaque ſpiſſæ caliginis nondum in aquam verſæ, quæ vtrorumque materia eſt, conſtitutio

Met. 3. cap. 2.

æqua-

æquabilis eſt, adeo, vt omni ex parte æquè denſa ſit, tum ſi à caligine aſpectus ad ſidus reflectatur, cum ſpeculum magnum, ac perpolitum ſit, non modo ſideris color, ſed etiam imago exprimitur: & quoniam ſidus album eſt, parelium quoque ex neceſſitate, eſt album. Quod ſi caligo inæqualis ſit, & alia ipſius pars denſa, alia rara, alia magis, alia minus aquoſa exiſtat, Solis imago nequaquam exhibebitur ſed tantum color; atque is pro varia luminis cum nigro admixione varius, nunc puniceus, nunc viridis, nunc flauus repræſentabitur, ac ob ſpeculorum inæqualitatem virgarum ſpeciem præſeferet. Parelia, vt diximus, neque ad ortum, neque ad occaſum, ſed ad latera fiunt. Nam ſi prope caligo extabit, diſſoluetur: ſin longe, viſus reflexio ob radiorum imbecillitatem non ſubſequetur; ſed ad latera neutrum horum incommodorum contingit. Rarò hæ affectiones circa meridiem eueniunt, quoniam conſtitutio aut à Sole diſſoluitur, aut ob Solis lumen, quod illam excellenter illuſtrat, videri minimè poteſt. Harum affectionum vtraque aquam prænuncia, ſed magis Solis imago: Aeris enim albedo aquæ generationem prope futuram indicat. Parelia raro circa Lunam viſa ſunt, ſed circa Solem ſæpe conſpecta fuere.

De Foſſilium generatione. Cap. XV.

DEINCEPS de foſſilium generatione breuiter agamus. Foſſilia vocamus, metalla, lapides, ac pulueres. Ariſtoteles tertio Met. lib. metalla ex vapore, calido ſcilicet atque humido halitu, gigni exiſtimauit. Verum hæc opinio non facile ab omnibus recipitur: conſtat enim, metalla ex aqua, ac terra componi. Atque aquam ipſorum compoſitionem ingredi illud oſtendit, quod metalla igni liquefiunt; aere verò, ac frigore concreſcunt: quod aquis tantum conuenit. Terram verò cum aqua admixtam eſſe neceſſe eſt. Aqua enim diffluerct, neque ſuo loco conſiſtere poſſet, niſi terra ipſius fluxionem prohiberet. Verum terræ elementum metallis dominatur, ſi enim aqua dominaretur, profectò metalla perſpicua eſſent. At contrarium videmus: quamuis n. aliqua, vt aurum, & argentum fulgeant, tamen perſpicua minime exiſtunt. Vaporem quoque non eſſe metallorum materiam, eorum grauitas indicat; licet enim coquantur, licet expur- *Cap. vlt.*

Aa a 2 gentur,

gontur;tamen grauitatem ſemper obtinent. Atqui vapor leuis eſt, & à colore facile ſubleuatur. Alij, vt chimiſtæ dicunt, metallà ex argento viuo,& ſulphure componi. Atque, in hanc videntur veniſſe ſententiam, quod arbitrantur, ex argento uiuo, & ſulphure metalla eorum arte poſſe confici. Vtrum hos, eorumque opinionem prætereamus. Auicenna, quem ſequimnr, cenſet, ſuccum eſſe metallorum materiam. Succus autem eſt aqua terræ admixta, hoc eſt, aqua, quæ terram ſubuertit, aut abraſerit. Terra autem tanta eſſe debet, quanta aquæ perſpicuitatem obſcuret, fulgorem verò non auferat. Verum, quota aquæ, terræue portio in hanc admixtionem concurrat, ignotum eſt: quanquam dubitari non debet, ex diuerſa terræ, & aquæ admitione, & ſucci concoctione diuerſa metallorum genera procreari; atque inſuper, ex puriori coagmentatione pretioſius fieri metallum, quodq; igni magis reſiſtat. Cauſa efficiens duplex eſt, altera, quę metallum coquit, altera, quæ aſtringit. Color coquit, atque is potiſſimum, qui Solis vi per omnia permeat: frigus verò aſtringit. Sunt, qui cenſent, metalla ſiderum errantium influxu generari. Quare aurum Soli, argentum Lunæ, ferrum Marti, argentum viuum Mercurio, ſtannum Ioui, æs Veneri, plumbum Saturno aſcribunt. Differunt verò metalla non ſolum puritate, ſed etiam colore, fulgore, ſapore, odore, pondere, ac facultatē. At lapides, quorum alterum genus liquatur, alterum liqueſcere nullo modo poteſt, Ariſtoteles ex calida, & ſicca exhalatione generari aſſeuerat. ſed certe mihi perſuadere nunquam potui, lapides ab exhalatione gigni. Quomodo enim ſiccum abſque humido commiſceri,& coagulari vmquam poterit? ſiccum enim abſque humido non lapis,ſed potius puluis euadet. Lapides verò liqueſcentes tales eſſe nequeunt, niſi ex aqua etiam conſtent. Gemmas quoque multas cernimus more cryſtalli, aut ſpeculi cuiuſdam perſpicuas eſſe. Nihil verò, in cuius mixtionem aquæ pars maxima non venit, perſpicuum eſſe poteſt. Quapropter cum Auicenna exiſtimamus, lapidum, quæ non liquefiunt, neque perlucent, materiam nihil aliud eſſe, quam lutum. lutum verò eſt terra, aqua madefacta: atque in eo differt à ſucco, quod in luto plus terræ, quam in ſucco reperitur. Nam lutum tenax primum à calore conſtringitur, & in mediam quandam naturam inter lutum,& lapidem tranſit: deinde aſſiduè exiccatum in lapidem vertitur. lapidum autem liqueſcentium materia eſt ſuccus craſſus, & lentus. Nam is non difficulter in lapidem mutatur. perſpicuorum vero materia eſt ſuccus, in quo terræ de fæcatæ non magna

Met. lib. 3. c. vlt.

gna

gna pars ineſt. lapidum itaque materia erit tum lutum lentum, ac tenax; tum ſuccus craſſus, & lentus; tum ſuccus, in quo parum expurgatæ terræ continentur. Cauſa verò efficiens in liqueſcentibus eſt tum frigus aſtringens, tum calor coquens terrę viſceribus incluſus: in cæteris autem non perſpicuis ſolus calor: is enim ſolus lutum exiccando ipſum tandē in lapidem conuertere aptus eſt: in perſpicuis verò tum calor coquens, tum frigus adſtringens. Pro materię diuerſitate varia ſunt lapidum diſcrimina. Differunt enim inter ſe perſpicuitate, ac nitore, ſeu eorum oppoſitis, obſcuritate, ac ſqualore. Illi enim ex puris, & perlucidis ſuccis, hi ex impuris, ac turbidis componuntur. At pulueres à ſicca admodum materia generantur, qui pro locorum, vbi naſcuntur, varietate diuerſis coloribus inficiuntur.

De Plantarum generatione. Cap. XVI.

PLANTAE, etſi animalia non ſunt, inter animata tamen connumerantur. omnes ex ſemine procreantur. In omnibus enim ſemen reperitur, ut primo libro de plantarum cauſis Theophraſtus luculenter oſtendit. Idipſum apertè Moyſes deſcribit his verbis: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. & factum eſt ita. Hæc Moyſes. Verum multæ plantæ non ſolum ex ſemine, ſed etiam ſponte producuntur. Idque nihil mirum eſt, cum quædam animalia, quæ plantis perfectiora ſunt, vtroque modo proueniant: quales ſuut mures, qui licet ex coitu procreentur, tamen ex putredine quoque generantur. Id videre licet in nauibus nuper factis, & in altum adductis. Nam quamuis in eas nulli ingreſſi fuerint mures, tamen non poſt multos dies mures in eis cernes. Alijs quoque modis plantas prodire patet, videlicet radice, auulſione, ſurculo, ramo, trunco, ac ligno minutatim conciſo: quos qui exactè nos deſiderat, Theophraſtum loco citato, & ſecundo libro de hiſtoria plantarum perlegat.

Cap. 1. Gen. 1.

De

De Generatione animalium. *Cap. XVII.*

ANIMALIVM quædam ex coitu maris, & fœminæ, quædam ſponte ex putrida materia generantur. Quæ itaque ex coitu gignuntur, quædam animal intra ſe generant, ac pariunt, veluti homo, bos, equus, & his ſimilia; quædam oua intra ſe generant, & animal pariunt, vt vipera, & cartilaginea, rana excepta; alia oua intra ſe generant, & pariunt perfecta, ex quibus deinde pulli excluduntur, vt aues, & ſerpentes omnes, prẹter viperam; alia intra ſe oua generant, & eadem pariunt imperfecta, quæ foris incrementum ſuſcipiunt, & perficiuntur, vt piſces, cruſtata, & mollia; alia, veluti quædam inſecta, gignunt vermiculum, qui totus in animal vertitur. Horum omnium cauſa vniuerſalis eſt Solis calor: is enim per Zodiacum incedens omnium rerum, ne dum animalium, generationi præeſt. Principia itaq; generationis proxima ſunt mas, & fœmina, in animalibus præſertim perfectis: ſed mari agentis, fœminæ materiæ, ac recipientis principium aſcribitur. Cum enim mas cum fœmina coit, ſemen emittit, quod in fœminæ vterum recipitur. An verò ſeminum mixtio in coitu fiat, adeo vt mulier quoque ſemen emittat, quod cum maris ſemine commiſceatur, mox declarabimus. Sed prius ſeminis naturam exponemus. Semen album, & craſſum eſſe
Her. li. 3 nemo eſt, qui dubitet, niſi fortaſſe Herodoti fabulis fidem adhibeat, qui Indorum, & Aethiopum ſemen nigrum eſſe ſcriptum reliquit.
Cap. 2. Verum Ariſtoteles ſecundo de generatione animalium ipſum redarguit. Præterea liquet, ſemen non conglaciare, ſed potius aquoſum euadere.
De gen. ani. li. 1. *cap.* 18. Verum nonnulli, vt Ariſtoteles refert, arbitrati ſunt, ſemen eſſe, veluti liquamen quoddam, & ex omnibus corporis partibus decidi. Hanc opinionem ipſe confutat, atque inſuper oſtendit, ſemen eſſe alimenti excrementum. Duplex verò eſt excrementum, alterum vtile, alterum inutile. Vtile eſt, quod ab vtili alimento ſegregatum, naturæ alicui eſt vſui: inutile, à quo nihil adiumenti naturæ ſubminiſtratur, ſed ipſum potius oneri exiſtit, quales ſunt fæces. Inſuper alimenti vtilis duplex

eſt

eſt excrementum, primi, & vltimi. Primi eſt pituita, quæ cum cibo permixta alere poteſt, & labore abſumitur. Secundi eſt ſemen, quod à natura factum eſt, tum vt animalium ſpecies conſeruentur, tum vt hoc ipſo natura adiuuetur, ac roboretur. Seminis natura ſanguinea eſt: eſt enim Semen ſanguis expurgatus, atque optime concoctus. & icciirco albeſcit. Multum quoque ſpiritus in ſemine eſt. quare craſſeſcit. Nam quod ex humido, & ſpiritu conſtat, præterquam quod albeſcit, etiam craſſeſcit, vt videre eſt in ſpuma, quæ ob ſpiritum craſſeſcit: qui cum euanuerit, ac aer refrigeratus fuerit, ſemen humidum, ac nigrum euadit. Neque congelat, quia aeris potius, quam aquæ naturam imitatur, cum calidum ſit, & humidum. Aer vero non conglaciat, licet aſtringatur. Semen hoc ad generationem perfectorum animalium adhibetur, ac ſine ipſo animal generari nequit. An verò, vt animal generetur, mixtio ſeminum requiratur, magna dubitatio eſt. Ariſtoteles enim cenſet, ſolum marem ſuggerere ſemen, in quo genitura, hoc eſt viuidus calor generationem perficiens, reperitur, fœminam verò ſolam materiam ſubminiſtrare. Hanc verò nihil aliud eſſe, quam menſtruum ſanguinem, cuius aliqua portio ſemper in vtero inuenitur. Cum igitur, inquit ipſe, ſemen vteri calore tractum, ibi cōſtiterit, & cum ſanguine menſtruo permixtum fuerit, viuidus calor, qui in ſemine eſt, materiam vnit, & coaguli modo aſtringit, illamque aſſidue fouens in animal conuertit. Verum anotomici deprehenderunt, vaſa ſeminaria non modo in maribus, ſed etiam in fœminis exiſtere, in quibus ſemen adeo concoctum, & album eſt, vt ſemen maris eo candidius non extet. Cur ergo natura ſemen in illis partibus collocauit, niſi vt generationi deſeruiat, cum hanc potiſſimum ob cauſam natura illud reſeruet? Similitudo quoque filiorum, ac matrum inter ſe perſuadet, fœminam etiam ſemen ſuppeditare. Hæc ſententia mihi ſemper probabilior viſa eſt. Verum, quantum per me licet, liberum erit cuique quam velit opinionem tueri. Sed, quonam in genere cauſæ ſemen reponemus? Dicimus, in ſemine aliquid eſſe, quod materiæ vicem præbet, atque id eſſe ſanguineam corpulentiam, & maſſam; alterum verò, quod monet, atque agit, viuidus ſcilicet calor in ſemine incluſus, qui vna cum ſemine emittitur. Iſque vt ſentit Ariſtoteles, non ignis calori (ignis enim nullum animal gignit) ſed ſtellarum calori proportione reſpondet. Cauſa itaque generationis vniuerſalis Sol eſt: propinquæ ſunt mas, & fœmina, quarum ille agit, hæc patitur: propinquiſſimæ ſunt, ſanguinea maſſa concocta, & genitura.

De gene. ani. li. 1. cap. 20.

2. de gene. ani. cap. 3.

tura, hoc eſt, viuidus calor in ea incluſus, quorum vtrunque ſeminis voce rectè comprehendi poteſt. Primum, quod in animali generatur, cor eſſe Ariſtoteles ſecundo de generatione animalium affirmat. Anatomici repugnant. Nam experientia edocti deprehenderunt, in homine prius iecur, quam cor exoriri. Quæ deinde partes alia poſt aliam procreentur, ſcitu difficile eſt. Quare hanc prouinciam anatomicis, cæteriſque curioſis relinquimus. Hæc ad generationem animalium, quæ animal intra ſe generant, & pariunt, explicandam ſatis eſſe arbitramur. Deinceps de reliquorum generatione ſermonem faciamus; ea, quæ ouum edunt perfectum, vt gallinæ, columbę, & id genus reliqua, ouũ edunt cruſta intectum, durum, & bicolor. Nam quædam eius pars alba, quedam lutea eſt. Initium generationis à candido eſt, cibus à luteo aſſumitur. Auium, & ſerpentium generatio incubante, & coquente parente perficitur: ſed quadrupedum, vt teſtudinum, lacertarum, & crocodilorum oua terræ tepore, ſiue parentis incubitu coqui poſſunt. Diſſimilitudinis ratio eſt, quod illa, vt imbecilliora, parentem deſiderant; hæc, quoniam ſunt validiora, tepore & calore coquuntur. Viperæ autem, & cartilaginea omnia, præter ranam, quæ ouum ſolidum, ac durum edit; cum oua intra ſe pepererint, temporis progreſſu animal iam perfectum excludunt. omnium oua mollia ſunt, & vnicolora. Piſces, exceptis cetaceis, quæ animal intra ſe generant, imperfecta atque vnicolora edunt oua. Huius rei cauſa fœcunditati tribuitur. Nam cum piſcium genus fœcundum ſit, fieri non poteſt, vt tot oua intra ſe perficiantur. Quare foras emittuntur. ſupra quæ iam emiſſa mas albo lacte, in quo viuidus eſt ſpiritus, aſpergit. Quapropter lac agentis, oua materiæ vicem gerunt. At inſecta, cum coierint, vermiculum edunt conceptum cæteris multo inperfectiorem, qui deinde paulatim incrementum recipit, ac totus in animal vertitur. Nam cum ſuæ magnitudinis finem acceperit, quaſi ouum efficitur, & in motum permanet. Poſtea rapto putamine animal egreditur. Non deſunt animalia, quæ ſponte naſcuntur, atque in terra, humoreque generantur. Hæc enim materiam ſuggerunt; calor autem per omnia diffuſus vitam tribuit, & agentis munere fungitur, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor in vniuerſo ineſt. Verum quædam animalia ſecundum totam ſpeciem à putrida gignuntur materia, vt muſcæ, pulices, anguillæ, inſectorum nonnulla, teſtacea, compluraque alia. Hæc vt plurimum, neque coeunt, neque generant, & ſi qua coeunt, & generant, vt muſcæ, ac pediculi, non generant, ſibi ſimile,

Cap. 4.

mile,

mile, ſed aliquid, ex quo nihil præterea oriatur: illæ enim non muſcas, , ſed vermiculos, hæ verò lendines gignunt. At neque ex lendinibus, neque ex vermiculis aliquod animal rurſus prodit. Quædam verò licet ex coitu generentur, tamen ſponte quoque naſcuntur, vt mures, & apes: quæ licet ſponte procreentur, nihilominus ſibi ſimile gignunt, quicquid Auerroes, eiuſque ſectatores comminiſcantur. Nam mures ſponte natos, vt ſupra oſtendimus, generare compertum eſt.

Quamobrem nunc mares, nunc fœminæ generentur, & de ſimilitudine filiorum ad parentes: ac de monſtris. Cap. XVIII.

AT, quoniam, vt ſupra docuimus, in generatione mari, ac fœmina opus eſt, optima parens natura prouidit, vt non omnes, aut mares, aut fœminæ, ſed hi mares, illę fœminæ naſcerentur. Huius rei cauſa aliam Ariſtoteles, aliam anatomici cum Democrito (quanquam huius opinionem Ariſtoteles improbat) aſſignauere. *4. de gen. ani. c. 1.* Ille enim cum ſibi perſuaſiſſet, ſolùm marem ſemen, ac genituram ſuggerere, fœminam verò materiam tantum præbere, dixit marem generari, cum maris ſemen ſuperat. Quod ſi id euictum fuerit, fœminam oriri. Anatomici autem, qui ſeminum mixtione generationem fieri probant, aſſerunt, marem gigni, cum maris ſemen ſuperarit, non ſecus, ac Ariſtoteles ſenſit; fœminam autem prouenire, cum fœminæ ſemen, in quo etiam uiuidam facultatem contineri aiunt, euicerit. Florens quoque ętas non nihil ad maris generationem conducere videtur: nouella enim, aut ſeneſcens ætas fœminæ potius procreationi idonea eſt, cum in altera calor adhuc perfectus non ſit, in altera deficiat. Intereſt etiam qualenam ſemen maris exiſtat, calidum ne, an frigium: ex illo enim mares, ex hoc fœminę potius procreantur. Eædem propemodum cauſę ſunt, quare filij parentibus, vt plurimum, ſimiles ſint. ſed euenit interdum, vt, quamuis maris ſemen vicerit, ac

mas genitus fuerit, mas tamen matri, non patri ſimilis reddatur. Huius rei ea cauſa eſt, quod maris ſemen non penitus ſuperauit, ſed partim vicit, partim victum eſt; & quatenus vicit, ex eo mas factus eſt; quatenus autem victum eſt, in mari aliqua fœminæ ſimilitudo remanſit. Idem dicendum eſt, cum fœminę maribus aſſimilantur. Cum autem ſemen iam degenerare incipit, filij parentibus nequaquam ſimiles naſcuntur, ſed aliquando auos, alioſue conſanguineos referunt, aliquando cognatorũ nemini ſimiles cernuntur. Nam ſi parum degenerauit, nati cognatis ſunt ſimiles; ſin multum, cognatorum nulli ſimiles ſunt: & quo magis degenerat, eo minus filij parentibus ſunt ſimiles. Ex ſeminis quoque exceſſu, defectuue quandoque accidit, vt animal nunc læſum, nunc mancum, nunc deforme, nunc alia ratione monſtruoſum euadat.

De Sterilitate. *Cap. XIX.*

ILLVD quoque mirum videtur, quòd interdum animalia, quorum natura fœcunda eſt, aut ſterilia naſcuntur, aut, cum prius fœcunda fuerint, ſterilia euadunt. Verum illud admirabilius, quòd muli, quanquam ex parentibus fœcundis oriuntur, omnes tamen ſiue mares, ſiue fœminæ ſteriles eſſe dignoſcuntur. Quod ſi quando vſu venit, vt vel mas generet, vel fœmina concipiat, partus ſuperuiuere nequit; cum tamen cætera animalia, quæ ex diuerſarum ſpecierum animalibus oriuntur, hoc vitio minime laborent. Quod ſterilia animalia quandoque naſcantur, illud in cauſa eſt, quod à primo ortu, aut ſemen vitiatum eſt, aut loca ad coitum conſtituta læduntur. ex quo fit, vt tum mares imberbes perſeuerent, & ſpadones euadant, tum fœminæ non pubeſcant. Quod verò tractu temporis alijs idem affectus accidat, multæ ſunt cauſæ. Interdum enim cum mas, aut fœmina pingueſcunt, ſteriles fiunt; quoniam ſemen nutritioni, & auctioni corporis potius, quam generationi deſeruit. Quandoque ad vitium ex morbo contrahitur. Nam animalia ita vitiata humidum, frigidumque ſemen emittunt. Tale autem ſemen ſterile eſt. Fœcunditas autem ſeminis in aqua probatur. Nam ſi ſemen in aqua inijciatur, ſterile, vt inconcoctum, ac tenue ſupernatat; fœcundum, quod concoctum ſit, & craſſum, in imum deſcen-

deſcendit. Nonnunquam locis ad Venerem accommodatis oblæſis fœcunda ſterileſcunt. Muli autem omnes tam mares quam fœminę ſteriles ſunt, quoniam eorum ſemen infœcundum eſt. Cuius rei eam cauſam eſſe arbitramur, quòd mulus ex aſino, & equa generatur, aut ex equo, & aſina. Aſini ſemen frigidum eſt, equi calidum. Cum itaque calidum frigido commixtum fuerit, ex huiuſmodi mixtione aliquid generari poteſt, & quod genitum eſt ſuperuiuit. Illud verò, quod ex ijs genitum eſt, tan quam ex vitiato ſemine progeneratum, infœcundum habet ſemen, & ſterile ex neceſſitate permanet; &, ſi aut mas generet, aut fœmina concipiat, neutrum ſuperuiuere poteſt.

De Potentia nutritiua. *Cap. X X.*

CVM verò animatum corpus generatum fuerit, neceſſe eſt ei prouideri, ne pereat. Quare facultate opus eſt, quæ nutritiua appellatur, qua corpus nutriatur, & conſeruetur. Verum in nutritione tria neceſſaria ſunt; primum, quod nutritur; alterum quo nutritur; tertium, quod nutriat. Primum corpus eſt animatum: quod enim inanimatum eſt, nutriri nequit. Quapropter elementa, metalla, ſaxa, cæteraque inanimata, & ſi generantur, & earum aliqua maiora fiunt, non tamen nutriuntur, & licet quædam humore aliquandiu conſeruentur, vt ignis oleo, aut adipe, nihilominus ea conſeruatio nutritio non eſt. Nutritio enim eſt, alimenti in aliti ſubſtantiam conuerſio. At neque oleum, neque adeps in ignis ſubſtãtiam vertitur, ſed tantum prohibent, ne ignis tam cito extinguatur. Id, quo corpus nutritur, eſt alimentum: quod quanquam initio diſſimile eſt ei, quod nutritur, in fine tamen eiuſdem ſimile euadit. Plantę enim ſucco nutriuntur, qui demum in plantę ſubſtantiam conuertitur. Animalia verò valde diſſimilibus nutriuntur, atque in eorum nutritione natura longo circuitu vtitur. Nam alimentum primum in ventriculo fit chilus, deinde in ſanguinem mutatur, qui demum aut os, aut caro, aut neruus, aut reliquorum aliquid efficitur. Quamobrem mihi rectè videtur dixiſſe Ariſtoteles, qui corpus partim à *2. de ani. cap. 4.*

ſimili, partim à diſſimili nutriri pronunciauit. Id, quod nutrit, eſt animæ facultas, quam nutritiuam vocari diximus, quæ in alendo calore naturali, vt inſtrumento, vtitur.

De quatuor viribus nutritioni deſeruientibus. Cap. XXI.

DESERVIVNT nutritiuæ quatuor aliæ facultates, quæ quoniam veluti miniſtræ ſunt, inter principes animę vires non numerantur; Hę vero ſunt concoctrix, attractrix, expultrix, & retentrix. Concotrix eſt facultas, qua anima alimentum coquit. Concoctio autem eſt perfectio alimenti à calore proprio, & naturali, vt, quod poteſtate alimentum erat, actu alimentum fiat. Niſi enim alimentum tale euaſerit, vt in eius, quod alendum eſt, ſubſtãtiam verti poſſit, inconcoctum ſane eſt. Cum vero ita perfectum fuerit, vt tranſmutari queat, illud concoctum eſſe non ambigimus. Fit autem hæc perfectio à naturali, ac interno calore: licet enim exteriora quædam, vt balnea, exercitationes, ipſiuſque alimenti natura concoctionem adiuuent, calori tamen naturali coctionis effectus propriè tribuendus eſt. Concoctioni opponitur cruditas, quæ imperfectio eſt ob proprij caloris defectum. Atque hoc pacto concoctio in animalibus perficitur, cum ſcilicet alimentum adeo perfectum fuerit, vt in eius, quod alitur ſubſtantiam conuerti poſsit. Vniuerſe autem ita definitur: Concoctio eſt perfectio humidi, & ſicci à calore. Materia ſiquidem concoctionis eſt humidum, & ſiccum: quod cum à calore domitum fuerit, tunc tandem concoctum eſſe intelligitur. Concoctionis tres ſunt ſpecies, maturitas, elixatio, & aſſatio. Concoctio ſucci in fructibus appellatur maturitas, quæ tunc perfecta eſt, cum incluſa in fructibus ſemina vi naturalis, ac proprij caloris tale, quale ipſe eſt, producere poſſunt. Maturitati contraria eſt immaturitas, quæ nihil aliud eſt, quam cruditas in fructu, hoc eſt humor indefinitus ſedem non habens: quæ imperfectio, & ſi ob immoderationem caloris naturalis nonnunquam accidit, plerumque ta-

men

men ob illius imbecillitatem contingit. Elixatio eſt concoctio ab externo calido humido, & aqueo. Cum enim is calor humidum rei interminatum terminauerit, elixationem factam eſſe dicimus. Quòd ſi quid à calore humido, atque aereo, vt pote oleo, concoctionem paſſum fuerit, id aſſatum potius, quam elixum erit. Non omnia elixationi apta ſunt. Nam ea, in quibus nihil humoris ineſt, vt lapides, elixari nequeunt. Idem etiam accidit ijs, quorum humiditas ob denſitatem à calido aqueo ſuperari non valet, cuiuſmodi ſunt ligna. Elixationi opponitur leuis coctio. Iſque defectus euenit aut ex copia frigoris, quod in humore concoquente verſatur aut ex nimio humore, quem res elixanda obtinet. Coctio, quæ fit in animalis ventriculo, elixationi quam ſimillima eſt: nam à calore, & humore præſtatur. Aſſatio eſt concoctio ab extremo calido, & ſicco, veluti eſt ignis; vel à calido aereo, quale eſt oleum. Aſſationi contraria eſt toſtio: quæ prouenit aut ob inopiam coquentis caloris, aut ob copiam humoris, qui in re aſſanda continetur. Attractrix eſt facultas, quæ alimentum ad ſingulas corporis partes attrahit, vt animal nutriri poſſit. Nam cibum ad ventriculum, chilum ad epar trahit: quem elaboratum, & in ſanguinem verſum per vniuerſum corpus diſtribuit, vt quæque pars alatur. Verum non ſatis eſſet attrahere, niſi retinere etiam poſſet. Quapropter ſtatuamus oportet, eſſe aliquam vim retentricem, quæ huic muneri deſeruiat. Poſt coctionem fœces, vrinæ, cæteraque remanent excrementa, quæ niſi emittantur, animal ex neceſſitate peribit. Quare expultrix data eſt facultas, quæ per aluum fœces, per vreteres, ac veſicam vrinam, & reliqua recrementa per poros, atque alios meatus expellat. Hæ vires per vniuerſum corpus diffunduntur, vt quælibet pars commodè nutriatur. Vtque aptius vnaquæque facultas ſuum munus exequatur, natura triplex fibrarum genus corpori aptauit. Aliæ enim fibræ rectæ ſunt, aliæ obliquæ, aliæ tranſuerſæ. Rectæ, vt ſupra etiam dictum eſt, attractioni, obliquæ retentioni, tranſuerſæ expulſioni famulantur.

De

De Auctione. Cap. XXII.

AVCTRIX facultas eſt, qua animal ad definitam magnitudinem peruenit, quæ etſi nutritionem pręcedere videtur, quoniam tamẽ ſine nutritione fieri non poteſt, iure optimo prius de Nutritione egimus. Auctio eſt exiſtentis magnitudinis incrementum: eius verò decrementum diminutio appellatur. Auctionis materia eſt magnitudo, ſeu materia quanta non potentia, ſed actu exiſtens, vt caro, neruus. Forma vero eſt partium diſſimilarium figura, vt manus, pedes. In auctione, & diminutione tria conſideranda ſunt. Primum eſt; eius, quod augetur, quamlibet partem augeri, & eius, quod minuitur, quamlibet partem minui. Secundum eſt: Id, quod augetur, adueniente aliquo augeri, & id, quod minuitur, aliquo recedente imminui. Tertium eſt: Auctionem, diminutionemque fieri, ſaluo permanente eo, quod augetur, & minuitur. Augentur autem in actione partes tàm ſimilares, quam diſſimilares. ſed hæ augentur, quoniam illæ prius auctæ fuerant. Idem dicendum eſt de diminutione. At verò augeri, & minui videtur forma potius, quam materia. Nam cum auctio potius ſit aſcribenda parti, quæ permanet, quam illi, quæ aſſidue fluit, ac forma in his mutationibus permaneat, materia autem diffluat, non immeritò dicendum uidetur, formam potius, quam materiam augeri, & minui. Non hic loquimur de materia prima, ac forma ſubſtantiali, (nam in ijs alio modo ſe res habet, cum materia permaneat, forma corrumpatur) ſed ſermo eſt de materia, ac forma auctionis, quarum illa eſt quid compoſitum, hæc forma eſt accidentalis. Sed res exemplo clarior reddatur: Cum manus augetur, materia auctionis eſt muſculus, qui ex fibroſa carne, vena, arteria, neruo, ligamento, ac membrana hæc omnia inuoluente componitur. Forma eſt manus ipſius figura. Cum itaque manus augetur, materia non permanet eadem, ſed manus forma permanet. Quare ſi verum eſt, in auctione id quod augetur, permanere, & forma eſt, quæ permanet, videtur dicendum, formam potius, quam materiam augeri, etſi negandum non eſt, auctionem à materia prouenire. Idem dicendum eſt, cum de diminutione locuturi ſumus. Hæc eſt

Ariſto-

Ariſtotelis de auctione ſententia: cui ſubſcribit Magnus Galenus lib. 1. c. 3. de naturalibus facultatibus, his verbis: Auctio eſt, cum ex minori maius fit; diminutio cum ex maiore minus, propria ſcilicet vtrobique ſeruata forma. Auctionis efficiens. cauſa eſt anima, quæ natiuo calore, dum hanc exercet operationem, vtitur, eiuſdemque caloris imbecillitas diminutionis eſt cauſa. Id autem, quo quid augetur, eſt alimentum, quod in carnem, oſſa, cæteraſque huiuſmodi partes, cum coctum fuerit, conuertitur; quodq. ab initio quidem diſſimile eſt, ſed poſtea, vt ſuperiori capite declarauimus, ſimile euadit. Idem itaque eſt, quo aliquid alitur, & augetur: ſed ratione differt. Nam alimentum, quatenus aliquid, vt caro, potentia eſt, nutrit: vt verò caro quædam quanta potentia eſt, auget. Auctio incremento, extenſioneque in longum, latum, & profundum determinatur, quẽadmodũ diminutio decremento, & remiſſione definitur. *1. de gen. ani. c. 5.*

DIVI-

DIVINARVM INSTITVTIONVM LIBER DVODECIMVS.

DE ANIMA SENSITIVA.

De Senſitiuarum potentiarum diuiſione. *Cap. I.*

HIS de anima vegetatiua expoſitis, ad ſenſitiuæ vires explicandas tranſgrediamur. Diuiditur anima ſenſitiua in ſenſitiuum externum, ſenſitiuum internum, appetitiuum, loco motiuum, & reſpiratiuum, quod ad loco motiuum reducitur. De his autem omnibus ſigillatim agendum eſt. Ac primum ſenſuum exteriorum tractationem exponemus. Quoniam verò earum, quæ communia ſunt, doctrina ſingularium contemplationem præcedit, & mirum in modum adiuuat, antequam ſingulorum exteriorum ſenſuum, qui, vt oſtendemus, quinque ſunt, ſubſtantiam, proprietateſque enarremus, aliqua de ſenſibus vniuerſè declarabimus.

De ſenſu, & ad ſenſum neceſſarijs. Cap. II.

SENSVS eſt animæ poteſtas, quæ intercedentibus ſenſorijs ſenſibiles formas citra ſubiectam materiam per medium ſibi naturale dignoſcere nata eſt. Vt rectè hæc definitio intelligatur, diligenter memoriæ mandandum eſt, tria, præter potentiam,in quolibet ſenſus actu requiri,organum,quod Latinè dices inſtrumentum, ſeu ſenſorium; obiectum, ſiue ſenſibile; & medium: verbi gratia, in viſione requiritur organum, quod eſt oculus; obiectum, quod eſt color; & medium, quod eſt aer, vel aqua. Organum in ſingulis ſenſibus vniuſmodi eſt. obiectum, vel mediū non ſemper eſt vnum. Medium nanque duplex eſt, alterum externum, alterum internum. externa ſunt, aer, & aqua; interna caro, vel neruus. At obiectum ſeu ſenſibile in triplici differentia reperitur. Nam quoddam ſenſibile eſt proprium, quoddam commune, quoddam per accidens. Senſibile proprium eſt illud,quod ab vno tantum ſenſu percipitur: cuiuſmodi color eſt ſenſibile proprium viſus, odor olfactus. Senſibile commune eſt, quod à pluribus ſenſibus excipitur, vt figura, magnitudo, motus, quies, & numerus. nam hæc tria poſtrema ab omnibus ſenſibus percipiuntur: duo verò prima à duobus tantum, vt à viſu, & tactu. Senſibile per accidens eſt, quod non per ſe, ſed per aliud percipitur, vt ſubiecta ſenſibilium, veluti nix, & coruus. non enim nix, & coruus per ſe, ſed per albedinem,& nigredinum in ipſis exiſtentem à ſenſu percipiuntur. His ita expoſitis, vnum declarandum relinquitur, quomodo ſcilicet obiecta, ſeu ſenſibilia in ſenſum abſque materia recipiantur. Dicimus itaque, ſenſibilia, dum in ſenſum admitttuntur, eſſe veluti ſigna, quæ ceræ inducuntur. Nam licet ſigillum aureum ſit, vel argenteum, vel æneum, non tamen, in cera aurum, aut argentum aut æs,ſed ſigilli tantum ſpecies exprimitur. Ita quoque,cum in ſenſu ſenſibile accipitur, non ſenſibilis materia, ſed eius ſpecies, aut qualitas, tantum ſine omni materia immittitur. Nam neque in auditum res ſonora, neque in viſum res viſibilis,neque in odoratum

res odora,neque in guſtum res guſtabilis ,neque in tactum res tangibilis, ſed harum tantum ſpecies, ſeu qualitates recipiuntur. Viſus enim coloris ſpeciem recipit, auditus ſonum, odoratus odorem, guſtus ſaporem, tactus caliditatem, & frigiditatem. Hæc autem omnia non materia, ſed qualitates exiſtunt. Materia enim ſunt horum ſubiecta. Non autem eo pacto qualitates in ſentiendo recipiuntur, quo in qualibet actione, paſſioneque euenit. Nam ſi quidpiam ab alio patiatur, vel in aliud agat, vt videre eſt in mutua elementorum actione, & paſſione, ſemper id, quod agit, ruinam patienti machinatur. At ſenſibile agit non vt ſenſum deſtruat, ſed vt perficiat. Quare excellens ſenſibile, quod ſenſum corrumpit, non videtur ad ſenſum pertinere. Nam ſenſus in mediocritate quadam conſiſtit, neque excellens ſenſibile, ſed moderatum optat, quod ſcilicet ita agat, ne ipſum deſtruat. ſenſus enim eſt veluti concentus quidam, in quo, ſi chordæ leniter moueantur, concentus manet, ſin autem aſperius impellantur, concentus perit. Senſus itaque à moderato ſenſibili perficitur,ab excellenti corrumpitur. Cum autem perficitur. rerum ſpecies, qualitateſue, vt diximus, ſine materia excipiuntur. Hæ verò ſpecies in ſenſu magis, minuſue pure imprimuntur. In viſum quidem neque res viſibilis, neque color, ſed tantum coloris ſpecies recipitur: In auditum, atque odoratum obiecta quidem, ſonus, & odor recipiuntur: attamen ab illis neque auditus ſonorus, neque odor odorus nominatur. At in tactum, & guſtum non modo caliditas, & frigiditas, & ſapor intromittuntur; verum etiam ab illis tactus calidus & frigidus, & ſapor dulcis, aut amarus appellatur: idque præſertim fit, cum ſapor vehementi dulcedine, aut amaritudine pollet. Ex his patet, à ſenſibus res abſque materia percipi, cum ſolæ ſpecies, aut qualitates in ipſos inducantur. Cæterum ſenſu non ſolum obiecta, ſed etiam contraria cognoſcimus, vt viſu viſibile, & inuiſibile; auditu ſonorum, & inſonorum.

De

De Viſu. *Cap. III.*

VISVS eſt ſenſus, quo colores percipimus. Tria, præter viſiuam potentiam, ſicut etiam in quolibet ſenſu, ad videndum neceſſaria ſunt, organum, obiectum, & medium. Organum huius potentiæ, eſt oculus; obiectum, color; medium, actu perſpicuum. Oculus, vt Platoni placet, igneam refert naturam; vt Ariſtoteles cenſuit, aqueam. Cum videmus, non color, ſed coloris ſpecies in oculum recipitur. Quonam verò modo ſpecies illa recipiatur, inter Platonicos, & Peripateticos non conuenit. Platonici enim putant, lucem ab oculis emiſſam, & luci exteriori adiunctam, poſt quam ad rem viſibilem peruenerit, retrocedere, & rei viſibilis ſpeciem ad oculum adducere. At Peripatetici ſentiunt, ſpecies viſibiles multiplicari, multiplicataſque abſque alia viſualium radiorum emiſſione in oculum intromitti. Quorum vtrumlibet verum ſit, adhuc dubitatur: & perſpectiui Platoni potius, quam Ariſtoteli adhærent. Illud non prætermittemus, Ariſtotelem tum in tertio Meteororum libro, tum in Probelematis ſæpiſſime fateri, viſionem viſualium radiorum emiſſione fieri, & pluribus in locis videri Palinodiam ceciniſſe. Color viſionis obiectum, eſt qualitas viſum mouens in ſuperficie illuminata exiſtens. Colorum duo ſimplices ſunt, albus, & niger: quorum albus quoniam multa luce eſt circumfuſus, viſum diſtrahit; niger vero, quia parua luce pollet, viſum congregat. Ex ijs quinque præſertim prodeunt mixtionum genera, rubrum, croceum cæruleum, flauum, viride. Color ruber fit ex albi, & nigri mixtione; croceus ex maiori rubri, quam albi portione; cæruleus ex pluri rubro, & nigro pauciori; flauus ex multo albo, & pauco nigro; viride ex multo nigro, & pauco rubro. Multæ præterea mixtiones ex ijs fieri poſſunt, quas pictoribus exprimẽdas relinquemus. Medium viſionis eſt ipſum perſpicuum, vt diximus. Perſpicuum verò duplex eſt, alterum terminatum, alternũ interminatum. Perſpicua terminata ſunt omnia corpora, quæ propriũ habent colorem, vt terra, ignis, ſtellæ. Interminata ſunt, quæ proprio carent colore, ſed aliarum rerum

Plat. in Timæo.

Ari. de ſenſu, & ſenſibili.

ſuſcipiunt colores, vt aer, aqua. Medium viſionis non eſt perſpicuum terminatum: (hoc enim obiectum eſt, non medium) ſed perſpicuum interminatum. Sed hic aliquis quæret, quam ob cauſam opotet medium viſionis perſpicuum eſſe, atque illud interminatum? Dicimus, medium perſpicuum eſſe oportere, quoniam colores per corpus, quod perſpicuum non eſt, recipi nequeunt: interminatum verò, vt abſque aliquo ſit colore. ſi enim medium perſpicuum eſſet terminatum, & colorem haberet, profectò ex mixtione eius coloris ad alienos colores vera colorum perceptio impediretur. Vt igitur colores recipi queant, medium perſpicuum eſſe neceſſe eſt: ut autem colores verè percipiantur, medium interminatum eſt, atque omnis coloris expers.

De Auditu. *Cap. IV.*

AVDITVS eſt ſenſus, quo ſonos apprehendimns. Hic ſenſus ad aerem refertur. Eius organum eſt vtraque auris. Auditus fit, cum ſonus ad aures perueniens, & aerem, qui intra eas eſt, mouens, per reflexos meatus, & neruos quoſdam opticis aliquanto duriores ad cerebrum defertur. Medium, quo fit auditus, eſt aer, & aqua. Non ſolum enim per aerem, ſed etiam per aquam audimus. Idem itaque medium eſt viſus, & auditus, ſed non eadem ratione. Illius enim medium eſt, vt perſpicuum quoddam; huius vero, veluti id, per quod, vt tenue, facile quidpiam tranſmitti poteſt; quemadmodum etiam de odoratu dicendum videtur. Obiectum auditus ſonus; qui nihil aliud eſt, quam aeris ictus ex duorum corporum denſorum conflictu proueniens. Percuſſa autem corpora leuia, aut concaua exiſtant neceſſe eſt. Nam in corpore non leui aer diſperſus eſt; at in leui ſemper eſt congregatus. In diſtracto aere, cum ictus fieri nequeat, neque ſonus fieri poteſt. At in coacto, cum ictus fiat, ſonus quoque efficitur. In concauo quoque corpore multus aer collectus eſt, neque facile diſſipatur. Quare multi ibi ictus fiunt, magnique ſonitus audiuntur. Durat autem ſonus, quouſque percuſſus aer diſpergatur. Qui ſi antequam diſgregetur in aliquem cauum incidat locum, à quo neceſſe ſit ipſum reſilire, ſonus ille producitur, qui Echo appellatur. Quòd ſi ſonus ab animantis ore proficiſca-

ſiciſcatur, naturalibuſque inſtrumentis formetur, vox eſt. expiratur vox à pulmone per gurgulionem ad linguam, & palatum, anterioribuſque dentibus, & labijs perficitur. Non incommode itaque dices, pro plectro eſſe linguam, pro corde palatum, à quo vox per os emittitur. Vocum permultæ ſunt differentiæ; verum hæ principes ſunt, acuta, grauis, magna, parua, lęuis, aſpera. Nam, ſi motus ſit velox, vox dicitur acuta; ſi tardus, grauis. ſi vox ſit æqualis, vocatur lęuis; ſi inæqualis, aſpera. ſi ſit multa, magna; ſi ſit pauca, parua nominatur.

De Guſtu. *Cap. V.*

GVSTVS eſt ſenſus, quo ſapores comprehendimus. Huius ſenſus organum eſt. tum palatum, tum lingua ſpongiæ in morem facta, à qua per neruulos quoſdam, qui à cerebro deducti linguæ pelliculam alligant, ſapores ad cerebrum transmittunt; vt recte Galenus mihi ſentire videtur. *Plato in*
Plato verò, & Peripatetici exiſtimant, hunc ſen- *Timęo.*
ſum in corde fieri per venulas, quæ à lingua ad cor vſque protenduntur. Guſtum aquæ tribuit Galenus. Ariſtoteles autem, qui de- *2. de ani.*
finit guſtum eſſe tactum quendam, (quoniam tactus inſtar fit per ap- *cap. 10.*
plicationem ſenſibilis cum organo) terræ illum aſcribit. Medium, *Ariſt. in*
quo lingua ſapores percipit, ſunt neruuli illi, quos linguam alliga- *li. de ſen.*
re diximus. Verum conducit non nihil ad guſtum ſaliua, qua ſa- *& ſenſi.*
por humectatus iudicio guſtus permittitur. Guſtus obiectum eſt ſapor, qui tum generatur, cum humidum à ſicco paſſum, & à caliditate aliqua ratione concoctum ſicci affectiones ſuſceperit. Qua
propter Ariſtoteles ait, ſaporem eſſe affectionem quandam à ſicco *De ſen. et*
terreo in humido genitam, quæ guſtum ex poteſtate in actum ad- *ſenſi.*
ducere poſſit. Saporum genera duo pręcipua ſunt, dulce, & amarum. His accedunt ex Platonis opinione mixtorum ſpecies quin- *Plat. in*
que, ſalſum, acre, ſeu acutum, acerbum, auſterum, acidum: qui- *Timæo.*
bus Ariſtoteles pinguem adiecit, quem tamen ad dulcem reducit. *Ariſt. li.*
ſunt itaque ſaporum in vnum collectæ ſpecies octo. Dulce fit ex *de ſen. et*
moderato calore, ac humore: Amarum ex nimio calore, nimiaq; *ſenſi.*
ſiccitate. Sapor ſalſus calidioris, ſicciorisque eſt naturæ, & linguam exiccat, vt Salis, & Nitri ſapor. Acris calore, ſiccitateque

vehemen-

vehementi conſtat, & linguam adurit, vt quem in Pipere experimur. Acerbus frigidus eſt, & inconcoctus, vt in pomis immaturis videre eſt. Auſterus terreſtris eſt naturæ, & craſſæ, vt qui in ſilueſtribus pomis reperitur. Acidus ſiccus eſt, & maximè frigidus, qualis eſt, qui aceto ineſt. Pinguis maioris humiditatis, quam caloris copia abundat, cuiuſmodi eſt olei, ac butyri ſapor.

De Odoratu. Cap. VI.

Ariſt. in li. de ſen. & ſenſi.

ODORATVS eſt ſenſus, quo odores ſentimus. Hunc ſenſum Ariſtoteles igni tribuit: Galenus verò medium ſtatuit inter aerem, & aquam odoratus inſtrumentum. vt ait Ariſtoteles, in naribus collocatur. At Galenus in libro de inſtrumento odoratus hanc opinionem confutat, docetque hoc organum in extremitatibus anteriorum cerebri ſinuum, quò narium meatus pertinent, qua in parte cerebri ventriculi maximè ſpongioſi ſunt, poſitum eſſe. Medium, quò odores percipiuntur, ſunt, aer, & aqua. Nam cernimus piſces in aqua ab odoribus trahi. odor verò, olfactus, obiectum, eſt fumoſa qualitas à ſapido corpore, quatenus ſapidum eſt, vi caloris educta. Tunc enim odor gignitur, cum à ſapido corpore ſiccitas excitata in aerem, aquamue dilapſa fuerit. Neque odor prouenit, niſi à ſapido corpore. Non enim ab aqua, aliorumue ſimplicium corporum aliquo odor educitur, vt docet Ariſtoteles. Quoniam ſimplicia omnia, vt inſipida, odore carent. contra ſapida odorem emittunt. odor itaque à ſapido corpore originem ducit. Odorum differentiæ ſunt, ſuaue, & in ſuaue, &, vt in ſumma dicam, tot ſunt odorum, quot ſaporum diſcrimina. Homo hebetiſſimum odoratum habet. Cuius rei cauſa eſt, maximum, ac frigidiſſimum cerebrum. Vultures vel per quingenta miliaria dicuntur odorari. Inſectorum quoque genus vniuerſum, & magnæ formicæ ad eſculenta, quamuis longe diſtent, odore alliciuntur. Homo, cæteraque animantia, quæ pulmonem habēt, inſpirando olfaciūt; inſecta, & piſces non item. Illa non alio modo, quam inſpirando odorari poſſunt, quoniam cum ante ſenſorium quædam ſint opercula, neque odor ad ſenſorium peruenire queat, niſi eadem opercula aperiantur, inſpiratione opus fuit, qua hęc dilatarentur. At inſecto-

Vbi ſupr.

rum,

rum, & piſcium organa, olfacientia operculis carent. Quare, & ſi non reſpirant, odorantur, & facilius etiam odorantur.

De Tactu. Cap. VII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TACTVS eſt ſenſus tangibilium apprehenſiuus. Huius ſenſus organum determinatum non eſt, ſed in toto corpore tactus diſperſus eſt. Obiectum tactus ſunt primæ corporum qualitates, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, & quæ ex ijs conſtant, vt durum, molle, aſperum, lene, & huiuſmodi reliqua. Medium tactus nerui ſunt in corpore diſſeminati, ſeu, vt Ariſtoteles ſenſit, caro, caro, inquam neruoſa, velut Auicenna rectè interpretatur. In tactu, & guſtu, qui, vt vult Ariſtoteles, eſt quidam tactus, fit ſenſus, cum primum ſenſibile medium tangit: vno enim eodemque momento, cum medium tactum fuerit, organum ſentit. At in reliquis ſenſibus non ita ſe res habet. In ijs enim medium ab obiecto, inſtrumentum à medio mouetur. Quare cæteri ſenſus per ſucceſſiones quaſdam ſentiunt. At in tactu ſatis eſt medium moueri: hoc enim moto, ſimul inſtrumentum immutatur, veluti cum clypeus, militis, quo caput obtectum eſt, percutitur, eodem temporis momento clypeus, & caput percutiuntur; vnuſque is eſt, non plures ictus. Huius rei illud cauſa eſt, quod medium tactus eſt internum, aliorum verò ſenſuum externum. Quare citius obiecti ſpecies tangendi inſtrumentum, quàm reliquorum ſenſuum inſtrumenta penetrat. Inter omnia animalia homo tactum, & guſtum exquiſitiſſimum habet, quoniam eius caro, neruique molliores extant. In cæteris verò ſenſibus à pleriſque animalibus ſuperatur.

2. de ani. cap. 11.
2. de ani. cap. 10

Non omnia animalia omnes ſenſus habere. Cap. VIII.

NON autem omnia animalia omnes ſenſus habent. Tactu quidem neceſſe eſt ea omnia prædita eſſe: animal enim per tactum animal eſt. Neceſſe item eſt, omnia guſtum habere. guſtus enim quidam tactus eſt. Inſuper guſtus ad nutritionem eſt neceſſarius. Cæteris verò ſenſibus animalia quædam carere perſpicuum eſt, eaque præſertim, quæ Greci ζωόφυτα, hoc eſt media inter animalia, & plantas appellant: cuiuſmodi ſunt oſtreæ. Animalia itaque perfecta omnibus ſenſibus pollent: quæ autem ſunt imperfecta, alia alijs priuantur.

De Senſu communi. Cap. IX.

PRÆTER quinque ſenſus exteriores, alius quidam ſenſus interior eſt, quem communem vocamus, qui veluti terminus quidam exteriorum ſenſuum eſſe videtur: cuius munus, & functio eſt, differentias omnium ſenſibilium internoſcere, & de illis iudicare. Itaque veluti lineæ omnes à periphæria ad centrum ductæ in eodemmet terminantur, ita operationes omnes aliorum ſenſuum ad communem transferantur, vt hic iudicet de illis, quæ ipſi perceperunt. Nam ſingulares ſenſus id habent, vt ſenſibilia tum propria, tum communia excipiant. Vt autem illorum differentias, ſuumque actum dignoſcant, facere non poſſunt. ſentit enim viſus colorem, & auditus ſonum; non tamen aut viſus colorum, aut auditus ſonorum differentias diſcernit. Nam cum de contrarijs iudicium ferendum eſt, neceſſe eſt, vt illa ſimul adſint. At fieri non poteſt, vt viſus ſimul album & nigrum percipiat. Quomodo igitur illorum differentias diſtinguet? Quod ſi ſenſus propriorum ſenſuum differentias diſpicere nequit, quo pacto ſi ſua ſenſibilia cum alijs conferantur, eorum diſcri-

diſcrimina cognoſcet? verbi gratia, quid inter nigrum, & dulce, quid inter album,& amarum interſit?quomodo item communium ſenſibilium diſtinctiones dignoſcetur. ſi de proprijs iudicare nequit? Neque ſui actus iudex erit. nam id multo difficilius eſt. & ſi enim ſenſus ſenſibilia percipit,non tamen percipit,ſe ſentire. Nam neque auditus percipit ſe audire, neque viſus ſe videre. Quod vero de viſu, & auditu dicimus,ad alios quoque ſenſus aptetur. Nam de omuibus idem eſt ſentiendum. Reliquitur igitur, vt alius ſenſus ſit, quem communem appellamus, qui propriorum, communiumque ſenſibilium varietates agnoſcat, & de illis, ſenſuumque actibus iudicium ferat. ſingulares enim ſenſus propria obiecta, communiaque admittunt,eorum ſpecies ſine materia recipiendo. Cum autem hæ ſpecies ad proprios, peruenerint ſenſus, ab ijs ad ſenſus communes, tanquam omnium terminum, tranſmittuntur. Vbi poſtquam exceptæ fuerinr,ſenſus communis ſe ad ipſas conuertendo, tanquam ſenſuum omnium iudex, earum differentias ſiue eiuſdem, ſiue alterius generis internoſcit. Auerroes exiſtimauit, hunc ſenſum communem dici à communibus ſenſibilibus: putauit enim communia ſenſibilia eſſe propria obiecta ſenſus communis. Verum mendacij conuincitur. eius enim idolum Ariſtoteles tertio de anima contrarium ſenſit. Huius ſenſus organum capitis partem anteriorem omnes ſtatuere.

4. de ani. c. 65.

Cap. 1.

De Imaginatiua. *Cap. X.*

IMAGINATIVA vis eſt ea ſenſitiuæ animæ pars, in qua Idola quędam formantur, quæ reliquiæ quędam ſenſibilis à ſenſu iam percepti eſſe videntur. Cum enim ſenſus exterior aliquid percepit, illius ſpecies intro ad animam ſenſitiuam traducitur. Hæc animæ pars phantaſia, ſeu imaginatiua nuncupatur, quoniam rerum à ſenſu perceptarum ſimulacra in illa excipiuntur. Atque eius operationis principium nihil aliud eſt. quàm motio quædam in anima à ſenſibili in actu progenita; ex quo deinde euenit, vt in ipſa ſimulacra formentur. Poſtquam enim à ſenſibus exterioribus obiecta receſſerunt, interior animæ vis illorum ſibi effingit ſimulacra, atque in eis ſenſibilia veluti præſentia ſpectat. Imaginationes autem tum veras, tum falſas eſſe contingit:

quod vel ob organi diſpoſitione, vel à ſenſibilibus accidere poteſt. Nam, ſi organum rectè diſpoſitum ſit, cæteris, quæ mox exponemus, concurrentibus, imaginatio uera erit; ſin contra, vt in febrientibus euenit, erit falſa. Quantum verò ad ſenſibilia attinet, imaginatio aut à ſenſibili proprio, aut à ſenſibili communi, aut à ſennbili per accidens ortum habuit. Quæ à ſenſibili proprio orta eſt, niſi organum perperam diſpoſitum ſit, vera eſſe ſolet. Nam cum ſenſus in proprijs ſenſibilibus non decipiantur; & ſpecies eo, quo receptæ ſunt, modo ad imaginatiuam tranſmittantur, rationi conſentaneum eſt, vt, quemadmodum ſenſus fuit verus, ita quoque imaginatio ſit vera. Quę autem imaginatio à ſenſibili communi, & per accidens nota eſt, nunc vera eſt nunc falſa: & ſi qua à ſenſibili cõmuni initium habuit, minus falſa eſt. magis enim in ſenſibilibus per accidens, quam in communibus ſenſum falli contingit. Senſibilia per accidens hic intelligo non ſolum accidentium ſubiecta, ſed etiam res non exiſtentes, ad quas vis imaginatiua, tanquam ſimilis ijs ſpeciebus, quas à ſenſu aliquando acceperat, ſe conuertit. Imaginationem omnia animalia habent. Nam vbi eſt ſenſus, ibi eſt appetitus. Vbi autem eſt appetitus, ibi eſt triſtitia, aut gaudium. At hæc ſine imaginatione eſſe non poſſunt. Quapropter in muſcis quoque, & vermibus imaginatio reperitur. Verum diligenter animaduertendum eſt, animalia perfecta, perfectam, determinatamque imaginationem habere; imperfecta, imperfectam, & indeterminatam. Perfecta animalia appello, quæ omnibus ſenſibus prædita ſunt; imperfecta, quibus aliquis deeſt ſenſus. Huius facultatis organum eſt cerebri pars ſiniſtra. In homine altiori quodam modo imaginatio inuenitur: is enim, quoniam imaginationem rationi connectit, ea imaginatur, quæ cætera animalia nequeunt: ex multis enim unum, & ex vno multa per imaginationem facit. Nam aurum, & montem copulat, & montem aureum imaginatur. ſiluam item ab arboribus ſeparat, & alterum ab altero ſeiunctum eſſe imaginatione concipit.

De

De vi æſtimatiua. Cap. XI.

IMAGINATIVA itaque vis ſimulacra excipit, quibus abſentia, veluti præſentia, cognoſcit. Verum, quoniam animæ ſenſitiuæ datur, vt non ſolum res abſentes noſcat, ſed etiam, vt dignoſcat, quid ſequendum, quid fugiendum ſit, num hoc etiam imaginatiuæ munus eſt, an alterius facultatis? Exempli gratia: Lepus, viſo cane, quamuis nunquam antea illum viderit, fugit: Pſittacus turturem ſequitur. id num ad imaginatiuam, an ad aliam potentiam pertinet? Ariſtoteles, vt mihi videtur, Alexander, & Græci omnes Ariſtotelis expoſitores, æſtimatiuam (ita enim hæc vis nuncupatur) ab imaginatiua non diſtinxerunt; ſed vtranque operationem imaginatiuæ tribuunt. Latinorum verò plerique has potentias diuerſas ſtatuunt, & æſtimatiuæ organum dextram cerebri partem eſſe arbitrantur. Verum nihil refert, dicamus ne totum id munus imaginatiuæ eſſe, an partim imaginatiuæ, partim æſtimatiuæ, dum tamen memoria teneamus, vtraſque has functiones ad interiores ſenſus pertinere. Illud tantum admonebimus, eum, qui dicet has ambas operationes imaginatiuæ eſſe, eundem debere aſſerere, totum cerebrum pro organo imaginatiuæ eſſe aſſignandum. Illum vero, qui has operationes duarum potentiarum eſſe putabit, mediam cerebri partem vni potentiæ, mediam alteri aſcribere debere.

De ani li. 3. cap. 3.

De Memoria. Cap. XII.

POST imaginatiuam, & æſtimatiuam Memoria in poſteriori capitis parte collocatur: quę ſpecierum veluti theſaurus quidam eſt. ex neceſſitate vero natura illam fabricata eſt, vt ſcilicet ſpecies in ea conſeruarentur, quæ ab exterioribus ſenſibus in ſenſum communem, & ab hoc in imaginatiuam, atque æſtimatiuam tranſmiſſæ fuerant. Non enim ſpecies aut in organo ſenſus communis propter nimiam raritatem, aut in cerebro propter multam humiditatem conſeruari poterant. eas enim dilabi neceſſe erat. Quare poſterior capitis pars facta eſt, quæ neque ſpongiæ inſtar eſſet rara, neque nimia humiditate polleret; etſi non omnino illam partem humore priuauit, paruum cerebrum, quod cerebellum appellant, ea in parte ſtatuens, vt neque ob raritatem, immoderatamque humiditatem ſpecies euaneſcerent, neque ob humoris vacuitatem ſpecierum impreſſio impediretur. Atque vt melius ibi ſpecies conſeruarentur, natura, cum rotundam illam partem effeciſſet, paruum foramen cerebrum verſus formauit, per quod ingreſſæ ſpecies non ſatis facile egredi poſſent. ſpecierum verò conſeruatio neceſſaria fuit, vt anima, cum libuerit, ſe ad illas conuertens interiores operationes exercere poſſet. Ea vis igitur in cerebello collocata, ſpecierum conſeruatrix, qua recordamur, & reminiſcimur, Memoria vocatur; quæ neque pręſentium eſt, neque futurorum, ſed præteritorum tantum: præſentia enim ſenſu, futura opinione, præterita memoria cognoſcimus. Nam in memoria rerum imagines, veluti picturæ quædam continentur, ad quas cum anima ſe conuerterit, recordatur? Memoriam in parte ſenſitiua ſolum eſſe arbitratus eſt Ariſtoteles. An verò ea in parte intellectiua reperiatur, poſterius oſtendemus. Pumiliones, quod ſuperioris corporis partes ſucci pleniores habeant, & pueri propter nimiam humiditatem, necnon ſenes, & qui ſiccæ ſunt temperaturæ, memoria non præſtant. In illis enim vt in cera liquefacta, diffluunt, in ijs, vt in cera frigore obdurata ſpecies

In lib. de Memor.

impri-

imprimi nequeunt. Quod etiam euenit iјs, qui morbo aliquo conflictantur. Commentatio plurimum memoriam adiuuat. ſed nunquid idem eſt memoria, & reminiſcentia? Plurimum quidem inter ſe differunt memoria, ſeu recordatio, & reminiſcentia. Tunc enim rei recordamur, cum illius ſpecies prorſus in memoria conſeruatur. Quòd ſi rei ſpecies non penitus, ſed magna ex parte deperijt, cum deinceps per rationem, & diſcurſum illiusmet ſpecies in memoriam reducta fuerit, tunc reminiſci dicimur. Exempli gratia. Vidi Petrum Romæ in Eccleſia Sancti Laurentij. Poſt multum temporis eundemmet Florentiæ conſpicio. Illius ſpecies è memoria magna ex parte effluxerat. Principio memini, me illum virum vidiſſe. Vbi autem viderim, aut quis tandem ſit, non memini. Deinde mecum cogitare cœpi, vbi viderim, & ſubit, me Romæ, in Eccleſia Sancti Laurentij eum vidiſſe. Demum Petrum illum eſſe mihi conſtat. Hæc operatio tot, vt inquit Ariſtoteles, motiunculis altera poſt alteram producta Reminiſcentia appellatur: quæ quoniam ſine ratione fieri nequit, hominis propria eſt. Reliqua enim animalia, quę memoriam habent, recordantur quidem, ſed non reminiſcuntur.

In lib. de me. et remi.

De Somno. Cap. XIII.

SENSVS, & præſertim exteriores, motuſque impulſus aſſidua operatione, ac motione defatigantur. Quare interdum ipſos quieſcere oportet: quam quietem Somnum appellamus, qui nihil aliud eſt, quam ſenſus, motuſque impulſionum compreſſio, ex refrigeratione proueniens. Id vt melius percipiatur, duo declaranda ſunt: alterum, cuius inſtrumenti compreſſio fiat; alterum, quomodo ex refrigeratione tale inſtrumentum exprimatur. Rectè ſenſit Ariſtoteles, neceſſarium eſſe primarij inſtrumenti, hoc eſt, vnde ſenſus, motuſque initium trahunt, compreſſionem fieri. Hoc autem eſt illud, vnde originem habent nerui, quorum beneficio ſentimus, ac mouemur. Nam cum non vnus tantum ſenſus, ſed omnes, in arcto potiſſimum ſomno, conſtringantur; neceſſe eſt, non hunc, illumue neruum colligari, ſed prorſus omnes. Quod tum fit, cum neruorum omnium principium comprimitur. Hucuſque præ-

In lib. de ſomno & vigilia.

præclarè Ariſtoteles. Quod verò addit, hoc principium eſſe cor, illudque ligari, apertè decipitur, cum, vt ſupra oſtenſum eſt, & ex diſſectionibus liquet, nerui non à corde, ſed à cerebro ducantur. Dicimus itaque, tunc fieri ſomnum, cum cerebrum neruorum omnium initium comprimitur: quo compreſſo, ſenſus omnes, impellendique vim ligari neceſſe eſt. ligatur vero cerebrum, cum nimium refrigeratur. Nam cum inter omnia membra cerebrum humidiſſimum ſit, ac frigidiſſimum, cum accid.t, ipſum ſupramodum refrigerari, continuo conniuet, & operari penitus deſinit. Id autem euenit, cum aſpirationes à ventriculo in cerebrum aſcendunt, ipſumque veluti graui quodam pondere fatigant, & comprimunt. Quod tribus ex cauſis fieri ſolet, aut ex cibo, aut ex laſſitudine, aut ex nimia humiditate cerebrum offundente. Nam poſt cibum vapores ex neceſſitate in cerebrum aſcendunt. ex defatigatione autem contingit, vt aliquæ partes vniuerſo ex corpore defluant, ac liqueſcant; quod Colliquamentum appellatur. Colliquamentum verò, vt ait Ariſtoteles, quaſi crudum eſt alimentum. Ad illud igitur natiuus calor ſe conuertens, fumos neceſſario extrahit, eleuat, & in cerebrum adducit. Accedit, quod ex labore natiuus calor diſpergitur, & extremas in partes trahitur. Calore itaque cerebro deſtituto, facile ſomnus inducitur. At nimia humiditas in cerebro exiſtens, ipſum non difficulter comprimit. Quare pueri, & pumiliones, qui humidiſſimi ſunt, multo ſomno indigent; & qui lethargo, et apoplexia laborant, adeo arcto ſomno corripiuntur, vt vix excitari poſſint. Hæ ſunt in ſumma ſomni cauſæ, quæ omnes, vt probe ſentit Ariſtoteles, ſunt refrigeratio. Nam & ſi vapores, qui in cerebrum aſcendunt, nonnunquam calidi ſunt, vt illi, qui vino præſertim nigro, quod multo plenum eſt ſpiritu, excitantur, cum tamen in cerebrum aſcenderunt, refrigerantur, & in pituitam, quæ cerebri inſtar humida eſt, & frigida, transmutantur. Vt enim calidi vapores ui Solaris caloris extracti, cum ad frigidum locum peruenerint, frigeſcunt: ita calidi halitus ad cerebrum adducti, cerebri qualitates induunt. Quapropter ab illis cerebrum magis humectatur, ac frigeſcit. Rem ita ſe habere, pituita ex dormientium naribus, & palato defluens aperte indicat. Niſi enim vapores in pituitam mutarentur, nunquam ex cerebro tanta pituita decideret. Ex ijs patet, ſomnum ſenſuum, ac impulſionis compreſſionem eſſe, eiuſque cauſam nihil aliud eſſe, quam refrigerationem; ex qua licet quandoque omnes ſenſus tum exteriores, tum interiores comprimantur, non tamen omnes

In lib. de ſomno, & vigilia.

ſem-

ſemper conſtringuntur. Nam nunc omnes ſenſus ligatos eſſe ſentimus, nunc aliquot ſolutos, aliquot ligatos. Quemadmodum enim fieri poteſt, vt vnus ſenſus abſque alio lædatur, ſiue exteriores, ſiue interiores ſenſus ſpectes; ita abſurdum non eſt, quoſdam ſenſus comprimi, cum tamen reliqui nihil tale patiantur. Duo igitur declaremus primum, rem ita ſe habere; deinde, quamobrem ita fiat. experimur nos dormientes interdum ſomniare. Somnium autem, de quo mox agemus, imaginatiuæ potentiæ eſt affectio. Cum ita ſomniamus, liquet imaginatiuam ligatam non eſſe; exteriores verò ſenſus torpere. Aliquando autem accidit, vt exterioribus ſenſibus conniuentibus, non ſolum ſomniemus, ſed etiam diſcernamus, illud, quod ſomniamus, eſſe ſomnium. Hic neque imaginatiua, neque diſcernens vis compreſſa eſt. Quandoque verò euenit, vt dormientibus nobis rem aliquam tangamus, & aliquid audiamus, at tangere, & audire nos, licet leniter, percipiamus. Hic Senſus etiam communis ſolutus eſt, neque tactus, & auditus omnino ligati. Experientia igitur quotidiana edocemur, quandoque ſomno omnes ſenſus, quandoque aliquos tantum alligari. Nunc huius rei ratio eſt explicanda. Cum vaporum motus tantus eſt, vt ij totum cerebrum offundant, tum ſenſus omnes ex neceſſitate comprimuntur. Quare tunc neque ſomniamus. Id autem euenire ſolet ſtatim poſt cibum ſumptum. ex quo fit, vt rarò tunc ſomniemus. Quòd ſi aſpirationum aliquanto minor ſit motus, imaginatio non comprimetur. ſi verò minimus adſit motus, tunc ſenſum communem expeditum prorſus eſſe neceſſe eſt; tactuſque, vel auditus ab hac affectione aliqua ex parte liberi erunt. At quoniam de Somnijs mentionem fecimus, non ab re erit, Somniorum cauſas breuiter exponere.

De Somnijs. *Cap. XIV.*

SOMNIVM eſt effigies in imaginatiuam à dormientibus recepta. Inter omnes conuenit, ſomnium in parte imaginatiua fieri, & ſomnium eſſe imaginem illam receptam. Quænam verò huius affectionis cauſa ſit, Philoſophi inter ſe diſcrepant. Democritus, cuius ſententiam Lucretius quarto lib. multis verbis proſequitur, dicebat, omnium rerum ſimulacra à rebus effluentia vagari, quæ magis tenuia ſunt ijs, quæ à viſu percipiuntur. Ea igitur, inquit, noctu imaginatiuæ potentiæ, quam ipſe mentem nominat, offerri; & ab ea recipi, atque hanc receptionem eſſe id, quod Somnium appellamus. Ariſtoteles verò, à quo Plato in Timæo non diſſidet, in lib. de Somnijs hunc ſimulacrorum defluxum, vt pote fortuitum, de medio tollens, aliam huius affectionis rationem reddit. Ait enim, uim imaginatiuam in ſomno ſolutam ſe ſe ad ſpecies in memoria conſeruatas conuertere, & nunc has, nunc illas pro corporis diſpoſitione inſpectare. Cum igitur in imaginatiuam illæ redditæ fuerint imagines, tunc fit hæc affectio, quam Somnium nuncupamus. Somnium verò corporis diſpoſitionem indicare, illud argumento eſt, quod cum pituita laboramus, mel comeſſe videmur; ſi flauà bili abundamus, nos valde ſitire, vel per ignem incedere imaginamur; ſi quid appetimus, vel refugimus, illud ſomniamus. Quare excellentes medici ad ſomnia ægrorum reſpicere ſolent: ex ijs enim ægritudinem, humorumque intemperantiam quam ſæpiſſimè exactius dignoſcunt. Somnia verò nunc perturbata, nunc placida apparent. Nam veluti in ſummo mari, cum fluctus agitantur, imagines aut nullæ, aut diſtortæ apparent; cum autem fretum quieuerit, effigies puræ, ac perſpicuæ videntur: ſic inter dormiendum, cum vaporum motus vehementes ſunt, ſimulacra, aut prorſus delentur, aut portentoſa, confuſaque aſpiciuntur; & ſomnia illabuntur deteriora, vt in melancholicis, febrientibus, ac temulentis contingere ſolet. Atque hæc dicenda videntur de ſomnijs, quæ naturali ordine proueniunt. De ijs vero, quæ aut diuinitus mittuntur, veluti fuere ſomnia Ioſephi; aut ex illuſionibus

Gen. 37.

Dæmo-

Dęmonum oriuntur, aliter ſentiendum eſt: illorum enim cauſa in Deum referenda eſt; horum Dæmonibus aſſignanda. Nam complura fuerunt per ſomnium reſerata, quorum ſolum Deum auctorem fuiſſe conſtat: quæ non reuelantur huius mundi ſapientibus, qui in ſua ſapientia fidunt; ſed ſimplicibus, quorum mens non faſtu ſe iactans, ſed humilitate gaudens diuinorum arcanorum particeps fieri, ſicut ſcriptum eſt: Abſcondiſti hęc à ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Quare non eſt audiendus Ariſtoteles, qui in lib. de diuinatione per ſomnium, inquit, ſomniorum cauſam Deo tribuendam nõ eſſe, quoniam vilibus potius, quam ſapientibus ſomnia obuerſantur. Non enim intelligebat, Deum mundi ſapientiam parui facere, & ſe ad humiles conferre. Dęmones præterea nonnunquam in ſomnis illudere, quotidiana experientia edocemur. Neque id negat Ariſtoteles: qui in dicto lib. aſſeruit, ſomniorum diuinationes interdum à Dæmonibus ſuppeditari. Atque hæc de Somnijs dicta ſint. *Matt. 11*

De Appetitu in communi. *Cap. XV.*

APPETITVS eſt in aliquam rem impulſus. Triplex autem eſt, naturalis, ſenſibilis, & rationalis. Naturalis eſt impulſus abſque cognitione. Hoc pacto dicimus, ignem moueri ſurſum, ac terram deorſum. Senſitiuus eſt impulſus cum cognitione boni ſingularis. ſic quodlibet animal impellitur ad proſequẽdum bonum ſuæ naturæ conueniens, quod eſt delectabile. Appetitus rationalis eſt impulſus cum cognitione in bonum vniuerſale, hoc eſt in bonum, ſub ratione boni, quatenus ſcilicet honeſtum eſt, qui appetitus voluntas appellatur. omni appetitui id proprium eſt, vt in aliquid inclinetur: Vnde implſus eſſe definitur. Quare non modo moti, ſed etiam mouentis rationem ſubit. Atque in hoc appetitus à ſenſu apertè diſtinguitur, quod ſenſus à ſenſibili mouetur, non mouet: ſed appetitus ſe ipſum etiam mouet, dum in aliud tendit. Cæterum appetitus antequam ſe ipſum moueat, mouetur quoque ab obiecto: quod aut à natura ipſa oblatum, aut à vi imaginatiua, vt appetibile, & deſiderabile prius apprehenſum fuerat. non enim terra deorſum moueretur, niſi propter quietem, quam natura mouens iam ab initio ſibi bonum conſtituerat. Neque ani-

mal impelleretur, niſi à delectabili, & deſiderabili bono traheretur; quod à vi imaginatiua apprehenſum, ſibique vt appetendum oblatum fuerat. Appetitus itaque non ſolum ſe ipſum impellit, ſed etiam ab alio impellitur: immò ſe ipſum non impelleret, niſi ab alio impelleretur. Principium itaque appetitus ab exteriori eſt, finis à ſe ipſo. Quoniam verò par eſt, quodque à fine denominari, appetitus potius ab impulſu, quo ſe ipſum impellit, tanquam à fine, quam eo, quo ab alio impellitur, definitur. His ita communiter declaratis, de Appetitu ſenſitiuo verba faciemus. De Voluntate autem alias diſſeremus.

De Appetitu ſenſitiuo. *Cap. XVI.*

QVID ſit Appetitus, ſenſitiuus dictum eſt. Diximus enim, ipſum eſſe impulſum in bonum cum cognitione boni ſingularis. Nam, cum id, quod ſenſitiuum eſt, ſingularia tantum noſcat, appetitus profectò ſingularis tantum erit. Bonum verò ſingulare ipſius eſt, vt vel bonum delectabile proſequatur, aut malum dolorem inferens auerſetur. Hoc enim ſenſui eſt bonum. Id autem neceſſe eſt, vt prius tale à ſenſu interiori apprehenſum fuerit. Is appetitus diuiditur in concupiſcibilem, & iraſcibilem. Vtriuſque bonum eſt ſenſibile, & delectabile. ſed concupiſcibilis bonum eſt id, quod facile animal, vt bonum apprehenſum adipiſci poteſt, vel vt malum non difficulter fugere: at bonum iraſcibilis arduum eſt, quippe, quod neque facile acquiri poteſt, ſi vt bonum apprehendatur; neque ſine labore euitari, dum malum reputatur. & quidem appetitus iraſcibilis veluti propugnator quidam concupiſcibilis factus eſt, cum ſcilicet aut concupiſcibilis rem deſideratam poſſidere nequit, aut poſſeſſam amiſit, aut cum factum eſt aliquid, quod faciendum non erat, aut prętermiſſum quod faciendum erat, veluti concupitum fuerat: tunc enim iraſcibilis ad rem poſſidendam recuperandamue incitatur; & ad demoliendum, quod factum eſt, vel faciendum, quod factum non eſt, impellitur. Quare animaduertere licet, omnes iraſcibilis paſſiones à concupiſcibili oriri, & eadem concupiſcibili terminari. At iraſcibilis paſſiones ſunt, ira, ſpes, deſperatio, audacia, ac timor; concupiſcibilis vero, amor, odium, deſiderium, abominatio, gaudium, ac triſtitia. Age cur

iraſci-

iraſcibilis iratur, niſi quoniam animal, cum id, quod concupiuerat, atque amauerat, non ſit aſſecutum, vltionem expetit? Cur ſperat, niſi quoniam ad concupitam rem poſſidendam facultatem ſibi dari confidit? Cur contra deſperat, niſi quoniam ſibi perſuadet, ſe ad eandem rem peruenire non poſſe? propter eandem rem concupitam, audet, ac timet. Vides ne, vt iraſcibilis affectiones à concupiſcibili initium ducant? Rurſus aſpice, quomodo concupiſcibili finiantur, ſi concupita, ac dilecta re poſt poſt conatũ frui contingat, animal gaudet: ſin contra ad eius poſſeſſionem peruentum non fuerit, triſtatur. Atqui gaudium, ac triſtitia concupiſcibilis ſunt affectus. Plato concupiſcibili iecur, iraſcibili cor ſedem à natura tributam eſſe inquit. & quidem conueniebat, vt facultati mollioribus affectionibus occupatæ mollior ſedes daretur. potentiæ verò in duris, atque arduis verſanti durior locus aſcriberetur. Sunt qui cor concupiſcibilis ſedem ſtatuant, fel iraſcibilis. ſed certe philoſophi definiunt, iram eſſe accenſionem ſanguinis in corde. Quod ſi ita eſt, certè cor erit iraſcibilis ſedes. Appetitum quoque in ſanguine eſſe quis dubitet? Indicant id variæ appetitiones, & præſertim venereæ, quæ in ijs, qui multo abundant ſanguine, reperiuntur. Non autem in ſanguine appetitus eſt iraſcibilis. ergo ex neceſsitate ibi eſt cõcupiſcibilis. Rationi quoque conſentaneum eſt, immo neceſſarium, ſi concupiſcibilis in ſanguine exiſtat, eius ſedem ibi eſſe, vbi eſt ſanguinis fons, & origo. Atqui ſanguinis fons eſt iecur, ergo & ipſum concupiſcibilis eſt ſedes. Præterea dicere, fel iraſcibilis ſedem eſſe, rationis limites excedit. Nam cum iraſcibilis primaria ſit inter ſenſitiuas facultas, præcipuum quoque organum ei aſsignandum erit. At quod quæſo organum eſt fel? Nihil aliud profectò, quam veſica bilioſorum excrementorum receptrix. Receptaculum igitur recrementorum tam præſtantis virtutis ſedem eſſe aſſeuerabimus? iracundiæque vires in excrementis collocabimus? Hac opinione abiecta, iraſcibilis vim in corde, concupiſcibilis in iecore locari aſſeramus. Appetitu omnia animalia prædita ſunt. omnia enim voluptate, ac dolore afficiuntur. Atqui dolor, & voluptas ſine appetitu eſſe non poſſunt.

In Tim.

De motu ſecundum locum.
Cap. XVII.

IDEM appetitus, cui affectionum fons aſcribitur, motus ſecundum locum initium eſt. Appetitiuum mouet appetitum, & hic motus ad impulſum incitatur. Veruntamen id in brutis animalibus non fit ſine imaginatione, & in homine non ſine intellectu. Appetitus enim irrationalium animalium id appetit, quod prius ab imaginatione apprehenſum fuit. & hominis voluntas ad id impellitur, quod intellectus prius percepetat. & ſi verò impulſus non fit ſine imaginatione, ſeu intellectu: primaria tamen cauſa, vt animal agitetur, appetitui aſsignanda eſt. Cæterum in hoc motu tria conſiderantur; id, quod mouetur; id, quo mouetur, & id, quod mouet. Id, quod mouetur, corpus animatum eſt, ſine aliqua eius particula. Id, quo mouetur, ſunt muſculi, qui qui ex neruorum, ligaminum, arteriarum, venarum, carnis fibroſæ, & inuoluentis membranæ ſubſtantia conſtant, vt ſupra dictum eſt. Id, quod mouet, ſpiritus eſt animalis, qui per muſculos diffuſus, neruorum ope motum ciere aptus eſt. Hic motus fit flexione, extenſioneque muſculorum. exteriores enim muſculi extenſionis cauſa ſunt, interiores verò flexionis. Id certè liquido patet. Nam læſis, inciſiſue exterioribus muſculorum neruis extenſio pro læſionis ratione aut ex parte, aut penitus prohibetur. Idem euenit in flexione, ſi interiores muſculorum nerui aut incidantur, aut lædantur. ſemper itaque in motu muſculos inflecti, extendique neceſſe eſt, ſiue ille motus fit ad anteriorem, & poſteriorem, vel ſuperiorem, & inferiorem partem; ſiue fit ad dexteram, & ſiniſtram, ſiue ſit motus reclinationis. At in caſu, quem decidentiæ motum appellant, neque flexio, neque extenſio eſſe mihi videtur: tunc enim corpus decidit, & vna cum ipſo muſculi: neque tunc muſculus alio motu mouetur, quam eo, quo corpus mouetur. At corpus, quamuis ſit animatum, cum decidit, non mouetur motu animalis, vt animal eſt, ſed vt corpus eſt. Non enim aliter tunc mouetur, quam corpora compoſita anima carentia. Quare tunc temporis muſculus, vt

in animati corporis pars mouetur. Omnis itaque impulſus fit flexione, aut extenſione, præter motum decidentiæ. Non enim ſentimus cum illis, quorum opinionem Galenus primo lib. de muſculorum motu recenſet, qui motum quendam, tonicum ab ipſis nominatum confingunt, quem in motu decidentiæ in muſculis eſſe volunt, cum conſtet, illum, quem ipſi motum appellant, ſuſtentationem potius eſſe, quam motum, ſed vt res clarius intelligatur, qui nam motus iſte ſit, explicemus. Motus tonicus eſt, cum aliquid à duobus lateribus tractum, immobile prorſus apparet. ſed exemplo res declaretur. eſt lignum aliquod vtrinque funibus alligatum. Duo homines æqaurum virium illud trahunt contrarijs motibus, vt puta, quia alter ad dexteram, alter ad læuam partem trahit. Cum trahentium vires æquæ ſint, neceſſe eſt lignnm non moueri, quamuis hinc inde motores adſint. Tonicum igitur motum talem confingunt. Dicunt itaque, muſculum, cum motu decidentiæ mouetur, non flecti, aut extendi, ſed tonico motu moueri. At mihi videtur is non eſſe motus, ſed ſuſtentatio quædam. Quapropter nunquam dicerē muſculum tunc moueri aliquo motu: ex accidenti tamen, hoc eſt motu alterius, corporis ſcilicet, cui miſertus eſt, moueri: ex ijs patet, in quolibet motu, præter motum decidentiæ, flexionem, extenſionemque muſculi reperiri. Nunc huius rei neceſſitatem exponamus. Diximus, ſpiritum animalem per neruos diffuſum impulſus cauſam eſſe. Verum id ſpiritus præſtare nequaquam poſſet, niſi in vnum cogeretur. Inſuper nō ſatis eſſet, ſpiritum cogi, niſi in aliquam partem ageret. Per flexionem itaque muſculorum ſpiritus cogitur, vt coactus membrum, quod mouendum eſt, impellat: per extenſionem verò in aliam partem fit motio. Flexio itaque ob ſpiritus coactionem, extenſio ob loci mutationem neceſſaria eſt. Spiritus autem coactus non ſolum cauſa eſt, vt animal moueatur, ſed etiam, vt velocius moueatur. Id quidem in quinquertionibus, & palæſtritis aperte liquet: ij enim, cum alium mouere volunt, manus, & brachia vehementer contrahunt, vt per contractionem coacto ſpiritu validius moueant. Illi autem, cum ſaliunt, halteres in manibus ſumunt; non ſolum, vt certius, ſed etiam, vt velocius moueantur ſunt qui inter currendum manus quatiunt: & enim quatiendo ſpiritus coguntur, quòd is motus abſque flexione non fiat. Flexionem itaque, extenſionemque in omni impulſu ineſſe neceſſe eſt. Verum dubitabit quiſpiam de elephanto, quem nulla inflexione moueri aliqui putarunt, cum eius genu minimè flectatur. Ariſtoteles in libro

de

de communi animalium greſſu inquit, id verum non eſſe. Nam, etſi Elephanti genu non flectunt; tamen, cum gradiuntur, eorum tum ſcoptula aperta, tum clunes inflectuntur. Sed Ariſtoteles mihi videtur erraſſe cum ijs, qui putant, elephantum in genibus iuncturis carere. Quod falſiſſimum eſt, vt ſupra in elephanti deſcriptione oſtendimus. Nam elephanti tum iuncturas habent, tum genua flectunt. Quare veriſſimum eſt, in omni impulſu non ſolum extenſionem, ſed etiam flexionem neceſſariam eſſe.

De vi reſpiratiua. *Cap. XVIII.*

VIS reſpiratiua eſt animæ ſenſitiuæ facultas, qua animal aerem expirat, & inſpirat. Id nomen ipſum indicat: reſpirare enim nihil aliud innuit, quam retro ſpirare, hoc eſt, id, quod inſpiratum eſt, extra reddere. Quare non in ſola expiratione, inſpiratione ue reſpiratio conſiſtit, ſed ex vtraque conſtat. Expirationis vtilitas vna eſt, quod ſcilicet per eam quod fumoſum, fuliginoſumque in corde ex ſanguinis in eo exiſtentis feruore relinquitur, extra mittitur. Nam qui in corde ſanguis eſt, ignis inſtar ſemper feruet, excrementaque fuliginoſa relinquit: quæ niſi emittantur, animalis præfocationem ſubſequi neceſſe eſt. Nam, quemadmodum ignis operculo obductus, ſi fuliginem, ac fumum expellere prohibeatur, tandem extinguitur: ita, ſi natiuus calor fumum, ac fuliginem ex æſtu conceptum emittere nequeat, continuo marceſcet. Quo extincto, neceſſe eſt ſequi animalis ſuffocationem. Quod incommodum ne eueniret, ſolers natura prouidit, vt animal expiraret. Inſpirationis verò vtilitas duplex eſt, altera refrigeratio, altera natiui ſpiritus nutricatio. Nam non ſatis eſſet, fuliginoſum excrementum emitti, niſi frigidus aer inſpiraretur, qui caloris natiui immenſum ardorem temperaret. Niſi enim refrigeratio accederet, præfocatio tandem ſubſequeretur. Nam tanta eſt efferueſcentis caloris amplitudo, vt præter fuliginum eiectionem, aſſidua etiam refrigeratione indigeat, ne ſuffocatio contingat. experimur id calido in aere, æſtate præſertim. Niſi enim aſſidue, præter expirationem, extremum aerem crebrius inſpiremus, veluti præfocari videmur. Verum non ſatis eſſet cor refrigerari, niſi etiam natiuus

tiuus ſpiritus continenter aleretur. Nam, ſi membra, quæ ſpiritu natiuo fouentur, alimento indigent, multo magis ſpiritus eodem indigebit. Inſpirationis itaque altera vtilitas eſt, quòd inſpirato aere natiuus ſpiritus alitur: qui quidem aer in pulmone, qui, vt mox videbimus, reſpirationis inſtrumentum eſt, concoquitur: at ſubtiliores eius partes ſpiritum alunt, craſſiores verò tanquam inutiles expiratione euomuntur. Reſpirationis organum pulmo eſt, qui perpetuo agitatus motu, per gurgulionem, aſperam arteriam vocatam, per quam os, & nares calidum aërem eijcit, & frigidum haurit. Pulmo enim follium more ſemper mouetur, & nunc deprimitur, nunc extollitur; elatus aerem inſpirat; depreſſus eundem depellit. Hic in controuerſiam venit, an motus pulmonis ſit ipſius proprius, an ab alio proueniat. Omnes concedunt, pulmonem ſuapte natura nullum motum habere. Sed à quo mouetur? Ariſtoteles cenſuit, cordis calorem, cum augetur, pulmonem mouere. Cum enim calor copioſior effectus eſt, effertur, eoque elato, pulmones neceſſario eleuantur, ac tunc externus aer in pulmones meat: qui vt pote frigidus, ac refrigerandi vi præditus excedentem calorem mitigat. Quo decreſcente, pulmones deprimuntur: quibus depreſſis, aer, qui influxit, de integro effluit. Sic in follibus euenire videmus. Cum enim fabri ferrarij folles eleuant, aer ingreditur; cum deprimunt, ille idem egreditur. At Galenus motum pulmonis à thorace eſſe inquit: moto enim thorace, diaphragma, pulmonemque moueri. Suam ſententiam ex eo comprobat, quod læſo thorace quibuſdam in ægritudinibus pulmo nullo pacto moueatur, vt in magnis thoracis vulneribus compertum eſſe aſſerit. Quare eius de reſpiratione opinio eſſe videtur, thorace dilatato, pulmonem dilatari, aeremque expirari; at thorace compreſſo, pulmonem deprimi, & aerem inſpirari. Galeno Gregorius Nyſſenus adhæret, qui primum reſpirandi organum thoracem per muſculos motum eſſe aſſeuerat. Sunt qui arbitrentur, animalia omnia ſpirare. ſed eorum opinionem Ariſtoteles redarguit in lib. de ſpiratione, vbi oſtendit, ea tantum animalia, quæ pulmones habent, ſpirare.

In lib. de ſpirat.

In lib. de motu Thoracis & 8. de ani. admi. c. 2.

Philo. li. 4. c. 19.

DIVINARVM INSTITVTIONVM LIBER TERTIVS DECIMVS

DE ANIMA RATIONALI.

Philoſophorum de rationali anima ſententia. Cap. I.

POSTREMO de humana anima, quæ & rationalis, & intellectiua, & intellectus, & animus, & mens vocatur, diſſeramus. Cuius prius quam fa ultates, atque operationes explicemus, operæ pretium duximus originem, eſſentiam, atque immortalitatem oſtendere, hęreticorumque ſententias recenſere, & confutare. Quæ vt commodius faciamus, philoſophorum, ex quorum fontibus hæreſes illæ emanarunt, placita enumerabimus, ac veluti digito oſtendemus. Veteres ante Pythagoram, & Platonem philoſophi cum ſibi perſuaſiſſent, animam humanã aut eſſe elementorum aliquod, aut ex elementis conſtare, aſſeuerarunt, illam ex eiſdem oriri. Quare Democritus, & Leucippus, quibus Lucretius adhæret, corpuſcula quædam indiuidua, quæ rerum elementa putabant, introducentes, ſanxerunt, humanam animam ex eiſdem componi; & originem ducere. Empedocles omnia elementa eius compoſitionem ingredi opinatus eſt. Diogenes aerem Thales aquam, Heraclitus exhalationem, Critias ſanguinem ipſam

Lucr. li. 3.

eſſe

eſſe cenſebat. Hi omnes elementorum more rationalem animam
corrumpi arbitrabantur. ſoli Anaxagoras, & Alcmæon eius im-
mortalitatem nouiſſe videntur. Nam ille immixtam, hic immor-
talem ipſam eſſe pronunciauit. Platonis Timæus hanc de humana
anima ſententiam dixit: Deum animas omnes ſimul feciſſe, atque
ſuum cuilibet orbem aſſignaſſe, ijſque præcepiſſe, vt ſui ipſius,
quem vnum, & idem appellat, contemplationi tantum inhærerent.
Verum ipſæ diuina paruifacientes præcepta, à ſuperna contempla-
tione ad inferiorum rerum, quas alterum nuncupat, ſpeculatio-
nem ſe traduxerunt, atque ita à ſuis orbibus eiectæ, in generatio-
nis, & corruptionis ſphæram, cui contemplatione adhæſerant, de-
lapſæ, in humana corpora relegatæ fuere. Idem Plato aſſerit, ani-
mas ex diuina eſſentia conſtare, aut ad ipſam proxime accedere.
Immortalitatem animæ tã in Timæo, quam in Phædone non obſcu-
re indicauit: etſi Pythagorã ſecutus in magnos lapſus eſt errores,
dum cenſuit, non ſolum hominum, ſed etiam omnium animantium
animas eſſe immortales. Nam in Timæo humanarum animarum in
beſtias tranſmigrationem aperte docuit: & in Phædone ait, cygnos
non aliam ob cauſam morientes canere, niſi quod ſciunt, ſe in me-
liorem, ac beatam vitam migraturos. Ariſtoteles in tertio libro de *cap. 5.*
anima ait, Intellectum de foris aduenire, eſſe æternum, & immor-
talem. Verum, num Ariſtoteles hæc de anima rationali, an de in-
tellectu quopiam anima excellentiore dixerit, ambiguum eſt. Nam
Alexander intellectum agentem, de quo Ariſtoteles eo in loco lo-
quitur, alium ab intellectu poſſibili eſſe cenſet; atque hunc, quem
& formam corporis eſſe contendit, mortalem, illum vero immor
talem eſſe arbitratur. Auerroys, etſi aſſerit intellectum agentem, *3. de ani.*
& poſſibilem re eundem eſſe, & ratione tantum alterum ab altero *t. c. 56.*
diſtingui, dicique agentem, quia phantaſmata illuſtrat, poſſibilem
vero, quoniam eadem excipere poteſt, non tamen concedit, ipſum
eſſe, qui corpus informet: informationis enim uim cogitatiuæ
aſcribit. D. Thomas Ariſtotelis verba ad noſtram religionem ac-
commodat, animamque humanam ex Ariſtotelis ſententia creari,
& immortalem eſſe non ambigit. Noſtrum non eſt, tantorum viro
rum controuerſias componere; aut de illis diiudicare: ſi tamen,
quod ſentimus, proferre licet, nobis videtur, Ariſtotelis de intelle-
ctus natura opinionem adeo dubiam eſſe, vt putemus, eum ma-
gnam prouinciam ſubiturum, qui certam de hac re ſententiam af-
ferre audeat. Nam ſi libros de anima inſpicias, nihil inde certi erui
poteſt. Ex ceteris vero eius libris ſunt, qui intellectum immorta

cap. 3. lem ſtatuant; ſunt qui eundem morti ſubiacere arbitrentur. Nam ſecundo de generatione animalium ita ſcriptum eſt: Reſtat, vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit: nihil enim cum eius actione cõmunicat actio corporalis. Methaphyſicorũ quoque lib. duodecimo hęc verba habentur: Si autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt: in quibuſdam enim nihil prohibet, veluti ſi anima tale ſit, non omnis, ſed intellectus. Verum Ethicorum lib. tertio oppoſitum ſenſiſſe videtur. Terribiliſſimum, inquit, eſt mors: finis enim & mortuo nihil amplius eſſe videtur. Et rurſus eodem lib. Voluntas eſt impoſſibilium, vt immortalitatis. Dubius itaque mihi videtur eſſe Ariſtoteles, neque certi quippiam de animorum immortalitate afferre. Hæc pene ſunt, quæ philoſophi de rationali anima diſſeruere: quorum ſententias indicare potius voluimus, quã rationibus confutare: id enim nimis laborioſum, & noſtris viribus impar eſſe fatemur. Nec noſtra valde intereſt ſcire, quid quiſque philoſophorum ſenſerit. Quare eorum tantum, qui ſe Chriſtianos profitentur, opiniones in medium adducemus, errores enumerabimus, &, quantum in nobis erit, Scripturarum, Eccleſiæ, ac ſanctorum Patrum auctoritate deſtruemus, &, quid Catholicæ Eccleſiæ ſanctionibus conſonum ſit, tentabimus edocere, ne quid forte deſit, quod à pio lectore deſideretur.

(Margin: cap. 3. — cap. 6. — cap. 2.)

De humanæ animæ origine.
Cap. II.

In lib. de princip. ORIGENES, magiſtrum Platonem imitatus, aſſerit, animas humanas omnes à Deo ante corpus ſimul factas eſſe; deinde diuina contemplatione exaturatas peccaſſe, & in corpora, tanquam in carcerem, ob earumdelicta tranſmiſſas eſſe. Atque hunc in corpora deſcenſum Humiliationem à Dauide putauit appellari, cum dixit: Priuſquam humiliarer, ego deliqui. Origenẽ Priſcillianiſtæ ſequuntur. Propinqua huic eſt Hęreſis illa Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani; aſſerentis, vt in epiſtola quadam ad Pammachium Hieronymus edocet, Prius formatam fuiſſe animam Adæ, quam corpus. Origenis veneno imbuti Concordenſes, & Maſſalliani dicere auſi ſunt, Deum nonas

(Margin: Pſal. 18. — In lib. de anima.)

uas animas non creare. Tertullianus exiſtimauit, animam humanam, veluti corpoream, fieri per traducẽ ex anima patris, quemadmodum corpus ex corpore propagatur. Enthuſiaſtæ putant, animas ab angelis fieri. Origenes nulla Scripturę auctoritate ſuam poteſt comprobare inſaniam, præſertim cum in Geneſi legatur, *Gen. 2.* Prius Adæ corpus factum fuiſſe, quam animam. ſic enim ibi ſcriptum eſt: Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Ex ijs patet, prius Adæ corpus formatum eſſe, deinde animam creatam, quę corpori adnexa fuit. Neque ibi, aut alibi in Scriptura legitur, alias animas ſimul factas eſſe. Par autẽ eſt exiſtimare, eundem ordinem Deum in creandis cæteris animabus ſeruare, quem in primi hominis fictione ſeruauit. Atqui tunc animam poſt corpus creauit. Cur igitur dicemus, nunc Deum alio quam tunc ordine vti? Quod autem ait Origenes, animas, antequam in corpus deſcenderent, deliquiſſe, purum eſt figmentum; cum Dauid aliud, quam quod ipſe cenſuit, illis verbis indicare vellet. Oſtendit enim, ſe aliquando ſuperbum fuiſſe, atque tunc temporis deliquiſſe: ablegata vero ſuperbia, Dei mandatis obtemperaſſe. Quare cum dixiſſet, Priuſquã humiliarer, ego deliqui, vt humilitatis fructum oſtenderet, adiecit, Propterea eloquium tuum cuſtodiui. Animas autem antequam corpus ingrediantur non peccare, *Rom. 9.* Paulus demonſtrat, qui de Iacobo, & Eſau loquens, ita inquit: Antequam boni, vel mali quicquam egiſſent, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Maior ſeruiet minori. Quid clarius? ſi enim ij, antequam naſcerentur, non deliquerunt, abſurdum eſt aſſerere, animas eorum, antequam corpori adglutinarentur, peccaſſe. Quod autem de ipſorum animabus, idem de cæteris iudicium eſſe debet. Hanc hæreſim quinta, vt refert Nicephorus, ſancta Synodus Conſtantinopolitana condemnauit, *Lib. 17. cap. 27.* his verbis: Si quis dicit, ut, ſentit, hominum animas, veluti prius extantes intellectuales mentes, ſiue naturas, & ſanctas virtutes præexiſtere, contemplatione vero diuina exagitatas, atq. in deterius prolapſas, & quod in eis charitas Dei refrixerit, ψυχὰς, ideſt animas quaſi refrigeſcentes nominatas, & pœnæ gratia in corpora demiſſas eſſe, anathema ſit. Hæc ſancta Synodus. Ex jis apparet, quam longe à veritate aberrarit Io. Hieroſolymitanus, dum cenſet, Scripturę ſeriem non animaduertens, prius Adæ animam creatam, quam corpus, cum Scriptura tam apertę contrarium affirmet. Hæc etſi

ſatis eſſe poſſunt; non ab re tamen exiſtimauimus, Hieronymi ver-
ba in epiſtola ad Pammachium apponere, quibus huius viri errorem damnat. Eius verba hæc ſunt: Si fuit anima antequam Adam in Paradiſo formaretur, in quolibet ſtatu, & ordine vixit, & egit aliquid (neque enim poſſumus incorporalem, & æternam in modum glirium immobilem, torpentemque ſentire) neceſſe eſt, vt aliqua cauſa præceſſerit, cur quæ prius ſine corpore fuit, poſtea circundata ſit corpore. &, ſi animæ eſt naturale eſſe ſine corpore; ergo contra naturam eſt, eſſe in corpore. ſi contra naturam eſt, eſſe in corpore, ergo reſurrectio corporis contra naturam erit. ſed non fiet reſurrectio contra naturam, ergo ſecundum ſententiam veſtram, corpus quod contra naturam eſt, reſurgens animam non habebit. Hæc Hieronymus. Concordenſes cum Maſſallianis dicentes, Deuum nouas animas non creare, eadem, qua Origenes, ratione refelluntur. Tertulliani error meo quidem iudicio manifeſtus eſt. Nam, ſi anima humana ex traduce fieret, profectò mortalis eſſet. Quod ipſe negat. Nam licet animam ex ſemine animæ, quemadmodum corpus ex ſemine corporis, fieri ſtatuat, tamen animam immortalem eſſe concedit. Quod autem anima rationalis, ſi aliquo ex ſemine fieret, mortalis eſſet, facile probatur, veluti ſimili ratione Aug. in epiſtola ad Optatum epiſcopum innuit. Nam compertum eſt, non ſemper mulieres, quamuis ſemen in vterum immittatur, concipere. ſæpe enim id effluit. ſi igitur in tali coitu ſemen animæ, ſicut corporis, emittitur, neceſſe eſt, vt, quemadmodum ſemen corporis, ita & ſemen animæ corrumpatur? Mortale igitur eſt id ſemen. Quare etiam animam mortalem eſſe neceſſe eſt. Enthuſiaſtæ, qui animas ab angelis creari dicunt, tum rei ipſæ, tum ſcripturis apertè aduerſantur. Creare enim ad virtutem attinet infinitam, quæ nullo pacto, etiam Dei poteſtate abſoluta, impartiri
Gen. 2. poteſt. Nam ſolius Dei eſt, ex nihilo facere. At angeli ſunt creaturæ. ergo non poſſunt creare. Præterea legimus, Deum, non autem angelos, inſpiraſſe in hominem ſpiraculum vitæ, hoc eſt animam, & feciſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.
Sap. 1. Nonne ſcriptum eſt? Creauit Deus, vt eſſent omnia. Et rurſus:
Hebr. 3. Qui omnia creauit, Deus eſt. Cur igitur Angelis illud, quod ſolius
Zachar. 12. Dei eſt, aſcribemus? cum præſertim dicat Zacharias: Qui fingit ſpiritum hominis in ipſo. Et Pſalmiſta: Qui finxit ſigillatim corda eo-
Pſal. 32. rum. Quid ergo de animæ rationalis origine ſentiendum eſt? Ipſam à Deo creari, & corporibus infundi, & animas quotidie creari, & quotidie infundi, & vno, eodemque tempore & creari, & infun-

 di.

di Hanc eſſe Catholicā doctrinam. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium aduerſus errores Io. Epiſcopi Hieroſolymitani apertiſſime docet. idem Leo Papa Primus in epiſtola ad Aſtorigenſem Epiſcopum declarat.

De Eſſentia Rationalis animae. Cap. III.

NON minor de animæ eſſentia, quam de origine, inter Catholicos, & hæreticos controuerſia exiſtit. Manichæi enim, & Gnoſtici, quibus adhæſerunt Apocaritæ, & Brachitæ, & ijs ſimiles, dixerunt, noſtram animam aut eſſe Dei ſubſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia, & res omnes, ne dum homines, rationis eſſe participes. Enthuſiaſtæ igne, & ſpiritu animam conſtare arbitrantur. Luciferiani, ac Tertullianus, vt Auguſtinus refert in epiſtola ad Optatum, & ipſemet in libro de anima aſſerit, corpoream eſſe contendunt. Seleuciani, & Hermiani è terra produci affirmant. Libertini, omnium impudentiſſimi, animas nihil eſſe opinantur. Manichæorum error facile conuincitur, quoniam ſcriptum eſt: Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Ne quis autem crederet, ſpiraculum illud eſſe ex Dei ſubſtantia, adiectum eſt: Et factus eſt homo in animam viuentem. Ratio quoque edocet, ipſos falſa eloqui. Nam ſi anima rationalis eſſet ex Dei ſubſtantia, eſſet æterna, omnipotens, & immutabilis, cum Dei ſubſtantiam eiuſmodi eſſe non ambigamus. Quare principio careret, omnia poſſet, neque unquam mutaretur. Sed liquet, animam eſſe cœpiſſe, plurima non poſſe, & omni temporis momento per intellectionum viciſſitudines mutari. Quare ipſa non eſt ex Dei ſubſtantia. Horum ſententiam Eccleſiæ ſanctionibus aduerſari, Leo Primus epiſtola 71. oſtendit, his verbis: Quinto autem capitulo refertur quod animam hominis diuinæ aſſerunt eſſe ſubſtantiæ, nec à natura conditoris ſui condicionis noſtræ diſtare naturam. quam impietatem ex philoſophorum quorundam, & Manichæorum opinione manantem Catholica fides damnat, ſciens nullam tam ſublimem, præcipuamque eſſe facturam, cui Deus ipſe natura ſit. Hæc Leo.

Gen. 2.

Quod

Quod autem Manichæi putant, cæterorum quoque animalium animas rationis capaces eſſe, adeo delirum eſt, vt confutatione non indigeat, cum non modo Chriſtiani, ſed etiam Gentiles id ipſum riſu dignum exiſtiment. Qui verò ex igne, aut terra, corporea ue alia natura noſtram animam conſtare aiunt, ipſam mortalem ſtatuant neceſſe eſt. Quod quàm abſurdum ſit, proxime ſequenti capite oſtendemus. Aduerſus Libertinos, animam nihil eſſe affirmantes, nihil laborandum cenſemus. Catholicæ autem Eccleſiæ ſententia eſt, animam humanam non ex Dei ſubſtantia, non ex igne, terra, elementorumue aliquo conſtare, ſed aliam eſſe eius naturam à Deo ex nihilo creatam.

De Animæ immortalitate. Cap. IV.

ANIMAE humanę immortalitatē naturalibus rationibus aſſequi difficillimum eſt. Neque nobis propoſitum eſt cum philoſophis pugnare, quorum quot ſunt capita, tot ſententiæ; ſed cum ijs, qui ſe Chriſtianos eſſe iactant. Quare ſatis erit, ſi, Catholicam veritatem, Scripturarum, Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum auctoritatibus comprobemus. Arabici, atque Hermanus, Saducæorum more, dixere, animas hominum morti ſubiacere: ſed Arabici addebant, in die iuditij vna cum corpore reſurrecturas, quod Hermanus negabat, cum animas interituras, nec reſurrecturas arbitraretur. Aduerſus vtroſque vnum tantum
Sap.3. probandum eſt, Animas rationales eſſe immortales. Quod tum veteris, tum noui Teſtamēti paginis clare demonſtratur. Iuſtorum, ait Salomon, animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitię. Viſi ſunt oculis inſipientiū mori, illi autem ſunt in pace
Macha.2 Legimus, Iudā Machabęum miſiſſe duodecim drachmas argēti Hieroſolymam, vt pro mortuorum peccatis offerrentur. Cur id à Iuda factum eſt, ſi animæ hominum ſunt mortales? ſi enim moriuntur, cur eleemoſynę, ac ſacrificia pro eorum peccatis offeruntur? Non enim, qui non ſunt, egent, vt à peccatis ſoluantur. Vt igitur Iudas oſtenderet, noſtras animas eſſe immortales, iuſſit elemoſynas pro ipſis offerri. Idque rite factum fuiſſe Scriptura adiungit, dicens: Sācta igitur & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Nam animarum immortalitatem volens Dominus noſter

noſter aduerſus Saduceos demonſtrare, ita inquit: De reſurrectione mortuorum non legitis quod dictum eſt à Deo, dicente vobis: *Matt.22.*
Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt *Matt.10.*
Deus mortuorum, ſed viuentium. Et rurſus: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Et iterum: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in uitam æternam *Io. 12.*
cuſtodit eam. Apud Lucam Dominus hiſtoriam Lazari, atque epu- *Luc. 16.*
lonis commemorans, dicit, animam Lazari ab Angelis in ſinum Abrahæ portatam, & in eo collocatã; animam vero diuitis ſepultam in inferno, vbi cruciatur. Io. quoque in Apocalypſi idem non obſcurè *Apo.16.*
oſtendit. Vidi, inquit, ſub altare Dei animas interfectorũ propter verbũ Dei & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vſque quo Domine verus, & ſanctus, non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra? & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, qui interfi- *Apo.7.*
ciendi ſunt, ſicut & illi. Et rurſum: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, in conſpectũ agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Qui vero ſint iſti, de quibus loquitur, vnus ex ſenioribus explicuit, dicens: Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni: ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die, ac nocte in templo eius. Plura poſſem Scripturæ teſtimonia coaceruare: ſed hęc ſatis eſſe arbitror: cum præſertim Catholica Eccleſia de hac veritate nunquam dubitarit; immo ſanxerit, vt in Lateranẽſi Concilio, ſub Leone .x. Pont. Max. decretum reperitur, animam humanam eſſe prorſus immortalem; neque Catholicus aliquis doctor inueniatur, qui vnquam contrarium dicere auſus fuerit.

Ani-

Animam non migrare de corpore in corpus. *Cap. V.*

ALBANENSES, quos Albigenſes ſecuti ſunt, animas quidem fatebantur immortales; verum contendebant, è corpore in corpus migrare, non aliter, ac Pythagoras ſenſit; ducti, vt arbitror, verbis Domini perperam intellectis, qui dixit, Io. Baptiſtam eſſe Eliam. Hi non animaduerterunt
Matth. 1. vt Catholici omnes expoſitores aſſerunt, Ioannem non fuiſſe Eliam in perſona, ſed in ſpiritu, & virtute. *Ita* enim Angelus Zachariæ prænunciarat: Ipſe, inquit, Ioannes præcedet ante illum in *ſpiritu, & virtute* Eliæ.
Luc. 1. Id commentum reijcit Hieronymus, dum primum locum exponens, ita ait: Elias ergo Ioannes dicitur non ſecundum ſtultos philoſophos, & quoſdam hæreticos, qui reuerſionem animarum introducunt, ſed quòd iuxta aliud teſtimonium Euangelij venerit in ſpiritu, & virtute Eliæ. Et Athanaſius in libro de beatitudine filij Dei c. 6. Siquis, inquit, confitetur animas hominum in reuolutionem rurſus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in ſerpentibus verti, anathema illi.

De potentijs Animæ rationalis. *Cap. VI.*

HIS ita declaratis, Animæ rationalis, quæ (vt Viennenſi Concilio ſub Clemente Quinto, & in Lateranenſi ſub Leone Decimo Pontificibus Max. declaratum eſt) verè humani corporis eſt forma, potentias,
2. di. 16. quæſt. 1. ſeu vires explicemus. Potentia autem eſt principium, quo anima operatur: quæ ſeu ſit ſubſtantia,
1. par. q. 77. ar. 1. & idem cum animę eſſentia, vt Scotus, pluresque alij ſuſtinent; ſeu ſit qualitas ab eſſentia fluens, quemadmodum D. Thomas cenſet,

parum

parum intereſt; cum præſertim hæc controuerſia à philoſophis potius, quam à theologis dirimenda ſit. Tres eſſe animæ rationalis vires, intellectum, memoriam, & voluntatem, theologi paſſim admittunt, cum Auguſtinus in 10. de Trinitate id fateatur. Non me latet, Philoſophorum quam plurimos aſſerere, memoriam ad ſenſitiuam ſolum partem, non autem ad intellectiuam pertinere. ſed nos eorum rationes non magnifacimus. Putamus tamen Ariſtotelem verum pronunciaſſe, cum 3. de anima lib. dicit: Intellectum eſſe ſpecierum locum. Intellectus eſt vis, qua rerum ſpecies recipimus, & intelligimus. Memoria eſt vis, qua rerum ſpecies retinemus. Neque arbitramur, has duas vires re differre, ſed tantum ratione; intellectumque, quatenus intelligit, intellectum vocari; quatenus vero ſpecies rerum conſeruat, memoriam appellari; Quas enim intellectus ſpecies intelligit, eaſdem conſeruat; & quoniam illarum veluti promptuarium exiſtit, memoria nuncupatur. Intellectus, vnus, idemque exiſtens, & poſſibilis, & agens vocatur. Quà enim intelligibiles ſpecies recipit, poſſibilis nominatur: quà verò ſpecies materiæ conditionibus exuit, & luminis inſtar illuſtrans ſibi ipſi ſimiles facit, agentis nomen meretur. Caueat igitur prius lector, ne ſibi perſuadeat, intellectum agentem aliud quid à poſſibili eſſe, veluti Alexander ſenſit. Nec Auerroy aſſentiatur: qui quanquam intellectum agentem à poſſibili re diſtingui negat: intellectum tamen intelligentiarum vltimam intelligentiam, atque vnum contendit. Intellectus ratio quoque nuncupari ſolet: quæ in ſuperiorem, & inferiorem ab Auguſtino in duodecimo lib. de Trinitate diſtinguitur. Quæ diſtinctio penes officia, non penes rem ipſam accipienda eſt. Nam intellectus, cum æterna meditatur, ſuperior ratio dicitur: cum vero temporalibus incumbit, inferior appellatur. Intellectus, dum contemplationi inſeruit, ſpeculatiuus vocatur: dum ad actiones deflectitur, actiuus dicitur: cum opus reſpicit, practicus appellatur. Qualis autem quiſque ſit, ex fine diiudicatur. Ille enim eſt ſpeculatiuus, cuius finis eſt contemplatio: ille actiuus, cuius finis eſt actio: ille practicus, cuius finis eſt opus. Intellectus, cum eſt in potentia ad intelligendum, poſſibilis dicitur; cum actu intelligit, intellectus in actu, ſeu adeptus. Quod ſi habitu quodam, velut ſcientiæ, polleat, intellectus in habitu nuncupari ſolet.

Cap. 2.

Cap. 3.

Alex. lib. 1. de ani.

Auer. li. 3 de ani. t. 5. & 36

Cap. 4.

De habitibus intellectus. Cap. VII.

Ethi. 6. c. 1.

HABITVS verò intellectus naturales (vocamus autem naturales vel à natura inditos, vel naturalibus viribus acquiſitos) quinque ab Ariſtotele enumerantur, intellectus, ſcientia, ſapientia, prudentia, & ars: quibus Theologi adijciunt ſextum, ſynderesin nuncupatum. Horum tres, ſcientia, intellectus, & ſapientia ad intellectum ſpeculatiuum; duo, prudentia, & ſynderesis ad actiuum; ars ad practicum pertinet. ſcientia, eſt habitus per demonſtrationem acquiſitus: ſcire enim eſt rem per cauſam cognoſcere. Quoniam autem id, quod ſcitur, non poteſt aliter ſe habere: iccirco ſcientia de ijs tantum, quæ neceſſaria ſunt, habetur: ſcientia igitur de neceſſarijs eſt. Verum, cum notitia omnis ex cognitione principiorum pendeat, fieri non poteſt, vt aliquis ſciat, niſi prius principia nouerit. Quare ab origine habitus quidam ſpeculatiuo intellectui datus eſt, quo principia naturaliter cognoſcit. Is habitus intellectus appellatur. In hac verò cognitione anima non diſcurſu aliquo vtitur, ſed ſatis eſt noſſe terminos, quibus cognitis continuo principium tenetur. Verbi gratia: Hæc principia, quodlibet eſt, vel non eſt; &, omne totum eſt maius ſua parte, cognitis terminis noſcuntur: Cum enim aliquis cognouerit, quid ſit eſſe, quid item ſit totum, & quid pars, ſtatim ipſa quoque principia nouit; ex ijs deinde principijs ducuntur concluſiones, quorum habitus ſcientia vocatur. Intellectus itaque eſt habitus principiorum, ſcientia concluſionum. Ex ijs duobus habitibus conſurgit habitus tertius ex ambobus conſtans, qui ſapientia appellatur: qui in ijs præſertim, quæ honorabiliſſima ſunt, conſiſtit. Sapientem igitur oportet principia, & concluſiones noſſe rerum, & earum potiſſimum, quæ præſtantiſſimæ ſunt. Quapropter primus philoſophus merito ſapientis nomen meretur, cum ſubſtantiarum ſeparatarum ac Dei Opt. Max. naturam contempletur; Prudentia eſt habitus cum ratione actiuus; atque in ijs, quæ in conſultationem veniunt, verſatur. Prudens enim verè is eſt, qui rectè tam ſibi, quam cęteris conſulere poteſt, in ijs inquam, quæ ad bene viuendum conducunt. Quemadmodum autem ſpeculationis ſunt

prin-

principia, ita actionis. Quare ſicut ſpeculatiuorum principiorum,
ita quoque actiuorum aliquis eſt habitus; qui perinde ac ille nobis
natura eſt inditus, quoque ſimili ratione, ac illo, agibilium prin-
cipia cognoſcimus: qualia ſunt, Bonum eſt faciendum, Malum eſt
fugiendum. Is habitus ſynderesis nuncupatur. Ars eſt habitus cum
ratione effectiuus. Diſtat autem actio ab effectione, quod poſt
actionem non remanet aliquod opus; at poſt effectionem ſemper
aliquod opus remanet, vt ſtatua, aut domus. Sunt, qui conſcien-
tiam inter habitus numerent; quod fortaſſe rationi non aduerſa-
tur. Nam quemadmodum à principijs ſpeculatiuis emanat ſcien-
tia, ita conſcientia ex agibilium principijs conſequitur. Quid igi-
tur repugnat, vt, quemadmodum ſcientia à ſpeculatiuis principijs
deducta eſt habitus, ita etiam conſcientia ab actiuis principijs pro-
ueniens habitus exiſtimetur? At S. Thomas ipſam actum eſſe puta- 1. par. q.
uit. Eſt autem cõſcientia iudicium, ſed (vt Baſilius in Prouerbia ait) 79. art. 13
naturale iudicatorium de aliquo ſingulari agibili nũ ſcilicet facien- [illegible]
dum ſit, num, ſi fiat, recte fiat, num factũ perperam aut recte factum
fuerit. Dicitur autem Conſcientia, quaſi cum alio ſcientia. Nam
cum ſynderesi, ac ratione id iudicium profertur. Cum enim ſynde-
reſis id obtulerit principium, Bonum eſt faciendum, & ratio ad-
diderit, Eleemoſyna eſt bona; conſcientia concludit; Ergo eleemo-
ſina eſt facienda. Simili modo cum ſyndereſis pronunciarit,
Malum eſt fugiendum; & ratio adiunxerit, Homicidium eſt ma-
lum; conſcientia iudicabit; ergo Homicidium eſt fugiendum. Ex
ijs liquet, Conſcientiam à ſyndereſi principia ſumere. Quare Hie-
ronymus ſuper c. primum Ezechielis, dicit ſyndereſin eſſe ſcintil-
lam conſcientiæ: veluti enim ſcintilla accenſa, ita ſyndereſis conſcien-
tiæ præbet lumen, quo iudicium proferre poſſit. Hinc Damaſcenus Cap. 12.
lib. 2. orthodoxæ fidei conſcientiam lucem noſtri intellectus appel-
lat, tanquam eam, quæ à ſyndereſis luce illuminata quid agendum
ſit præcipiat. Conſcientia teſtificatur, quid factum fuiſſe, vel non fuiſ-
ſe; ligat cum iudicat, an quid ſit faciendum; accuſat, vel excuſat,
cum iudicat, aliquid perperam, aut recte factum fuiſſe. Sex verò
aut ſeptem dicti habitus, non plures enumerari ſolent: quoniam eo-
rum, quæ ſunt, alia ſunt neceſſaria, hoc eſt, ſemper eodem modo
ſe habentia, alia contigentia, quæ non ſemper eodem modo ſe ha-
bent. Intellectus, ſcientia, & ſapientia circa neceſſaria verſan-
tur. Contingentia alia ſunt à natura, alia à nobis. Contingentia
à natura in eorum ſubiectis reperiuntur, atque idcirco in ſcientia-
rũ ſubiectis includuntur; Contingentia à nobis aut ad ea, quæ agun-

tur, aut ad ea, quæ fiunt, reducuntur. Ad illa, prudentia, ſynderesis, & conſcientia; ad hæc, ars pertinet. Non igitur plures habitus in intellectu poſiti fuere. Si quis verò opinionem habitum eſſe contendat, ſciat, habitum perfectionem quandam indicare: ſed, cum opinio imperfectum quid ſapiat, (opinans enim oppoſitum eius, quod ſentit, ne ſit formidat) inter dubios potius aſſenſus, quam inter habitus connumeranda eſt. Verum hoc idem infra latius exponemus.

De obiecto intellectus. Cap. VIII.

3. *de ani. cap.* 4. INTELLIGERE, vt ait Ariſtoteles, eſt quoddam pati, hoc eſt paſſioni ſimile: intellectus enim non proprie patitur, quoniam à ſuo obiecto non immutatur: ſed pati dicitur, quia eius ſpeciem recipit, a qua non immutatur, ſed magis proficiſcitur: quæ paſſio perfectiua à philoſophis nuncupatur, obiectum intellectus & rei eſſentia, quidditas ab ipſis appellata. Nam ſenſus rerum quidditates minime percipiunt, ſiue propria, ſiue communia obiecta reſpicias. Viſus enim colorem, auditus ſonum, odoratus odorem, guſtus ſaporem, tactus tangibiles qualitates, vt calidum, frigidum, cæteraſque huiuſmodi qualitates, vt propria obiecta, percipiunt; figuram vero, magnitudinem, numerum, motum, & quietem, vt communia obiecta cognoſcunt; quæ omnia quantitates, qualitateſque eſſe non dubitamus. At intellectus accidentia prætergreſſus ſuo acumine rerum eſſentias penetrat; & in illis verſatur; & quod ſenſus non poteſt, attingit. & quamuis omnium rerum eſſentias ſpeculetur, compoſitorum tamen eſſentias facilius percipit, quia harum imagines à ſenſibus aſſidue excipit. Quare antequam explicemus, quonam pacto intellectus ſe ipſum, atque ea, quæ ſupra ipſum exiſtunt, intelligat, exponemus, qua ratione ea, quæ ſub ipſo ſunt, compoſita inquam, cognoſcat.

Quo-

Quomodo intellectus compoſita cognoſcat. Cap. IX.

QVAMVIS intellectus à materię, mixtioniſque omnis labe ſit immunis: dum tamen mortali corpore alligatur, ſuam à ſenſibus cognitionem accipit, nec intelligere quicquam ab initio poteſt, niſi ad imagines à vi imaginatiua effictas, in eademque exiſtentes, quæ vocantur phantaſmata, ſe conuertat, eaſque illuſtret, hoc eſt materiæ condicionibus exuat, ac tales, qualis ipſe eſt, efficiat. Dum enim effigies illæ materiæ condicionibus, vt carne, oſſibus, cæteriſque eiuſmodi partibus, quæ indiuiduum conſtituunt, veſtiuntur, fieri non poteſt, vt cum intellectu copulentur: ſin autem iiſdem expolientur, tunc intellectui quam ſimillimę factæ, ab eo recipiuntur, ac intelliguntur: nec amplius phantaſmata, ſed intelligibiles ſpecies appellantur. Sed age rem exemplo clariorem reddamus. Cum aliquis homo, vt puta, Socrates, noſtris ſe ſe oculis offert, eius ſpecies à viſu ad vim imaginatiuam per ſenſum communem defertur, & imaginatiua Socratis ſibi imaginem effingit: quæ quoniam in ſenſitiua parte reperitur. ipſa quoque turbidis materiæ condicionibus implicatur, ac prohibetur, ne ad intellectum progredi poſſit. Intellectus igitur agens in effigiem illam intuens, materiæ condicionibus ipſam denudat, denudatamque intellectui poſſibili excipiendam offert: qui eam ita illuſtratam recipit, ac ſibi adiungit, & quodam modo vnum cum illa efficitur. Hic intellectus luci comparatur. Nam quemadmodum lux tenebras expellens efficit, vt id, quod potentia viſibile erit, actu à viſiua potentia videatur: ita intellectus agens craſſas illas materiæ condiciones expellens facit, vt id, quod potentia intelligibile erat, actu ab inintellectu poſſibili comprehendatur. Nolim quis exiſtimet, nos cenſere intellectum poſſibilem ab agente re diſtingui, (id enim falſum eſt, vt ſupra docuimus) ſed ſciat, nos intellectus officia diſtinguere, quorum alterum eſt phantaſmatum illuſtratio, alterum eorundem receptio; ipſumque, quatenus illuſtrat, agentem; quatenus verò recipit, poſſibilem nominare. Cum autem phantaſma aliquod illuſtratum.

ſtratum fuerit, non amplius ſingulare, ſed vniuerſale appellatur. Condiciones enim materiæ ſingulare conſtituunt: ſed ſi hæ ope intellectus agentis ſegregentur, id, quod erat ſingulare, tale eſſe deſinit, & fit vniuerſale, quod vniuerſale phantaſmatis vocare conſueuimus, non quòd de alio prædicetur, qualia ſunt genus, & ſpecies, ſed quod condicionibus illis, quibus indiuiduum conſtat, nudatum reperiatur. Hęc denudatio abſtractio quoque nominari ſolet. Verum hic non eſt prætereundum, intellectum non ab omni materia, ſed à ſingulari tantum phantaſmata denudare. Nam à communi materia illa non expoliat. Singularis materia eſt, vt hæc caro, hoc os, hic neruus: communis, vt caro, os, neruus. Non itaque intellectus Socratis effigiem communi materia exuit, (nō enim compoſita ſine materia intelliguntur) ſed tantum ſingulari, quæ impedit, quò minus effigies imprimi poſſit. In hac igitur effigie Socrates non vt Socrates, ſed vt homo intelligitur, adeo, vt natura potius humana quam Socrates comprehendatur. Socrates enim materiæ condicionibus nudatus non tam Socratem, quam hominem repræſentat. Nam hę condiciones efficiebant, vt Socrates eſſet Socrates: quibus abiectis, Socrates potius homo eſt, quam Socrates, & naturam potius, quam indiuiduum præſeferre compertum eſt.
1. Phy. c. 5. Hanc ſpeciem ita denudatam intellectus primo, & per ſe reſpicit: intellectus enim, vt ait Ariſtoteles, eſt vniuerſalium. Singulare
3. de ani. t. 41. autem, vt rectè Io. Grammaticus adnotauit, intellectus apprehendens, ſenſu, vt inſtrumento, vtitur, neque illud abſque imaginatiua, quæ ſingularia apprehendit, vllo pacto intelligit. Quare propria intellectus operatio in vniuerſalibus verſatur, quæ ipſius inſtar, materiæ ſunt expertia. Singularia verò intellectus indirecte, & reflexa quadam ratione intelligit, ſe ſcilicet ad imaginatiuam, à qua ſpecies abſtraxerat, rurſus conuertendo, ſuumque actum cum ea coniungendo. Sed quomodo, inquiet aliquis, dictum eſt, intellectum non abſtrahere à materia communi, cum mathematicus ea, quæ materiæ inhærent, ab omni materia ſegregata conſideret? Si rectè animaduertemus, & rem penitus examinauerimus, inueniemus, ne mathematicum quidem ab omni materia abſtrahere. Duplex enim eſt materia communis, corporea, & intelligibilis. Corpoream appellamus illam, quæ non ſolum quantitati, ſed etiam ſenſibilibus qualitatibus, calido ſcilicet, frigido, & reliquis huiuſmodi affectionibus ſubeſt. Intelligibilis vocatur, quæ quantitati ſolum, non autem qualitatibus ſubiacere concipitur. Naturalis Philoſophus ab illa quidem nullo modo abſtrahit, cum

ſenſi-

ſenſibiles qualitates contempletur. Mathematicus vero, & ſi hanc non conſiderat, ab intelligibilis tamen materiæ cognitione non abſtinet: neceſſe eſt enim, vt hanc ſaltem, vt quantitatis ſubiectum, agnoſcat. Quare mathematicus, quanquam ſenſibiles qualitates non reſpicit, ab intelligibili tamen materia abſtrahere nequit. Hic in dubium quis merito reuocabit, num intellectus, poſtquam ſpecies intellexerit, eaſdemque in memoria intellectiua conſeruauerit, neceſſe habeat, vt rurſus, cum eaſdem contemplari voluerit, ad phantaſmata ſe conuertat, an ſatis ſit, vt ſine phantaſmatibus ſpecies illas in intellectu conſeruatas ſpeculetur. Certè ſi ſpecies è memoria prorſus effluxerint, dubium non eſt, rurſus ad phantaſmata recurrendum eſſe. Verum ſi ſpecies adhuc in memoria conſeruentur, quid ſentiendum ſit ambigitur, præſertim apud nos, qui memoriam in intellectiua quoque parte reponimus. Nam alij, qui memoriam in ſenſitiua tantum parte collocant, forſan abſolute reſpondebunt, intellectum, quoties intelligit, phantaſmatibus indigere. Nobis verò aliter fortaſſe reſpondendum eſt. Quid igitur dicemus? D. Thomas in prima par. q. 84. ar. 7. cenſet, intellectum in intellectione ſemper phantaſmatibus egere, multaſque affert rationes, quibus ſuam ſententiam comprobare conatur. Nos multifacimus tanti viri auctoritatem, neque nobis propoſitum eſt eius opinionem confutare, ſed, vt verum fateamur, nobis aliud videtur. Nam etſi in qualibet noua intellectione intellectus phantaſmatibus eget: tamen, poſtquam intelligibilem ſpeciem ſibi agglutinauit, & memoria excepit, cur non ſatis erit, ſi ad illas ſpecies conſeruatas reſpiciatur. cur nouo rurſus labore fatigabitur, vt phantaſmata illuſtret? Fruſtra quidem fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora; & æquè benè. Si igitur intellectus per ſpecies in memoria conſeruatas ſuum poteſt munus exercere, ſuperuacaneum eſt, vt indeſinenter in phantaſmatum illuſtratione defatigetur. Præterea, quam ob cauſam memoria ſpecies conſeruat, niſi vt intellectus, cum libuerit, intelligere queat? Aut igitur memoria in intellectiua parte ponenda non eſt, aut, ſi ponatur, vt ab eodem Doctore conceditur, velimus, nolimus, fateri cogemur, nullam aliam ob cauſam intelligibiles ſpecies in ipſa conſeruari, niſi vt intellectus in eo, quod ſummo ſudore aſſecutus eſt, ſine labore deinceps verſari poſſit.

Quo-

Quomodo intellectus ſe ipſum intelligat. Cap. X.

INTELLECTVS ſe ipſum quoque intelligit, & veluti intelligibilia cuncta intelligibilis rationem ſubit. Quonam verò modo ſe intelligat, id exponendum eſt. Tria in intelligentium immixtorum ordine genera reperiuntur, Deus, Angelus, & Intellectus. Deus eſt actus omnino purus. Quare ſe ipſum, cæteraque omnia per ſuam eſſentiam intelligit. Angelus quamuis corpore careat, non tamen eſt actus prorſus purus. Quapropter licet ſe ipſum per ſuam eſſentiam cognoſcat, cætera tamen inferiora per eorum ſimilitudines intelligit. Verum intellectus humanus angelo inperfectior, imbecilliori quoque ratione intelligit; & quamuis reliqua in morem angeli per eorum ſimilitudines cognoſcat, ſe tamen per propiam eſſentiam intelligere nequit; ſed reflexo quodam modo in ſuimet cognitione operatur. Poſtquam enim aliquid externum intellexerit, ad proprium actum ſe conuertens, intelligit, ſe illud intelligere, atque ex hoc percipit, ſe intellectum eſſe. Neque vlterius naturalibus viribus certo progredi poteſt. Nam ſi ex hoc actu ſui ipſius naturam inueſtigare contendat, multum deſudet neceſſe eſt; & cum deſudarit, difficulter in ſuimet cognitionem perueniet. Quod variæ philoſophorum de natura animæ ſententiæ luce clarius oſtendunt: perpauci enim, licet omnes vires in hanc intenderint curam, veritatem aſſecuti fuere. Homo igitur per intellectus actum percipit, ſe intelligere, & animam intellectiuam habere: verum per hunc ipſum difficillimè ad eiuſdem naturæ notitiam peruenire poteſt. Quoniam verò in anima rationali non ſolum potentiæ, ſed etiam habitus exiſtunt, neceſſe eſt, vt intellectus non modo potentias, ſed habitus quoque cognoſcat. Hos eodem modo, quo potentias nouit. Nam & potentiæ, & habitus ex eorum operationibus dignoſcuntur. Quia igitur intellectus ſe, & principia, & concluſiones intelligere nouit, percipit etiam, ſe habitum intellectus, & ſcientiæ habere. idemque de ceteris habitibus iudicium erit. Nec minus intellectus voluntatis

actum,

actum, atque ipſam voluntatem cognoſcit: anima enim rationalis intelligit ſe velle; & ſibi aliquid, quo velit, ineſſe Id verò eſt voluntas. Anima verò intellectu, qui ſolus in ipſa intelligit, id ſe conſequi cognoſcit.

Quomodo intellectus ea, quæ ſupra ſe ſunt, intelligat. Cap. XI.

CAETERVM res materiæ expertes, vt ſubſtantiæ ſeparatæ, & ipſe præſertim Deus Opt. Max. multo difficilius ab humano intellectu percipiuntur. Nam & ſi intellectus ex rebus corporeis in ſubſtantias ſeparatas paulatim aſcendit: ea tamen cognitio, quam de ijs habet, adeo imperfecta eſt, vt ſciat potius, quid non ſint, quam quid ſint. Non enim eas per ſuam eſſentiam, non per ſuum actum, non per ſimilitudines ab ipſis acceptas cognoſcere poteſt. Cum enim non ſit actus purus, quomodo per ſuam eſſentiam, quæ extra ipſum ſunt intelliget? Neque fieri poteſt, vt per ſuum actum illas noſcat, cum ſuus actus ad exteriora reflecti nequeat, quamuis ad ſe ipſum reflectatur. Num quid igitur ſubſtantias ſeparatas per earum ſimilitudines cognoſcet? At incorporeorum nullæ imagines effingi poſſunt. Ex ijs patet, quam difficile intellectus ad illarum cognitionem perueniat. At quomodo, inquis, illas intelliget? Intellectus corporea conſiderans, & illorum ſibi imagines formans, cernenſque quantum imperfectionis illis inſit, ſenſim aſcendit, & ſubſtantias quaſdam harum imbecillitatum expertes venatur, donec ad aliquam deueniat ſubſtantiam, quæ omni penitus imperfectione careat. Ab infimis igitur, & imperfectiſſimis corporibus in perfecta corpora, ab ijs in intelligentias, ab intelligentijs in ſupremam intelligentiam aſcendit. Id autem efficit, incorporeum à corporeis imbecillitatibus ſegregando, corporeaque cum corporeis comparando. & quamuis in hoc aſcenſu multum curæ, laboriſque impendat, paruam tamen atque imperfectam de intelligentijs cognitionem adipiſcitur. Intellectus itaque neque per ſuam eſſentiam, neque per ſuum actum, neque per acceptas ſimilitudines intelligentias cognoſcit: ſed eas intelligit corporeas imperfectiones ab illis remouendo. Qua in intel-

intellectione vtitur phantaſmatibus rerum corporearum, quas in corporeis remotione comparauit. Hinc liquet, verum eſſe, quod diximus, intellectum humanum de intelligentijs, ac potiſſimum de Deo potius intelligere, quid non ſint, quam quid ſint. Laudatur itaque non iniuria Simonides, qui cum interrogaretur, quid eſſet Deus, tridui ſpatium ad reſpondendum poſtulauit: quo tranſacto duplex petijt; cumque ſæpius id feciſſet, interrogatus, cur ita faceret, reſpondit: De Deo quanto magis conſidero, tanto minus intelligo.

De triplici intellectus operatione. *Cap. XII.*

TRIPLEX verò eſt intellectus operatio, ſimplicium apprehenſio, compoſitio, & diuiſio, & ratiocinatio. Simplicium apprehenſio eſt receptio ſpeciei intelligibilis, cum ſcilicet rei ſimilitudo materiæ condicionibus denudata in intellectu excipitur. Compoſitio, & diuiſio eſt, cum intellectus plura ſimul coniungit, aut cum alteram ab altero ſegregat: veluti cum dicit, Homo eſt animal; vel cum dicit, Homo non eſt lapis. Ibi enim animal homini adiungit, hic lapidem ab homine ſeiungit. In ſumma compoſitio, & diuiſio ſpectatur in propoſitionibus, quæ verum, vel falſum ſignificant. Hæc ſecunda intellectus operatio ſine prima eſſe nequit. non enim intellectus componere, aut diuidere poteſt, niſi prius apprehenderit ſimplicia, quæ compoſitionem, diuiſionemque ingrediuntur. Quomodo namque animal cum homine copulabit, niſi prius ſcierit, quid ſit animal, quid ſit homo? Rurſus qua ratione lapidem ab hominis natura alienum eſſe intelliget, niſi prius lapidis, hominiſque eſſentiam cognorit? Cum igitur compoſiturus eſt quæpiam, vel diuiſurus, neceſſe eſt, vt ea, ex quibus propoſitio conſtat, prius intelligat. Simplicium igitur apprehenſio compoſitionem, ac diuiſionem præcedit. Ratiocinatio eſt, cum ex præcedentibus propoſitionibus aliquid concluditur: veluti ſi dixero: Omnis homo eſt animal; Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt animal. Ratiocinatio ſine alijs intellectus operationibus fieri nequit, cum

ipſa

ipſa ex propoſitionibus, propoſitiones ex terminis, qui ſimpliciter apprehenduntur, omnes conſtent. Ratiocinationum quatuor ſunt ſpecies, ſyllogiſmus, ſub quo demonſtratio continetur, enthymema, inductio, & exemplum. Syllogiſmus, eſt ratiocinatio, in qua duabus propoſitionibus poſitis neceſſe eſt concluſionem euenire. veluti ſi dicam: Homo eſt rationalis; Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt rationalis. Hæc vltima propoſitio eſt concluſio, quæ ex duabus propoſitionibus deducitur: his enim conceſſis concluſio ex neceſſitate conſequitur. Demonſtratio eſt ſyllogiſmus ex neceſſarijs propoſitionibus conſtans. Demonſtratio itaque ipſa quoque eſt ſyllogiſmus, & ſub eo, tanquam ſpecies ſub genere, continetur. Nihil enim refert, in ſyllogiſmo num propoſitiones contingentes ſint, vel neceſſariæ. At demonſtratio operæ pretium eſt, vt ex neceſſarijs conſtituatur; veluti ſi dicas: Omne animal rationale eſt riſibile; homo eſt animal rationale: ergo homo eſt riſibilis. Enthymema eſt ſyllogiſmus decurtatus: cũ enim altera priorum propoſitionum à ſyllogiſmo aufertur, euadet enthymema. exempli gratia: ſi hunc fabriceris ſyllogiſmum: Omnis homo eſt riſibilis: Petrus eſt homo ergo Petrus eſt riſibilis; ſi maiorem demas, ac dicas, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis; ſiue minorem tollas, & dicas, Omnis homo eſt riſibilis, ergo Petrus eſt riſibilis; ſyllogiſmus, à quo propoſitionum altera ablata eſt, enthymema vocabitur. Inductio eſt, cum ex pluribus ſingularibus vniuerſale concluditur: veluti ſi dicas, Petrus eſt animal, Socrates eſt animal, & ſic de reliquis, ergo omnis homo eſt animal. Exemplum eſt, cum ex aliquorum factis quippiam perſuadetur: veluti ſi dicamus: Moyſes orando Deum placauit: ergo nos orare debemus, vt Deum placemus. Hic argumentandi modus Rhetoribus eſt peculiaris. Hæc de ratiocinatione perſtrinximus, quoniam huiuſmodi contemplatio ad logicum ſpectat. qui autem exactam huius rei notitiam adipiſci voluerit, Ariſtotelis analytica tam Priora, quam Poſteriora perlegat.

De veritate, & falſitate intellectus. Cap. XIII.

QVONIAM intellectus quandoque verus, quandoque falſus dicitur, non ab re erit declarare, quid ſit veritas, & quid falſitas, & quando intellectus aut verus, aut falſus dicatur. Veritas eſt conuenientia rei cognitæ cum cognoſcente. Falſitas eſt diſcrepantia rei cognitæ à cognoſcente, ex cognoſcentis, vel obiecti defectu proueniens. Quando enim intellectus aliquid apprehendit vt conueniens, neque decipitur, tunc verus dicitur. Quod ſi aliquid, cum tamen ſit diſcrepans, vt conueniens conceperit, ac decipiatur, falſus appellatur. Duplex autem eſt veritas, altera incomplexa, altera complexa. Incomplexa eſt, cum intellectus rei alicuius ſimplicis quidditatem tantummodo percipit, vt hominis, uel animalis. Complexa eſt, cum intellectus, poſtquam duarum rerum quidditates ſeparatim perceperit, illas coniungit, & inter ſe ſe conuenientes eſſe iudicat: veluti ſi hominis quidditatem ſeiunctim ab animalis quidditate intelligat, deinde hanc illi adiungat: Illa ſimplici apprehenſione, hæc compoſitione, ac diuiſione comprehendit? Falſitas illi oppoſita, qua aliqua quidditas non percipitur veluti eſt, incomplexa vocatur: at falſitas huic aduerſans, qua perceptæ quidditates perperam copulantur, aut ſeparantur, falſitas complexa nominatur. In ſimplicium apprehenſione veritas incomplexa reperitur: neceſſe eſt enim, vt intellectus, cum ſimpliciter apprehendit, rei quidditatem ſecum conuenire intelligat. At falſitas incomplexa in intellectum, niſi fortaſſe ex accidenti, cadere non poteſt. Vt enim ſenſus circa proprium obiectum non fallitur, niſi ex accidenti, veluti cum febrientis guſtus dulcem ſaporem amarum experitur, quoniam organum bili eſt refertum: ita intellectus in apprehendenda rei quidditate non decipitur, niſi ex accidenti, cum ſcilicet compoſitio rei, in qua quidditas exiſtit, aut phantaſma in ui imaginatiua ob offenſum organum deprauatum, obſtat, quo minus intellectus rei veritatem aſſequatur. In ſimplicium itaque apprehenſione intellectus, niſi ex accidenti, ſemper verus, eſt. At in compoſitione, ac diuiſione manifeſtè tam

veri-

veritas, quam falſitas apparet, dum alterum cum altero aut rectè, aut male connectitur. Quod ſi in compoſitione, ac diuiſione intellectus nunc verus, nunc falſus inuenitur, multo magis neceſſe eſt, idem euenire in ratiocinatione, quæ ex pluribus propoſitionibus conſtat.

De aſſenſu, ac diſſenſu. Cap. XIV.

COMPOSITIONEM, ac diuiſionem, nec non & ratiocinationem aſſenſus, aut diſſenſus ſubſequitur: eſt autem aſſenſus iudicium affirmatiuum de aliquo: intellectus enim, cum ei offertur aliqua propoſitio, quam tanquam veram ſuſcipit, ei aſſentitur, atque in ea oblectatur. Diſſenſus verò eſt iudicium negatiuum. Nam intellectus, oblata ſibi propoſitione quam falſam arbitratur, illam auerſatur, atque abijcit. Aſſenſus, ſex ſunt ſpecies, aſſenſus euidens, fides, opinio, ſuſpicio, præſumptio, & error. Aſſenſus euidens eſt, qui eſt adeo clarus, & certus, vt intellectus nullo modo oppoſitum ſentire poſſit, cuiuſmodi eſt is, qui ex neceſſarijs propoſitionibus per demonſtrationem habetur. Fides eſt aſſenſus certus, qui veriſſimis, ſed non euidentibus propoſitionibus & auctoritati dicentis, aut reuelantis innititur. Opinio eſt aſſenſus ex probabilibus propoſitionibus proueniens, quo intellectus magis ad vnam, quam ad alteram partem deflectitur, cum dubitatione tamen, ne altera pars vera exiſtat, cuiuſmodi pleraque philoſophorum placita exiſtimantur. Suſpicio eſt aſſenſus, quo intellectus ad alteram partem, leuiter tamen declinat. Præſumptio ad ſuſpicionem reducitur, nam nihil aliud, quam magna ſuſpicio eſſe videtur. Error eſt aſſenſus, quo intellectus falſis propoſitionibus, quas tamen exiſtimat veras, adhæret. Quot vero modis aſſenſus, totidem diſſenſus quoque dicitur.

De intellectione animæ ſeparatæ. *Cap. XV.*

ATQVE hoc quidem modo anima humana, dum corpori aligatur, intelligit. Cum autem intellectio ſit propria eiús operatió, ex neceſſitate fatendum eſt, ipſam quoque à corpore ſeiunctam intelligere. Neque id in controuerſiam vocari poteſt inter eos, qui, vt nos, animam immortalem ſtatuunt. Verum illud ambiguum valde eſt, quonam pacto ipſa intelligat: Nam non omnes theologi idem ſentiunt. equidem in tanta opinionum diuerſitate mihi dicendum videtur, difficilem intellectu eſſe modum illum, quo anima ſeparata intelligit. Nam ſi quomodo hic intelligamus, non penitus nouimus, qua ratione capiemus quonam pacto anima liberior effecta intelligat. Illud certè dicere audebimus, perfectius animam ſolutam, quam alligatam cognoſcere, cum corporea mole non prohibetur, quominus ſuo munere fungi poſſit. Non enim tunc phantaſmatibus opus erit, ſed ſpecies ipſæ materiæ conditionibus exutæ intellectui offerentur. omnia tunc anima, ſed purius intelliget. Quis nam vero ille modus ſit, nec intelligo, nec explicare poſſum. Qui autem ſe intelligere, *Tho. 1. p. quæſ. 89. per totam* aut explicare poſſe exiſtimant, aut D. Thomæ, aut Scoto adhæreant, ac diſputent, num anima per conuerſionem ad phantaſmata, aut per conuerſionem ad ſuperiora, vel potius per con- *Sco. in 4. d. 45. q. 9.* uerſionem ad obiecta corpora, materialia intelligat, ac præterea, num ſe ipſam per ſe ipſam, ac ſubſtantias ſeparatas per ſe ipſas, an alia quapiam ratione percipiat. Illud inſuper prætereundum non eſt, non omnes animas ſeparatas omnia intelligere. Nam animæ damnatorum non omnia intelligunt, vt Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda, & Gregorius 12. moralium affirmant. *Cap. 13.* Beatorum vero animas par eſt exiſtimare omnia cognoſcere, quæ fiunt, cum Dei eſſentiam, in qua omnia, veluti in ſpeculo, relucent, intuentur, ac ſint, velut angeli Dei. Non deſunt, qui contrariam ſententiam ſequi malint, aſſerentes, beatos ea tantum in diuina eſſen- *Ibid.* tia intelligere, quę Deus uult illis reſerare. Sanctus tamen Gregorius

rius priori adhærent opinioni. Nam 12. Mora. ita ait, cum de animabus ſanctis loquitur: Quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quod ſit foris aliquid quod ignorent.

De voluntate. *Cap. XVI.*

POSTREMA rationalis animæ facultas eſt voluntas, quæ nihil aliud eſt quam appetitus, ſeu inclinatio animæ rationalis, qua bonum, vt bonum eſt, proſequitur. Multæ ſunt voluntatis operationes, de quibus forſan alibi fuſe dicemus. Nunc illud tantum noſſe ſufficiat, alias voluntatis operationes ipſum finem, ſeu bonum, alias ea, quæ finem conſequuntur, alias ea, quæ in finem ducunt, reſpicere. Prima voluntatis operatio, quæ finem intuetur, voluntas, ſeu velle appellatur: operationes, quæ finem conſequuntur, ſunt, vt delectatio, & fruitio: at operationes, quæ in ijs, quæ in finem ducunt, verſantur, ſunt, vt electio. finis vltimus adeo voluntatis naturæ copulatus eſt, vt in operatione, quæ illum reſpicit, eius libertas nullo modo ſpectetur. Quare voluntas finem vltimum ex neceſſitate vult, neque poteſt ipſum non velle. Bonum enim ſummum neceſſario appetit. In operatione igitur, quæ finem vltimum reſpicit, voluntatis libertas neque videri, neque excogitari poteſt, immo, quem admodum terra infernm, ignis ſuperum locum ex neceſſitate affectat: ita voluntas ad bonum hoc inclinatur. Hæc autem neceſſitas non coactionis, ſed naturæ vocatur. Illa enim, non hæc, voluntati repugnat. Cogi etenim voluntas nequit, ſed naturæ neceſſitatem ſequitur, & vltimo fini, velit, nolit, adhæret. In cæteris verò voluntatis operationibus libertatem experiemur. Verum alia eſt libertas in ijs, quæ finem conſequuntur, alia in ijs, quæ ad finem ducunt. In illis enim non abſolutè, ſed ratione quadam libera exiſtit, quatenus ſcilicet operationem, quæ in ijs verſatur, ſuſpendere poteſt. Nam voluntas, quemadmodum finem, ita quoque delectationem, quæ finem conſequitur, appetit, & ſicut vult finem, ita & in fine vult delectari. Hoc tamen inter ea diſcrimen reperitur, quòd voluntas operationem in finem ſuſpendere nequit. Non enim poteſt.

ceſt in illum, non intendere: operationem verò in ea, quæ finem conſequuntur, ſuſpendere poteſt. Nam, & ſi delectari poſt finem appetit, poteſt tamen, cum finem appeterit, hic ſiſtere, neque vlterius intendere. In hac itaque operatione voluntas partim libera, partim non libera inuenitur. At in ijs, quæ in finem ducunt, & in quibus electio verſatur, voluntas omni modo libera eſt, atque hæc voluntatis portio liberum arbitrium nuncupatur. quod quanquam nullo modo, quantum ad electionem ſpectat, impediri poteſt, nihil tamen vitat, quin exequi quandoque prohibeatur. Duplices enim ſunt voluntatis actus; alij, qui à uoluntate eliciuntur, vt velle, & eligere; alij, qui à voluntate imperantur, vt ſedere, ambulare. Cum enim voluntas imperat, ſedemus, ambulamus, cæteróſque huiuſmodi actus exercemus. Actus eliciti ſunt eiuſmodi, vt, quantum ad ipſos attinet, voluntas impediri nequeat. quantum vero ad actus imperatos pertinet, dubium non eſt, voluntatem inhiberi poſſe. Nam prohiberi poſſum, ne ſedeam, ne ambulem. Nos cum exequi volumus, quoniam corporeis inſtrumentis vtimur, impediri poſſumus, quo minus exequamur, quanquam voluntas, vt exequamur & affectet, & imperet. libere itaque voluntas eligit, neque cogi poteſt, quin eligat: & ne exequatur prohiberi poteſt. In electione itaque, non in executione voluntatis libertas ſpectanda eſt.

De libero arbitrio. Cap. XVII.

NON eſt igitur aliud voluntas, aliud liberum arbitrium. ſed voluntas, quatenus libere eligit ea, quæ in finem ducunt, liberum arbitrium nuncupatur. Hanc libertatem nobis ineſſe, experientia edocemur: poſſumus enim ea quæ nobis proponuntur, tum ſequi, tum auerſari: ſi in nobis hæc libertas non eſſet, fruſtra conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, ac pœnæ proponerentur. Iniuſtitiæ quoque Deus, ne dum homines, argueretur, qui bonos præmijs afficit, & malos punit: cum neque illis bona opera, neque ijs praua, ſed neceſſitati cuidam tribuenda eſſent. At quoniam Lutherani Huſſitas imitati arbitrij libertatem de medio tollere conantur

non

non ab re erit, ex diuinis libris oſtendere, quam praua ſit hæc eorum perſuaſio. Nam ſi naturalibus rationibus à rectè ſentientibus philoſophis allatis eos confutare ſtudeas, te derident, & ſcripturis, non ratione pugnandum eſſe aſſeuerant. Ne igitur nos pugnam detrectare videamur, ſacrorum librorũ auctoritate cum ipſis congrediemur, Cum verò de triplici libertate in ſcripturis mentio fiat, explicandum eſt, de qua libertate inter nos, & illos controuerſia exiſtat. eſt enim libertas à peccato, à miſeria, & à coactione. Liberi ſunt à peccato, qui delictorum immunes ſunt. De hac libertate ita ſcribit Apoſtolus: Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiç. Liberi ſunt à miſeria, qui Deo fruuntur. Huius libertatis meminit idem Apoſtolus, dum ait: Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Liberi ſunt à coactione, qui cogi nequeunt, qualis eſt noſtra voluntas. Hæc libertas naturalis à multis appellatur, propterea quod voluntati naturaliter ineſt. Controuerſia eſt non de duabus prioribus libertatibus, ſed, de tertia, quæ proprie liberum arbitrium apppellatur. De hac igitur ſermonem facientes, primum Catholicam ſententiam ſacrarum litterarum auctoritate confirmabimus; deinde hæreticorum calumnijs reſpondere enitemur. Verum breuibus rem ipſam explicabimus, cum non defuerint, qui cum ijs diſerrè, atque eleganter integris libris manus conſeruerint. Dixit Dominus ad Cayn: Nonne ſi bene egeris, recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Rurſus ſcriptum eſt: Deus ab initio conſtituit hominem, et reliquit illum in manu conſilij ſui. & iterum: Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te, ſed iuxta te eſt ſermo valde in corde tuo, vt facias illum. & rurſus: Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Cur optio datur Iudæis, an Deum ſequi velint, ſi hoc in eorum non erat poteſtate? Cur Dauid dixit, Voluntarie ſacrificabo tibi, ſi id ex eius voluntate non pendebat? Idem quoque, vt hanc ſibi libertatem ineſſe oſtenderet, dixit, Anima mea in manibus meis ſemper. Demum, ne plura veteris Teſtamenti teſtimonia coaceruem, illud ſatis erit, quod in Deuteronomio ſcriptum eſt: Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, vt viuas, & multiplicet te, & benedicat tibi. ſi autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, prædico tibi hodie, quod pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam Iordane tranſmiſſo ingre-

Rom. 6. *Rom. 8.* *Gen. 4.* *Eccl. 15.* *Deu. 30.* *Eſa. 1.* *Pſa. 50.* *Pſa. 118* *Deut. 30.*

dieris poſſidendam. Hanc tandem veritatem tum Chriſtus, tum
Matt. 18 eius Apoſtoli nos aperte docuerunt. Si vis, inquit Dominus, ingre-
Matt. 23 di ad vitam, ſerua mandata. & : Hieruſalem quoties volui congre-
gare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub
Matt. 25 alis, & noluiſti? Laudatur ſeruus, qui dixit, Domine quinque talen-
Io. 1. ta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ioannes
Io. 5. ait: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Ieſus paraclytum inter
rogans, Vis, ait, ſanus fieri? Chriſtus igitur nos hortatur ad man-
datorum obſeruationem; eum ſequi nolentes accuſat; credentibus
fide viua dat filios Dei fieri; paralytici aſſenſum requirit; ſeruũ ope-
rantem, & ſuperlucrantem commendat: (hæc autem omnia volun-
tatis ſunt opera) & hęretici tam impudenter liberum arbitrium
negant? Sed videant adhuc quid dicat Paulus: Qui ſtatuit in corde
1. Cor. 17 ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens
2. Cor. 9. ſuæ voluntatis. & rurſum: Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde
ſuo, non ex triſtitia, aut neceſſitate: hilarem enim datorem diligit
Deus. Quid ijs auctoritatibus clarius? quæ & arbitrij libertatem
conſtituunt, & neceſſitatem prorſus ablegant? Sexcenta huiuſmo-
di afferre poſſem teſtimonia: ſed hæc pio lectori ſatis eſſe exiſti-
maui.

Hæreticorum obiectiones. Cap. XVIII.

RELIQVVM eſt, vt hęreticorum obiectiones ali-
quot enumeremus, atque pro viribus diluamus.
Nam, etſi difficile non eſt Catholico diuinæ veritati
innixo illas diſſoluere: hunc tamen laborem pro
rudibus ſuſcipere non inutile fore cenſemus. Ne
verò vllus dubitandi locus relinquatur, prius indi-
cemus, quid Lutherani de libero arbitrio ſentiant.
Dicunt itaque, homini ante peccatum arbitrij libertatem adfuiſſe;
eumque tunc potuiſſe, & bonum, & malum ſequi: ſed poſt pecca-
tum hanc libertatem extinctam, hominique propenſionem tantum
ad malum relictam fuiſſe. liberum igitur arbitrium titulum ſolum,
non rem aliquam eſſe affirmant. Hanc peruerſitatem ſacrorum co-
Io. 15. dicum auctoritate comprobare nituntur. Dictum eſt, inquiunt, à
Chriſto: Sine me nihil poteſtis facere. Nihil ergo in noſtra ſi tum
eſt poteſtate, ſed omnia à Deo pendent, huc, atque illuc, prout
ipſi

ipſi collibitũ fuerit, noſtram voluntatem compellente. Hoc ipſum
Chriſtus apertius docuit, dicens, Nemo poteſt venire ad me, niſi *Io. 6.*
pater meus traxerit eum. Apertiſſime idem à Paulo docetur, dum *Ph. 2.*
ait: Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere. & iterum: *1 Cor. 4.*
Omnis ſufficientia ex Deo eſt. &: Deus operatur omnia ſecundum *Elie. 1.*
propoſitum voluntatis ſuæ. &: Non quod volo bonum, hoc ago, *Rom. 7.*
ſed quod nolo malum, hoc facio. &: Non eſt volentis, neque cur-
rentis, ſed miſerentis Dei. Hæc, & ſimilia ex nouo Teſtamento ad-
ducunt. ſed veteris quoque Teſtamenti auctoritate idem aſtruere
conantur. Nam in Geneſi ſcriptum eſt: Senſus, & cuncta cogitatio *Gen. 6.*
cordis humani ad malum prona ſunt omni tempore. & apud Hiere- *& 6.*
miam legitur: Scio Domine, quoniam non eſt hominis via eius, *Hier. 10.*
nec viri eſt, vt dirigat greſſus ſuos. & rurſus: Conuerte me Domi- *Hier. 31*
ne, & conuertar, quia tu Domine Deus meus: poſtquam me conuer- *Pro. 16.*
tiſti, egi pœnitentiam. In Prouerbijs quoque ita ſcribitur: Homi- *Pro. 16.*
nis eſt præparare cor. Deus autem gubernat linguam. &: Cor ho- *Pro. 21.*
minis cogitat viam ſuam, & Dominus dirigit greſſus ſuos. &: Sicut
diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque vo-
luerit, inclinabit illud. Alia quoque afferunt teſtimonia, quæ re-
cenſere longum, & ſuper uacaneum eſſet, cum ex horum ſolutio-
ne, cætera quoque nullo negotio diſſoluantur.

De infirmitate liberi arbitrij, & gratiæ neceſſitate. Cap. XIX.

VERVM, vt id facilius fieri queat, illud eſt diligenter adnotandum, liberum arbitrium ante peccatum rectum omnino fuiſſe: nam, cum homo rectitudine illa, quam theologi iuſtitiam originalem vocant, fultus eſſet, non modo peccatum omne facile euitare, ſed etiam ſenſum rationi ſubijcere prorſus poterat. Non enim tunc caro aduerſus ſpiritum pugnabat, ſed ſpiritui adeo obſequebatur, vt etiam ſubeſſet. Poſtquam verò infœlix homo à Deo abalienatus originalis iuſtitiæ donum amiſit, cœpit caro ſpiritui aduerſari; tantumque ex hoc

conflictu damnum animæ nonnunquam infertur, vt miſera miſerè carni ſuccumbat. Infirmum itaque poſt peccatum eſt liberum arbitrium, &, niſi diuina gratia adiuuetur, bonum æterna vita dignum, quod Meritorium theologorum more appellamus, operari nequit. Non tamen, etſi infirmum eſt, bene operandi libertatem perdidit. Nam ſtante Dei concurſu, quam generalem influentiã theologi vocant, qui omnibus rebus adeſt, poteſt homo à peccato abſtinere ſecundum aliquod tempus, & opus bonum morale agere: ſed raro & difficulter poteſt etiam cum ſpeciali Dei auxilio ſe ad gratiam iuſtificantem, ſeu gratum facientem præparare. Quod quomodo fiat, optime ediſſerit Concilium Tridentinum Seſſione 6. de Iuſtificatione cap. 5. 6. & ſeptimo. In quibus locis arbitrij libertas mirum in modum elucet, & clare etiam docetur, gratiam non tollere libertatem, ſed adiuuare. Gratia enim infirmitatem adiuuat, dum præſto eſt, dum ſuccurrit, dum extollit. ſua ſola vi, fateor, non poteſt voluntas excitari, ac rectè operari: tamen cum Dei gratia vtrunque facere poteſt. Nunquid vir, quoniam abſque muliere generare non poteſt, ideirco cum muliere generare nequit? Nunquid is, qui ſine baculo ambulare non poteſt, propterea ei innixus nequit ambulare? Dicimus itaque, gratiam libertati non repugnare ſed voluntatem excitare, & adiuuare; vt eadem adiuta (quod ſola non poterat) rectè, ac digne operari poſſit. Verum quid mirum eſt, hominem poſt peccatum non poſſe ſine gratia iuſtificante dignè operari, cum neque ante peccatum id potuerit? Quamuis enim homo tunc temporis iuſtitiam haberet originalem, qua peccatum cauere poterat, nequibat tamen mereri, niſi alia ei gratia appoſita fuiſſet. Niſi igitur gratia iuſtificans ei ſuffragata eſſet, nunquam ad vitam æternam aſcendiſſet. Quod ſi homo id ante peccatum non poterat, mirum non eſt, ſi poſt peccatum multo minus poteſt.

Obie-

Obiectionum ſolutio. *Cap.* XX.

SVPEREST, vt hæreticorum obiectiones diſſoluamus. Primo loco aiunt: Dictum eſt à Chriſto: Sine me nihil poteſtis facere. Nos dicimus, hiſce verbis nihil aliud innui, quam gratiæ neceſſitatem, ſine qua liberum arbitrium non poteſt aliquid ęterna mercede dignum operari. Neque voluit Chriſtus ſignificare, nullam operationem à libero arbitrio cum generali concurſu prodire: multa enim ſunt, in quibus non requiritur ſpeciale, aut particulare Dei auxilium, ſed ſatis eſt generalis ille concurſus. Tria ſiquidem ſunt operum genera: quædam enim ſunt per ſe bona, vt eleemoſynam egenti propter Deum elargiri: quædam ſunt per ſe mala, vt furari: quædam ſunt media, hoc eſt neque bona, neque mala, vt vigilare, deambulare, cum ſcilicet nullus conſideratur finis, ad quem hæc opera dirigantur. Liberum arbitrium ex ſuæ corruptæ naturæ condicione mala eligere, atque efficere poteſt; media quoque aliqua cum generali concurſu poteſt. At verò bona, & vita æterna digna ſine ſpeciali, aut particulari Dei auxilio neque eligere, neque facere poteſt. Non negat Chriſtus, liberum arbitrium poſſe malas, ac medias operationes aliquas ſine ſpeciali, aut particulari ipſius adiumento efficere; ſed infitiatur ſolum, his adiumentis ſecluſis, facere poſſe bonas, atque perenni præmio remunerandas. Cæteras enim operationes, præter eas, quæ æternam remunerationem merentur, crebro Scriptura nihil ſolet appellare. Ait enim Paulus: *1. Cor. 2.*
Circumciſio nihil eſt, & pręputium nihil eſt. & rurſus: Si habuero *1. Cor. 13*
prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. &: Qui ſe putat aliquid eſſe, cum nihil ſit. *Gal. 6.* Sine Chriſto igitur, hoc eſt ſine ipſius gratia, non poſſumus aliquid mercede æterna dignum operari: quamuis ſine ipſa, & mala, & media opera aliqua efficere poſſimus. Secunda auctoritas ab hæreticis allegata eſt: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Putant ij miſeri, omnem tractum violentum eſſe, animique tractum corporęorum tractuum inſtar ſe habere. ſed ij toto, vt in

pro-

prouerbio eſt, aberrant cœlo. Voluntas enim trahitur, non cogitur. Trahitur voluptate; trahitur admonitionibus, exhortationibus, interiori afflatu; trahitur præmiorũ amore; trahitur deniq. metu ſuppliciorum. Nunquid cũ ita trahitur, cogitur? Nonne & voluptatem aſpernari, & admonitiones nõ amplecti, & præmia cõtendere, & ſupplicia irridere poteſt? Cur Deus, niſi in noſtra poteſtate ſitum eſſet, eius vocationi non annuere, tam vehementer eos, qui renuunt, ob-
Pro. 1. iurgaret? Vocaui, inquit, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui reſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum. & increpationes meas neglexiſtis. Voluntatis igitur, tractus non eſt violentus, ſed liber, quoniam voluntas noſtra Dei vocationes & amplecti, & reijcere poteſt. Pauli auctoritas, Deus operatur in nobis velle, & perficere, quæ tertio loco obijcitur, nihil contra nos facit. Deus enim eſt, qui operatur in nobis, monendo, vt velimus, & adiuuando, vt perficiamus. Noſtrum autem eſt, vt Deo excitanti auxilio ſuo & pareamus, & operanti cooperemur. Non igitur quoniam Deus in nobis operatur velle, & perficere, iccirco arbitrij aufertur libertas: quinimmo hæc maxima eſt libertas, vt admonentem ſequamur, & operanti cooperemur, cum poſſimus non amplecti,
1. Cor. 3. & non cooperari. Quod autem Deo cooperemur, audi Paulum di-
1. Cor. 15. centem: Dei coadiutores ſumus. & alibi: Operor autem, non ego ſcilicet ſolus, ſed gratia Dei mecum. Quàm clare Paulus & gratiæ neceſſitatem, & noſtram cooperationem expreſſit. Ne enim vna cum Pelagio putaremus, diuina præcepta ſine gratia poſſe impleri, gratiam Dei operari dixit: vt verò nos cooperantes eſſe oſtenderet, addidit, gratiam ſecum operari. Quoniam igitur Dei cooperatores
Apo. 20. ſumus, opera noſtra appellantur. Vnde ſcriptum eſt: Iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera eorum. Nam licet Deus omnium rerum ſit princeps cauſa, reliquæ autem cauſæ ſint ſecundæ; effectus tamen non ſolum principi cauſę, ſed etiam ſecundis attribuuntur. Quare licet Deus omnium ſit prima cauſa, ſicut ſcriptum eſt;
Deu. 32. Nonne ipſe eſt pater tuus, qui fecit, & creauit te? generatio tamen carnalibus quoque parentibus aſcribitur. Eodem modo, quamuis Dei gratia noſtrarum bonarum voluntatum, atque operationum ſit princeps cauſa: quoniàm tamen nos cooperamur, hę operationes noſtræ appellantur. Quod quarto loco profertur, Omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt, indicat Deum eſſe primariam noſtræ ſufficientiæ cauſam: non tamen ex hac auctoritate quicquã aduerſus libertatem colligitur. Nam Paulus non negat, immo clarè fatetur, vt dictum eſt, liberum arbitrium Deo cooperari. Id etiam, quod

quod quinto loco affertur, Deus omnia operatur ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, non infitiatur, nos Deo cooperari: ſed tantum oſtendit, Deum eſſe primariam cauſam.

Sexta auctoritas, Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio, non negat arbitrij libertatem, ſed eius infirmitatem, atque inconſtantiam demonſtrat, quam prouenire ait à carne aſſidue ſpiritui reluctante. Lex enim carnis tanta eſt, vt liberum arbitrium, niſi Dei gratia adiuuetur, ne dum difficulter obſiſtere queat, ſed ſuccumbat neceſſe eſt. eſt enim, vt ibidem Apoſtolus docet, duplex lex, altera carnis, altera ſpiritus: quarum illa ſenſualitas, hæc ratio nuncupatur. ſenſualitas ad malum incitat, ratio ad bonum impellit. ſuadet ratio bonum eſſe faciendum: ſenſualitas contra nititur. Nonnunquam voluntas rationi ſuadenti non paret. Quare ſuccumbit, &, bono, quod ratio proponebat, relicto ad malum deflectit. liberi itaque arbitrij imbecillitatem, atque inconſtantiam volens Paulus oſtendere, ait, Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio. quaſi dicat, Ratio mihi dictat, vt bonum ſequar, & malum auerſer. Verum ſenſu allectus, quod ratio ſuadet, bonum non ſequor, ſed malo, quod ratio fugiendum proponit, à ſenſualitate incitatus adhæreo.

Quod autem ſeptimo loco dicitur, Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, nihil ad rem. Ibi enim Apoſtolus loquitur de prædeſtinatione, quæ, vt ſecundo lib. oſtendimus, non à noſtra libertate, ſed à ſola miſericordi Dei voluntate pendet.

Octauo loco affertur illud ex Geneſi: Senſus & omnis cogitatio cordis humani prona ſunt ad malum omni tempore. Illud quoque teſtimonium nihil facit aduerſus libertatem, ſed procliuitatem ad peccandum, quæ ex carnis proficiſcitur lege, oſtendit. Hoc autem, vt dictum eſt, libertatem non tollit, ſed eius indicat imbecillitatem.

Nona auctoritas à Hieremia ſumpta hæc erat: Scio Domine, quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt, vt dirigat greſſus ſuos. Hic propheta gratiæ neceſſitatem declarat. Nam ſi homo ſuo ductui relinquatur, ſuos greſſus dirigere nequit: ſin autem gratia adiuuetur, dirigere poteſt. Propheta itaque loquitur de homine Dei gratia nudato, non autem de eo, qui ab eadem excitatus, atque adiutus fuerit.

Decima quoque auctoritas, Conuerte me Domine, & conuertar, gratiæ oſtendit neceſſitatem, eamque bonorum operum primam

nam cauſam eſſe. Non tamen hic negatur liberum arbitrium, ſed potius clarè demonſtratur. Nam illis verbis, Conuerte me Domine, gratiæ neceſſitas indicatur; cum verò additur, Et conuertar, apertè libertas voluntatis Deo aſſentientis elucefcit. Teſtimonij, quod vndecimo loco ex Prouerbijs affertur, Hominis eſt præparare cor, Domini autem gubernare linguam, prior pars hæreticis manifeſtè aduerſatur, dum dicitur, Hominis eſt præparare cor. Nam ſi homo ſuum cor præparare poteſt, ex neceſſitate liber eſt. Poſterior autem particula Domini eſt gubernare linguam, non de electione, ex qua libertas patefit, ſed de executione intelligenda eſt: quamuis enim homo aliquid eligat, prohiberi tamen poteſt, ne exequatur. Quod & ſi ſupra demonſtrauimus, nunc tamen rurſus explicabimus. Nonne, ſiquis Romam ire elegerit, poteſt ab aliquo capi aut in itinere, aut antequam iter aggrediatur, atque ita impediri, ne Romam petat? eligimus nonnunquam aut dormire, aut ambulare, & tamen inhibemus, ne hoc, aut illud faciamus. Quod ſi homines prohibere poſſunt, quo minus aliquid exequamur, nonne magis id ipſum poterit Deus? Aufugit Iacob, ſocer

Gen. 31. Labam eum perſequitur vltionem de ipſo ſumpturus: à Deo tamen perterritus generum non offendit. Sichimitæ, quod filij Iacob

Gen. 34. habitatores Salem ob Dinæ ſtuprum perdidiſſent, in eos inſurgere

& 35. cogitarunt: at diuino metu correpti, illis nocere nequiuerãt. Quod ſi Deus homines prohibere poteſt, ne quod elegerant efficiant,

Num. 23. nonne prohibere poterit, ne quod deſtinarant, loquantur? Vide quid peruerſo vati Balaam acciderit. Conducitur à Balac, vt Iſraelitico populo maledicat: proponit id facere, ſed à Deo non permittitur: immo is, qui accitus fuerat, vt Iſraeli malediceret in eundem benedictiones congerit, Deo linguam aliter atque ipſe propoſuerat, monente. Recte itaque à Salomone dicitur, Dei eſſe dirigere linguam. Nam electio ſemper ſita eſt in hominis poteſtate: at executio interdum à Deo prohibetur.

Duodecima auctoritas affertur ex Prouerbijs: Cor hominis cogitat vitam ſuam, & Deus dirigit greſſus ſuos. Non ex eo quod Deus dirigit hominis viam, liberum homini arbitrium aufertur. Hæc autem directio, nihil aliud eſt, quam Dei auxilium, qui hominum cogitationibus, & quantum in ipſis eſt facientibus ſuccurrit. Cogitat homo conſtruere templum: Deus cœpto fauet. Nunquid artificibus opus non eſt? Ita quoque nos cogitamus ambulare, Deus præſto eſt. Num propterea nobis pedes non ſunt mouendi? Hoc eſt, quod ſupra diximus, Deum operari, nos autem cooperari.

ri. Quod vltimo loco obijcitur, ſicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu domini, quocunque voluerit inclinabit illud, nihil oſtendit aliud, quam Deum cor Regis inclinare. Sed nunquid iccirco cogit? Poteſt Rex parere, & non parere. Quare hoc teſtimonium arbitrij libertatem non excludit. Atque hoc pacto hæreticorum obiectionibus ſatisfactum eſſe arbitramur. Poſſemus aduerſus ipſos ſanctorum Patrum, & ſacrorum Conciliorum auctoritates afferre. ſed quoniam impij impie tum illos, tum hæc ipſa contemnunt, ſuperuacaneum duximus, hac in re laborare. Siquis autem vtrorunque teſtimonia aſpicere uoluerit, Io. Roffenſem, Alfonſum de Caſtro, alioſque, qui illa congeſſere, perlegat.

Alia de libero arbitrio hæreſes. *Cap. XXI.*

CIRCA liberum arbitrium, aliæ quoque hęreſes antiquitus excitatæ fuere. Pelagius Monachus ſub Innocentio primo ſummo Pont. & Arcadio Imperatore tantum libero arbitrio fauit, vt diceret, Dei gratiam non eſſe neceſſariã ad præcepta diuina complenda. cnmque à fratribus impietatis argueretur, tandem, & ægrè, confeſſus eſt gratiam eſſe neceſſariam, non quidem ad præcepta diuina implenda, ſed ad facilius implenda. Hęc hæreſis cum Lutherana è regione pugnat. Aduerſus hanc luculenter ſcripſit Auguſtinus, & Concilium Carthaginenſe congregatũ fuit. Iouinianus ſub Siricio Pont. Max. ac Theodoſio iuniore Imperatore docuit, Hominem poſt ſuſceptum baptiſma non poſſe amplius peccare. Hunc beatus Hieronymus longis voluminibus redarguit. Manichæus ſub Felice Papa, & Aureliano Imperatore aduerſam protulit ſententiam. contendens, Peccata non poſſe vllo pacto vitari. Quapropter ſicut Iouinianus libero arbitrio multum roboris tribuit: ita Manichæus eius nimiam infirmitatem aſtruxit. Scripſit contra hunc Euſebius, alijque permulti, & ex recentioribus Io. de Turre cremata. Has hæreſes forſan alibi confutabimus, Deo auxiliante, cui eſt gloria in ſæcula ſęculorum. Amen.

FINIS

INDEX

A

Abdomen. 331
Abies. 273
Abſynthium. 273
Accipiter. 206
Achates. 302
Actus notionales, in Diuinitate. 83.
Adamas. 302
Aequinoctialis Circulus. 155
Aer, & Volatilia. 204
Aeris natura. 204
in Aere generatorum materia. 355.
Aes. 298
Aeſtimatiua uis. 395
Alabaſtrum. 307
Allium. 274
Aloe. 274
Amethyſtus. 303
Amomum. 274
Amygdalus. 274
Anethum. 274
Angeli 92. eorum ſubſtantia. 97. locus. 98. motus. 99. cognitio. 100. voluntas. 102. dilectio. 103 ſtatus in creatione 104. illuminatio. 108. miſſio exterior. 109, actio in corpus. 111. actio in vim ſenſitiuam. 112. actio in vnam rationalem. 112. cuſtodia erga homines. 113. pugna. 113
Angelorum bonorum confirmatio, & præmium. 105
Angelorum malorum lapſus. 106
Animæ definitio, ac diuiſio. 349
Animam non migrare de corpore in corpus. 410
Animæ humanæ origo. 410
Animæ immortalitas. 414
Anima rationalis. 408. eſſentia. 413. potentiæ. 416. intellectio. 430.
Anima ſenſitiua. 384
Anima vegetatiua. 349. & vegetatiuarnm potentiarum numerus. 351
Animalia. 242. generatio. 371
Anni tempora quatuor. 181
Appetitus in communi. 401. ſenſitiuus. 402
Aqua, & eius natura. 221
Aquatilia. 232
Aquila. 206
Araneus. 265

Areuthinum lignum. 275
Argentum. 299
Arteriæ. 312
Arteria aſpra. 336
Arundo. 275
Aſcenſio, & diſcenſio ſigni. 197.
Aſcenſio recta, & obliqua. 199.
Aſinus. 242
Aſpis. 268
Aſſenſus. 429
Attacus. 218
Attributa, in Diuinitate. 84
Auctrix facultas. 382
Auditus. 388
Aues. 206
Aurichalum. 301
Aurum. 299

B

Balſamum. 275
Baſiliſcus. 269
Bdelium. 275
Behemoth. 243
Berillus. 303
Bitumen. 308
Bonum, & malum. 94
Borith. 275
Bos. 243
Brachium. 329
Brucus. 218
Bubalus. 245
Bubo. 207
Buxus. 276
Byſſus. 276

C

Calamus. 276
Camelus. 245
Camelopardus. 246
Cancer. 235
Canis. 246
Capparis. 276
Capra, & Caper. 247
Caprea. 248
Capra 356
Caput. 322
Carbaſus. 276
Carbunculus. 303
Carduus. 277
Carex. 277
Caro. 318
Cartilago 314
Caſia. 277
Caſus, & Fortuna. 36
Cathadrius. 207
Catta. 248
Cauſarum numerus. 92
Cedrus. 278
Ceraſtes. 269
Cerebellum. 334
Cerebrum. 334
Ceruus. 249
Cetus. 254
Chacledonius. 304
Choerogilius. 250
Chryſolitus. 304
Chryſopaſus. 304
Citer. 278
Cidonia. 207
Cinnamomum. 278
Cinus. 279
Circuli cæli. 154
Circulus æquinoctialis 155. *meridia-*

dianus. 161. horizon. 162. lateus. 163
Climata. 239
Coccum. 279
Cœpa. 279
Cœlum. 144. natura. 146. figura 153. & ſidera, an ſint animata 150. cryſtallinum. 202. empyreum. 202. quo modo in inferiora influat. 65. non omnibus neceſſitatem imponit. 67
Cœli an plures ſint. 149
Collum. 326
Colocynthus. 279
Coluber. 270
Columbæ. 208
Coluri. 160
Cor. 337
Coriandrum. 280
Cornix. 209
Corona. 364
Corpus humanum 311
Coruus. 209
Coturnix. 209
Creatura ſpiritualis, & corporea num ſimul factæ fuerint. 96
Crocodilus. 234
Crocum. 280
Cruentæ ſimilitudinem. 356
Cryſtallus. 304
Cucumer. 280
Cuminum. 280
Cupreſſus. 280
Cutacea. 220
Cuticula. 347
Cutis. 347
Cygnus. 210
Cynipbes. 219
Cynomia. 219
Cyprus. 281
Cyrogrillus. 250

D

Dæmonum pœna, & locus 107. oppugnatio. 119
Dama. 250
Democriti, & Epicuri de Prouidentia opinio. 34
Dei triplicitas. 10. perfectio. 11. bonitas. 12. infinitas 13. immutabilitas. 14. æternitas. 15. vnitas. 15. beatitudo. 16. potentia. 19. ſcientia. 21. amor. 31. iuſtitia, & miſericordia. 32
Deus quo modo a nobis cognoſcatur. 17. Mundum adminiſtrauit. 42. quo modo Creaturas ad bonum moueat. 60
Diei primæ opus. 119. ſecundæ. 120. tertiæ. 122. quartæ. 123. quintæ. 124. ſextæ. 125
Dies quique a Planetis denominatus. 186
Dies, ac Nox. 282. & dein.
Dipſas. 270
Diſſenſus 429
Diuina Eſſentia. 1
Diuina Prouidentia. 34. rebus neceſſitatem non imponit. 48
Diuina voluntas. 27. immobilis. 29 rebus neceſſitatem non imponit. 30
Draco. 270
Dromedarius. 251

E

Ebenus. 281
Eclipſis Solis, & Lunæ. 186

Electrum. 303. 304
Elementorum generatio. 352
Elephas. 251
Epicuri, & Democriti de Prouidentia opinio. 34
Equus. 252
Erinaceus. 254
Eruca 266
Eſſentia Diuina. 1. in Diuinitate. 75

F.

FAba. 281
Far. 281
Fatum. 69
Feminarum, & Marium generatio. 377
Famur. 332
Ferrum. 299
Fibræ. 316
Ficus. 281
Filiorum ſimilitudo ad parentes. 377
Fiſtula. 282
Flamma. 356
Formationis humanæ deſcriptio. 126.
Formato primi hominis. 128
Formica. 266
Fortuna, & Caſus. 36
Foſſilium generatio. 371
Fouea. 356
Frumentum. 282
Fulgur. 360
Fulmen. 360

G

GAlbanum. 282
Gallinæ. 210
Gigas. 254
Gibb. 282
Glandulæ. 318
Grando. 361
Gratiæ neceſſitas. 435
Gryphus. 211
Gubernatio rerum 58. & ordo. 64
Gula. 340
Guſtus. 389

H

HAbitus intellectus. 418
Hædus. 254
Halo. 364
Halyctus. 211
Hebenus. 282
Hedera. 283
Herodio. 211
Hiatus. 356
Hierarchia, & Ordines. 109
Hinnulus. 254
Hircus. 254
Hirundo. 212
Hominis cum Deo imago, ac ſimilitudo. 128
Hominis primi formatio. 128. eius. 132. *locus.* 133. *ſcientia.* 135. *iuſtitia, gratia, & virtutes.* 137. *ſtatus qualis fuiſſet, quantum ad corpus, ſi ipſe non peccaſſet.* 140
Hominis principatus. 131
Hordeum. 283
Horizon circulus. 162
Humanæ formationis deſcriptio. 126.
Humanum corpus. 311
Humores quattuor. 319
Hyacinthus. 305
Hypo-

Hypocondria. 341
Hyſopum. 283

I

IAſpis. 305
Ibex. 254
Ibis. 212
Ideæ. 22. *& dein.*
Iecur. 342
Ignis elementum an ſub concauo Lunæ exiſtat. 144
Ilex. 283
Imaginatiua vis. 393
Inſectatium. 217. *terreſtia.* 265
Intellectus habitus. 418. *obiectũ.* 420. *quo modo compoſita cognoſcat.* 421. *quo modo ſe ipſum intelligat* 424. *quo modo ea, quæ ſupra ſe ſunt, intelligat.* 425. *operatio triplex.* 426. *veritas, & falſitas.* 428
Inteſtina. 344
Iris. 367
Iuncus. 284
Iuniperus. 284
Iuſtitia, Gratia, & Virtutes primi hominis. 137
Ixion. 202

L

LAbruſca. 284
Lac. 320
Laterta. 270
Lacteus circulus. 165
Lactuca. 284
Lamia. 255
Lapathum. 285
Lapides. 302. *pretioſi. ibidem.*
Lappa. 205
Larus. 212
Lens. 285
Lentiſcus. 285
Leo. 255
Lepus. 256
Leuiathan. 271
Liberum arbitrium. 432
Lien. 343
Ligamenta. 314
Lignum Moyſi. 285
Lignum ſcientiæ boni, & mali, & vitæ. 286
Ligurius. 212. 305
Lilium. 286
Lingua. 335
Linum. 286
Locuſta. 219
Lupus. 257
Lyncurius. 305

M

MAlum, & Bonum. 94
Malus. 286
Malus. 286
Malus punica, & granata. 287
Mandragoras. 287
Manus. 329
Mare, eſt aquarum elementum, locus, & principium. 223. *ſalſedo.* 228. *cur difficile cõgeletur.* 230 *fluxus, & refluxus.* 231
Margarita. 305
Marium, & feminarum generatio. 377.
Marmor. 305
Maſſa informis. 118
Medulla. 320

Mem-

Membrana. 316. *carnea.* 347.
Memoria. 396
Mentha. 288
Mergus. 213
Meridianus circulus. 161
Meſenterium. 344
Metalla. 298. *mixta.* 301
Metaphoris quomodo Scriptura vtatur. 6
Milium. 288
Miluus. 213
Miracula. 62
Miſſio Diuinarum perſonarum. 89
Mixtorum generatio in genere. 354.
Monſtra. 377
Morus. 288
Motus ſecundum locum 404
Mulieris productio. 139
Mulus. 257
Mundus. 117. *ſemper a Deo adminiſtratus.* 42
Murex. 236
Mus. 258
Muſca. 219
Muſculi. 320
Muſtela. 258
Mygale. 259
Myrica. 288
Myrrha. 288
Myrtus. 289

N

Nardus. 289
Natura, in Diuinitate. 75
Neruus. 315
Nihil eſt in Deo, quod non ſit Deus 35.
Nitrum. 308
Nix. 361
Noctua. 213
Nomina Diuina. 8
Nominum impoſitio. 136
Notiones, in Diuinis. 82
Nox, ac Dies. 81. *& dein.*
Numerus, & æqualitas Diuinarum perſonarum. 77
Nux. 290
Nycticorax. 213

O

Obiectum intellectus. 420
Odoratus. 390
Oeſophagum. 340
Oliua. 290
Omentum. 345
Onager. 259
Onocentaurus. 259
Onocrotalus. 213
Onyche. 290
Onyx. 306
Ophyomacus. 219.
Opus primæ diei. 119. *ſecundæ.* 120. *tertiæ* 122. *quartæ.* 123 *quintæ.* 124. *ſextæ.* 125
Orbium Cæleſtium numerus. 168. *ordo.* 169. *motus, & periodi.* 170. *ambitus.* 171. *diſtantia à terra.* 171
Ordines, & Hierarchiæ. 109
Ordo, quem Deus in corporea creatura creatione ſeruauit. 117
Ortigometa. 213
Ortus, & Occaſus Aſtronomicus. 197.
Oryx. 259
Oſſa. 312
Ouis 260

Pa-

P

Palatum. 335
Paliurus. 291
Palma. 291
Papyrus. 291
Pardus, 261
Parelia. 370
Paſſer. 213. ſolitarius. ibidem.
Pater vtrum genuerit filium volun tate, vel neceſſitate, vel natura. 88.
Pauo. 214
Pellicanus. 214
Pepo. 291
Perdix. 214
Perioſtium. 347
Peritonæum. 341
Perſonarum Diuina proceſſio. 71
Perſona, in Trinitate. 76
Perſona Patris. 79. Filij. 80. Spiritus Sancti. 81
Pes. 333
Pili. 347
Piloſus. 265
Pinguedo. 320. 347
Pinus. 291
Pirus. 292
Pix. 308
Planetarum characteres. 172. magnitudo. 173. motus ſul Zodiaco. 174. domus, & detrimenta. 176. exaltationes, & caſus. 178 adſpectus, & coniunctio. 179. longitudo, declinatio, & latitudo. 180
Planetæ, ſub aliquo ſigno. 175
Plantæ. 272
Plantarum generatio. 371
Platanus. 292
Pleura. 340
Plumbum. 300
Pluuia. 361
Populus arbor. 292
Porphyrio. 215
Porrum. 292
Potentia, in Diuinitate. 83
Potentia nutritiua. 379
Præcordia. 341
Prædeſtinatio. 49. & dein. certitudo. 53
Præſter. 360
Prinus. 293
Procella. 360
Proceſſio Diuinarũ perſonarum. 71
Prouidentia. 34. Diuina. ibidem, eius ſigna. 37. eſſe, ex ſacris litteris probatur. 40. quid ſit 44. quorum ſit. 45. rebus neceſſitatem non imponit. 48
Pruina. 361
Pueri in ſtatu innocentiæ an perfecti, an in iuſtitia, & ſcientia nati fuiſſent. 141
Pulex. 266
Pulmones. 339
Purpura. 236
Pygarges. 215
Python. 271

Q

Quercus. 257

R

Rana. 273
Regulus. 271
Renes. 345
ex Repercuſſu quæ in ſublimi fiunt. 363.
Reprobatio. 53
Rerum creatio. 93. gubernatio. 58. & ordo. 64

Reſpira-

Reſpiratiua ius. 406
Rhamnus. 293
Rhinoceros. 261
Ros. 361
Roſa. 293
Rubus. 293
Ruta. 294

S

Sal. 309
Saliunca. 294
Salix. 294
Saphirus 306
Sardius. 306
Scirpus. 294
Scorpio. 266
Semen. 320
Semimineralia. 307
Senſitiuarum potentiarum diuiſio. 384.
Senſus Scripturæ Sacræ. 7
Senſus, & ad Senſum neceſſaria. 385.
Senſus communis. 392. non habent animalia omnia. ibidem.
Septum tranſuerſum 341
Serpentes igniti. 271
Serpentia. 268
Sethim ligna. 294
Sicomorus. 295
Sidera, & Cælum, an ſint animata 150.
Signa duodecim, &c. 157. & dein.
Signorum ortus, & occaſus. 196
Silex. 307
Siliqua. 295
Simia. 261
Sinipi. 295
Smaragdus. 306
Somnia. 406
Somnus. 397
Soreth. 295
Spina. 295
Spinalis Medulla. 334
Spiritum Sanctum a Patre, & Filio procedere. 74
Stacte. 296
Stannum. 300
Stellæ crinitæ. 356. diſcurrentes. 356. fixarum numerus. 190. magnitudo. 192
Stellio. 271
Sterilitas. 378
Stibium. 309
Stirax. 296
Strutio. 215
Sulphur. 309
Sus. 262
Syrenæ. 271

T

Tactus. 391
Talpa. 262
Taurus. 263
Terebinthus. 396
Terra. 238
Terræ vniuerſæ habitatores. 241
Terræmotus. 359
Teſtes. 346
Theologiæ neceſſitas. 2. nobilitas. 3. quo modo argumentetur. 5
Thorax. 327
Thus. 296
Thyna ligna. 296
Tibia. 332
Tinea. 267
Tobiæ piſcis. 237
Tonitru. 360
Topatius. 308
Trabes. 358
Tragelaphus. 263
Tribulus. 296
Trinitas. 71

Tunica

Tunica inueſtiens. 335
Turtur. 216
Tygris. 265

V

VAſa ſeminaria.* 346
Venæ. 317
Venti. 357
Ventriculus. 343
Vepres. 297
Vermis. 267
Veſica. 345
Veſicula bilis. 343
Veſpæ. 219
Veſpertilio. 226
Vexati a Dæmonibus. 116
Vicia. 297
Vipera. 272
Vires nutritioni deſeruientes. 380
Virgæ. 370
Vis imaginatiua. 393. *æſtimatiua.* 395. *reſpiratiua.* 406
Viſus. 387
Vitis. 297
Vitrum. 310
Vlmus. 297
Vlula. 218
Vmbilicus. 347
Vngues. 313
Vnicornis. 264
Vniuerſitatis rerum diuiſio. 1
Volatilium diſtinctio. 205
Voluntas. 431. *Diuina.* 27. *immobilis.* 29. *rebus neceſſitatem non imponit.* 30
Vortex. 360
Vpupa. 216
Vrſus. 264
Vrtica. 297
Vulpes. 265
Vultures. 217

Z

ZOdiacus.* 156
Zona. 166

FINIS.

REGISTRVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Gh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii kkk

Omnia ſunt folia, præter Kkk, quod eſt folium cum dimidio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R O M A E,

Apud Gulielmum Faccciottum.

M. D. X C I V.

Digitized by Google